
MANUALE ANTISTITUM SEU DE DEXTERA ET SINISTRA EPISCOPORUM IN...

Francesco Privitera





Digitized by Google

MANVALE ANTISTITVM

SEV

DE DEXTERA ET SINISTRA EPISCOPORVM

In quo quid poteſt, quiduè non poteſt: Epiſcopus? ferè qualibet in materia, Ordine Abecedario diſpoſita: iuxta probabiliora DD. placita; dilucidè reſoluitur.

Opus quibuſcũque Eccleſiaſticis per vtile, lucida mente, de Quæſtionũ tenebris exaratum, & ad Dexteram, Siniſtramq; Præſulum conſignatũ, oculo nõ vulgari decursũ, vt poſſint Eccleſiæ Paſtores inoffenſo decurrere pede, Oueſq; creditas, ritè dirigere.

AVCTORE ADM. R. P.

FRANCISCO PRIVITERA

CATANENSI

Ordinis Seraphici Strictioris obſeruantiæ Alumno, Sac. Theologiæ Profeſſore, & à pręſent MINISTRO PROVINCIALI Reformatæ Siciliæ Prouinciæ; Nec nõ in eodẽ Regno de Supremi Domini Inquiſitoris Generalis Hyſpaniarum gratia, Sanctiſs. Inquiſitionis *QVALIFICATORE.*

Duplici ornatum Indice; Poteſtatũ initio vno. Notabiliũ in fine altero.



Catanę, in Typograph. Illuſtriſs Senatus Typis Biſagni, 1683

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

13 19 E 11

Digitized by Google



SANCTISSIMO
DOMINO MEO IESV CHRISTO
CRVCIFIXO

PASTORI SVPREMO

Qui æterni Patris Filius, Patri in Deitate, & maiestate æqualis, Patrem ſolum agnoſcit primum, à Patre genitus, cũ Patre ſpirat, in Trinitate ſecundus, vniuſq; Orbis Imperator, cunctorumq; in vniuerſo Creator.

PASTORI VENIENTI

Cuius cœlica generatio ſine Matre, terrena ſine Patre, de Spiritu Sancto, teſte Gabriele, conceptus, in Virginis aluo Mariæ, quæ ſine tactu pudoris, inuenta Mater Saluatoris.

PASTORI DOCENTI

Cui ſapientia Cæleſtis propria, in vtroque excuſſa teſtamento, Euangelijs edocta, orèque Prophetarum, & Apoſtolorũ in toto terrarum Orbe diffuſa, ab omnibus amplexa in ſchola Eccleſiæ, diſcipuli fideles, Aurea eſt, è Cœlo venit, condita parabolis, ſaporàta conſilijs, plena miraculis, arcanis repleta.

PASTORI BONO

Quem audiunt libentèr oues, in Ouili credentium, Euãgelico ſatiantur lacte Chriſtiadi, Curatores Apoſtoli, Agni Martyres, paſcula boni moris.

✠ PA-

13—21. 4. 6.

Digitized by Google


PASTORI REGNANTI

A quo claues Petrus, cuius legitimus heres, & successor INNOCENTIVS XI. nunc fęliciter regnans, qui sedens in Vrbe, docet in Orbe, decernit, concludit, dispensat, indulget, vigilat, ouesque in toto diffusas suauiter, prudenterq; dirigit: Duobus Choris aula fideliũ emicat, Sęcularium, & Regulariũ, Sacrificia laudũ, & agni in dies immolantium. Resplendẽt cãdelabra fulgẽtia Martyrum, lumina virtutum, & ornamenta Doctorum.

PASTORI PERCVSSO

In quo vulnerata humanitate, capite spinoso, pectore perfosso, ex quo Sacramenta fluxẽre; è sepulchro tandem surrexit, ad Scripturas adimplendas, fidei tutàmen, gaudiumque fidelium.

TIBI SANCTISSIMO PASTORI CRVCIFIXO LAVS, ET HONOR.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

ALDERANO CYBO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

NEC NON SANCTISSIMI PATRIS, ET DOMINI NOSTRI

INNOCENTII XI.

PONT. O. M.

PRIMO MINISTRO.

SECRETARIO STATVS, LEGATO AVENION. ET APVD S. SEDEM APOSTOLICAM TOTIVS ORDINIS SERAPHICI S. P. N. FRANCISCI PROTECTORI VIGILANTISSIMO.

MEnſam paraui (Purpurate Princeps) his, qui acie in Eccleſiaſtica præſunt, die, noctuque ſudantes, vt poſſint, ob quæſtionantium pugnam, cruenta callidi hoſtis, tela retorquere. Quorum vires ſi ſuppetunt, de appoſitis refecti, hilares facti, ſecuriùs accèdere nòn hæſitāt. Vnius in hac menſa deerat cibus, tota dulcedine plenus, ſine quo nil validum, nihilque iucundum, tuæ Sapiētiæ Sal, uncta ſapòrans, vt poſſim verè clamare; parata eſſe omnia.

Placeat (Benigniſſime Princeps) ad venerabilis illius Menſæ Typum, in qua idem Cibus, & cibans, eſto Cybus,

bus, & Protector, Mensamque paratam benedicere digneris, vt ipsa vigorati Præsules, illam respuere vereantur. Accedite Pastores ad MANVALE vestrum linceis oculis, de Quæstionum tenebris exaratum, deque multorum meliori doctrina Doctorum, excerptum, sub tanti Principis asilo reconditum. Validate vires sub tanto Duce, in disputantium lucta, Victores eritis. Et ipse formidinem fugans, timorem repellam, vt (Te placito) ad vlteriora procedam. Vota mea altissimo meritorum tuorum cumulo obsecro. Purpuream deosculor vestem, & de Altissimi gratia, ad Petri nauis puppim te videre cum tempore optans, pedes. Catanæ in Sicilia. Anno à Gabrielis ore 1683.

Emin. suæ

Humillimus

De Strictiori Minorum familia

FR. FRANCISCVS PRIVITERA A CATANA.

AD LECTOREM

HVmanissime Lector? Orbem in manibus quæstionum, & disputationũ positum, respice. Ecclesiastici 3. ad labẽ forte primi Parentis luendã; Fuit enim homo ad exemplar Conditoris erectus, Diuinæ potentiæ opus, & quia voluit plusquam sapere, serpentis ore deceptus. Miser? propria deflexus lue, in partem cæcidit, Radios infusi luminis, ignorãtiæ nebula fugauit, & Tenebras adeptus, suprema spreuit, imaq; percurrit, diuino tãdem Cõditoris lumine, mens eius illustrata, illicò ob nubila, casu, quæstionum caligine obtusa, ex rerum cortice veritatẽ quærens, Anceps, semperque dubius, Quæstuarij nomẽ hæreditauit; & si quandoque linceis ocularibus usus, rerum adipem penetrare cupit, quadam disputantiũ arte ruminat, & veritatis requiem quærit, statim pelagi profunda metitur, spatiosas vndarum copias nanat, & discrepantiũ scopulos reperit, veritatẽ, quam præ oculis habet, possidere non potest. Enim verò quando in horreo suæ mentis triticum habere non hæsitat, milio, paleaque mixto, nutriri cogitur. Ignarus denique nascitur homo, mendicus, & quæstuarius viuit, & tandẽ hebes decidit. Vnde meritò ad Titũ, c. 3. hortatur Apostol. Quæstiones, Genealogias, & cõtẽtiones, & pugnas deuitare. Monitũ igitur Pauli ipsi sectare placuit, granum purum, excussa quæstionum palea, hoc in Manuale reposui, tibique digestos, maturosque fructus, folijs, vndique præcisis, offero. Securè manduca, quia pharmacum, contra ingenij fuliginem, mentisque caliginem erit. Resolutiones has, quas ambabus tuis consigno manibus, fortiter tene, si vis munus Episcopale in offenso percurrere pede, omni quolibet in iudicio. Haud nego benigne Lector? quasdam his contrarias determinationes, probabilitate fulciri, vtique præfatis in iudicijs tutò posse, sed quod probabilius legi, hac mea tempestate selegi, huncque in locum reduxi, non in sublimitate sermonis, aut humanæ sapientiæ verbis ad Corinth. 1. sed communi exaraui idiomate, vt omnibus, mediocri fulgentibus ingenio, finis operis, & operantis innotescat. Vnum rogo, vt tuis in orationibus pro me apud Altissimum, orare memineris. Vale.

Beneuole.

Errata in vtraque parte inter cudendum, Si leuia non offendunt, Si grauia videri, & caueri tua prudentia facilè possunt.

Digitized by Google

Approbatio Superioris Generalis Totius Ordinis Seraphici.

FRater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano *ex Guardian. Hierosolymitanus, ac Vniuersi Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci Minister Generalis, & Seruus. Dilecto nobis plurimũ in Christo Reu.* Patri Fratri Francisco à Catana, *Prouinciæ nostræ Reformatæ Siciliæ Lectori Generali S. Theol. in Regno Siciliæ Sancti Officij Qualificatori, ac* Ministro Prouinciali, *Salutẽ in Domino Sempiternam.*

Cum opus Sacrum à te compositum, cuius Titulus est, Manuale Antistitum, à duobus nostræ Religionis Sacræ Theologiæ professis, quibus commisimus, reuisum, & approbatum fuerit, iuxtà Apostolicas, nostriq; ordinis constitutiones, Tenore præsentium, cum salutaris obedientiæ merito, quatenus seruatis seruandis, Typis mandare possis, facultatem tibi facimus, & impertimur. Vale, Deum pro nobis exora. Dat. Romæ ex nostro Araçelitano Conuentu die 3. Aprilis 1683.

FR. PETRVS MARINVS
Minister Generalis

Loco ✠ Sigilli.

De Mandato Suæ Paternitatis Reuerendiss.
FR. IACOBVS ANTONIVS A GVGNASCO
Secretarius Generalis.



Digitized by Google

APPROBATIONES VARIÆ THEOLOGORUM.

Quoniam huius libri Auctor varias Italiæ, & extra præcucurrit partes, in quibus concinnatum, elaboratumque opus Præsulibus, nec non S. Theologiæ Magistris reuidendum, examinandum, & censurandum ostendit, ideò vide sequentes Approbationes.

NEAPOLITANA.

IVssu Emin. D. Card. Caraccioli legi opus, cui titulus est. *Manuale Antistitum* Auctore Ad. R. P. *Francisco à Catana* Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, & in eo nil reperi contra bonos mores, aut Sac. doctrinam, sed plurima, quæ Episcopis, Confessarius, & omnibus in Ecclesiastico foro versantibus erunt vtilissima, ideò imprimi posse censeo. è domo professa Soc. Iesu, die 4. Maii 1674.

In Congregat. habita coram Emin. & Reuerendiss. D. Card. Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 24. Iulii 1674. fuit dictum: quod stante relatione P. Antonii Rossi Soc. Iesu reuisoris deputati.

Ioseph Imperialis Societ. Iesu Theol. Emin.

Imprimatur.

F. SCOREGATA VIC. GENER.

PANORMITANA.

ATtentè perlegi præscriptum opus, cuius titulus est. *Manuale Antistitũ.* Authore R. Ad. P. *Francisco à Catana* Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, & in eo nil reperi reprehensione dignum; vel quod sit contra Catholicam Fidem, vel contra bonos mores, immò plura, eaq; vtilissima, tam Episcopis, quam Confessariis omnibus in Ecclesiastico foro versantibus, & propterea imprimi posse censeo. Panormi in Generali Conuentu S. P. Augustini, die 19. Martii 1676.

Mag. Fr. Raffael Bonuerba à S. Philippo Ord. Erem. S. Augustini, & Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Theologus.

Potest Imprimi

Hyeronimus Pannanus Soc. Iesu.

Imprimatur

ABB. IANNVZZO VIC. GENER.

CATANENSIS.

IVssu Reuerendiss. Vicar. General. Abb. D. Valentini Bonadies vidi, & legi opus, cuius titulus *Manuale Antistitum*, Auctore Ad. R. P. *Francisco à Catana* Ord. Min. S. Francisci Reform. & in eo nihil reperi contra Fidem, & bonos mores, sed plurima vtilia Episcopis, & Cõfessariis, opus maximè elaboratum, & eruditione refertum; ideò posse imprimi existimo, è Collegio Catanensi Soc. *Iesu*, die 11. Octob. 1676.

Imprimatur

Laurentius Finocchiaro Soc. Iesu.

ABBAS BONADIES VIC. GENER.

IVssu V. I. D. D. Alexandri Scãmacca pro Ill. Præsule vidi, & legi opus, cuius titulus *Manuale Antistitum*, Authore Ad. R. P. *Francisco à Catana*, Ord. Min S. Francisci Reform. & in eo nil reperi contra Catholicã Maiestatem, & bonos mores, ideò posse tutò imprimi existimo; vtq; in communẽ vtilitatem typis mandetur, nam opus suo Authore dignum, & quod in tot, ac tantorum librorum multitudine de hisce materiis agunt sanè deerat. in Collegio Catanensi 16. Octob. 1676.

Laurentius Finocchiaro Soc. Iesu.

Imprimatur

D. ALEXANDER SCAMMACCA, Pro Ill. R. RAMONDETTA P.

Habe *VIATOR!* Habe

FRANCISCVM E CATANA

Minorem Obseruantiæ Reformatum

PROVINCIÆ MODERATOREM ZELANTISSIMVM.

RELIGIONIS DIFFINITOREM SOLERTISSIMVM.

NEMINI SECVNDVM; NVLLIBI INIVCVNDVM.

QVI

DE DEXTERA EPISCOPI, AC SINISTRA

SCRIBENS;

ANIMOS PLACAT, DVM PLACET;

LITES DESTRVIT, DVM INSTRVIT.

CVIVS

LINGVA MELLEA; CALAMVS LACTEVS

OMNIVM LINGVIS, OMNIVM CALAMIS

EMINENT, ITA EMICANT:

VT

INTER RELIGIOSOS MAGNVM; INTER SCRIPTORES MAXIMVM

MIRETVR VRBS; ADMIRETVR ORBIS:

HOC

CONCIVI MORTALI, FAMA IMMORTALI

SANCTORVS OLIVA


I. V. D. CANONICVS

ÆTERNITATI

SVSPENDIT EPINICIVM:

Plaude *VIATOR!* Plaude

Digitized by Google



INDEX

PRIORIS PARTIS.

Omniumque Poteſtatum, & Verborum accurata ſeries, ordine Alphabetico diſpoſita.

Digitized by Google

B

C

Con-

Digitized by Google

Cor-

E

F


H

I

Digitized by Google

Re-

FINIS.



Digitized by Google



INDEX
POSTERIORIS PARTIS.

Omniumque Impotentiarum, & Verborum dilucida series, Alphabetico digesta ordine.

A

Non

B

C

Digitized by Google

D

Digitized by Google

E

sa-

Digitized by Google

T

V

FINIS.



Digitized by Google

DE DEXTERA EPISCOPI

IN QVA

Secundum Nouiſſima DD. Placita. Quid poteſt Epiſcopus, Vbi, Quomodo, & Quando ſe extendere poſſit, luculenter, & dilucidè exaratur, ordine Alphabetico digeſta.

Huic Epiſcopali dexteræ innumeri ſubſtant Caſus, de manibus Quæſtionantium ſelecti, ad Tyronum lectorum, Confeſſariorumque profectum, in partem Affirmatiuam, pro eo quod poteſt Epiſcopus, redacti: vt aptiùs, & commodiùs viam probabiliorem, & ſecuriorem in medio Opinantium teneamus; vtquè rectè poſsimus dirigere, & dirigi ab Epiſcopi dextera docente.

PARS PRIOR

A

De Epiſcopo Abſoluente, & Delegante caſus à ſe reſeruatos.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt abſoluere à peccatis à ſe reſeruatis.*
2 *Sed nùm poſſit aliјs hanc facultatem delegare?*
3 *Sed Quomodò, Vbi, Quibus, & Quando facultatem reſeruatorum committere valet?*
4 *Sed quid de Reſeruatis à ſuis Antecеſſoribus?*
5 *Sed quid de facultate ordinaria delegata, cum particula exceptiua tantùm?*

Poteſtas I.

1 Poteſt Epiſcopus Abſoluere à peccatis à ſe reſeruatis. Ita DD. communiter, & docet omnium Magiſtra Praxis. Patet, quia iure optimo ineſt Epiſcopo Poteſtas abſoluendi, ortum ducens, tum ex ordinis Sacerdotalis charactère, cui iure diuino annexa eſt ſoluendi, & ligãdi facultas, vigore Clauium; tumque ex Iuriſdictione vi aſſumptionis ad Thronum Epiſcopalem, quam habet in ſubditos, ſibi de Iure ſubie-

biectos, in quibus duobus, ordine, & Iurisdictione stat Clauium Potestas: vt innuit Christus Dominus Petro; *Matth.* 16. *Dabo tibi Claues ligandi, & soluendi*; enim verò Episcopus iure proprio ligat Censurarum funiculis, & soluit Reorũ culpas absolutionis beneficio. *Clauibus* aperit suæ Ecclesiæ thesaurum fidelibus, & claudit infidelibus; nec illas præstitas habet à Christo, sed datas; vt liberè quolibet tempore, ritè possit portas suæ sollicitudinis aperire, & claudere, cum sit in domo Domini Ianitor, Ostiarius, & verus Pastor, ex illo *Ioann.* 21. *Pasce oues meas*, quas sibi à Christo creditas pascit, tāquam à Spiritu Sancto in Ecclesia positus, regere, & gubernare Iurisdictionis exercitio, & Potestate.

A Reseruatis à se. Tum quia Reseruatio cum sit Iurisdictionis limitatio, non cadit in Reseruantem, quemadmodùm si Reseruans se limitaret, nec se, nec alios soluere posset; quod est contra libertatem Reseruantis, & Iuridictionis, liberè tanquàm caput omnium reseruans, & pro libito relaxans, vel limitans in suis membris, ad ritè, rectèque regendum Animarum curam. Accedit *Trident. sess.* 14. *de pœnit. capit.* 7. in quo laudabiliter atrociora crimina, iudicio grauiori reseruantur, ad effrenandas quorundam infirmitates, malitias, & pernicies, quorum medicamenta, in senioribus, prudentibusque Iudicibus, & Medicis Sacerdotibus inuenirentur, atque audaces timeant magis neruum in manu Maioris positum. Tandem si à reseruatis *à se* absoluere nequisset, ordinariam potestatem non haberet, quod gratis dicitur. Itidem *à se*. Nam Reseruata Superiori potestati absoluere non potest, nisi desuper datum esset, defectu Imperij, in superiorem potestatem. A qua si concessa fuisset, tunc nisi de Iure concesso, & non ordinario absolueret. Quid autem de Episcopo emittente Censuram, & Superiori potestati reseruante? Vide *dicta potest.* 251. hoc luce clariùs, ideo magis illa clarescit.

2 *Sed nùm possit alijs hanc facultatem delegare?*

Respondetur affirmatiuè: est communis opinio *apud Panor. in Rubric. de officio delegati*. Probatur: Tum quia Delegationis munus ab Ordinario ad vniuersitatem causarum pendet, qui multis, varijsque negotijs præpeditus. cum Episcopatus ex *Diuo Chrysostomo lib. 6. de Sacerdote. Sit pelagus laborum, & abyssus ærumnarum.* quod sua interest, alijs in sui adiuuamen impertitur; adeò quod nisi dictam facultatem delegaret, non paruum imminèret animarum periculum; enim verò Episcopi multitudini, grauioribusque negotijs addicti, muneri, & oneri impositis, satisfacere nequeunt; igitur impotentiæ vi, facultas delegatiua ritè introducta est. Tùm quia ea, quæ sibi pleno iure restrinxit, eadē plenitudine, ad quosdam prudentiores, & grauiores Sacerdotes relaxare potest; iuxta id. *à qua nascitur, ab eadem, & resoluitur.* E contra tamen, si delegare nequisset, nec ordinariam potestatem haberet, neque ad vniuersas causas in tota sua Prouincia, & Diœcesi esset constitutus, & carèret ampla illa Iurisdictione, & potestate, quàm expedit confiteri in suo vniuersali regimine; igitur gratis ambigitur dicta commissiua reseruatorum potestas.

3 *Sed quomodo, Vbi, Quibus, & Quando facultatem reseruatorum committere valet?*

Respondetur ad primum de Modo, cuius sensus est de modo concessionis, & huiusmodi cognoscitur, per explicationem oretenùs factam; vt si diceret Episcop. *Committo tibi vi-*

ces

res meas, vel per facultatem in scriptis obtentam, vbi nulla adesset reseruatorum exceptio, etenim lege non abstringente, nec nos restringi tenemur. Vel per assumptionem ad Munus, & dignitatem, cui esset annexa absoluendi à reseruatis facultas: putà in electione Pœnitentiarij in Cathedrali, conferendo præbendam. Instar quomodò eligitur summus Pœnitentiarius in Curia Romana. Vel Episcopus, cui Tridentinum delegat facultatem reseruatorum occultorum Summo Pontifici. Vel per concessionem diplomatis, Iubilæi, aut Cruciatæ, aliouè simili modo, in quo specialitas concessionis apertè apparet. Secùs autem; in sola concessione generali, in qua nullo pacto veniunt specialia.

Vel sensus est de modo, & quantitate discreta, numero videlicet reseruatorum; nùm omnes, vel aliquos casus delegare posset?

Respondent communiter posse vtroque modo, prout expedire cognouerit; cum nulla de lege astringitur; *Omnes quidem* quia sicut illos reseruauit, ità omnes relaxare potest, tanta enim est, vis Reseruatiua, quanta est Relaxatiua. *vel aliquos*; quia huiusmodi restrictio, & dispensatio se tenet ad mensuram, & beneplacitum delegantis; pro ut de more constat Episcopos concedere facultatem limitatam ad tempus, Personas, loca, vel numerum reseruatorum: vt fusè notarunt multi. *apud Sanchez.*

Est insuper quæstio inter summistas, num delegatus possit subdelegare? & in partem affirmatiuam inclinare videntur, docentes: in casu occursuro, vel occurrente, posse delegatum subdelegare, quorum enixa ratio est; quia hæc subdelegatio non est per modum regulæ vniuersalis, sed modo exceptiuo ad differentiam primi delegantis, qui solus valet suas vices generaliter alijs committere; & ità in praxi aiunt positam tempore solemnitatis, vel concursus Populi; veriùs tamen, & probabiliter vteretur illa, pro aliquo casu occurso, ne in re tanti momenti esset dubium. Ita *noster Brugnolus in speculo Clericorum. tract. 12. cap. 8. resol. 26.* Vide *DD. potest.* 250. quos ipse sequor. Excipitur tamen ab hac regula: quādo primus delegatus in sui delegatione exciperet certum casum, quem primus delegatus non potest absoluere, & ità nec subdelegare. Ratio, quia tota vis subdelegatiua pendet à voluntate delegantis, qui in exceptione illius casus debet sequi à Delegato. Maior autem difficultas foret, si Ordinarius delegaret tantùm vnum casum ex reseruatis: nùm delegatus ad vnum, possit illum subdelegare? Respondent non pauci *apud Bordon. controu. Moral. controu.* 27. *n.* 32. *Peyrin. de Priuileg. ad Const. Vrb.* 8. *n.* 14. *&* Nauar. *cap.* 27. *n.* 43. posse huiusmodi delegatum ab Ordinario illum casum quandoque subdelegare. Quorum ratio est, quia dictus delegatus esset constitutus ad vniuersas causas in toto illo genere casus delegati; puta homicidij, strupi &c. enim verò, & si nudum ministerium subdelegare non posset; tamen prò absoluendo Pœnitēte particulari, fas erit (ad differentiam primi delegantis valentis quemlibet ad se accedentem) absoluere; quia hìc potiùs vniuersitas causarum desumitur à pluritate subiectorum, quàm casuum. Nec opus est, delegantem esse constitutum ad omnia causarum genera; vt possit vti subdelegatione, sed sufficit ad omnes causas in illo genere casus. Ita subscribunt citati.

Ad secundum dubium: Vbi.

Respondetur, vbilibet, etiam extrà Diœcesim: tum quia huiusmodi con-

cessio est personalis; ideò libera ab omni loco. Cum extrà illam dumtaxat interdicta est Iurisdictio, solemnitatem, & Pontificalia requirens. Secùs autem simplex,& personalis, quæ vel oretenus, vel in scriptis fieri solet: pro ut dicam fusiùs de collatione beneficiorum. V. conferre.

Ad tertium dubium de Personis, quibus Episcopus impertiri potest facultatem Reseruatorum.

Respondetur, Sacerdotibus idoneis, Prudentia, & scientia, pollentibus, Approbatis, iureq; nõ impeditis, pro suis ouibus. Fundatur in *Trid. sess.* 23. *c.* 15. vbi statuit; neminem posse Confessiones audire, nisi haberet Parochiale beneficium, vel idoneus approbetur, per examẽ ab Episcopis. Ex quibus apparet facultatẽ reseruatorum, quæ est magis ampla, & absoluta ad crimina atrociora iudicanda, & medenda, committi debere Sacerdoti approbato ad confessiones audiendas idoneo, ac maiori doctrina, & experientia pollenti, tanquam illa, cui clariora facinora reseruantur, adeò quod, si dicta facultas reseruatorum Sacerdoti non approbato, vel aliqua Censura irretito impertiretur; nil prodesset, & irrita esset confessio, atque iteranda ex definitione S. Congregationis *de ann.* 1580. apud Capiauill. *de cas. reser. cap.* 3. *q.* 1. §. *Dixi Tertio.*

Ad Quartum dubium de Tempore.

Respondetur, Quandòque Ordinarius non esset à Iure prohibitus, putà nominatim excommunicatus, vel manifestus Clericorum percussor, ob Interdictum Iurisdictionis vsum, posse toties, quoties expedire iudicauerit, facultatem reseruatorum impendere, & liberè, iuxtà libertatem, qua reseruauit, quando, Iurisdictionem cum vsu habebat; ita docent *DD. apud Capiauill. dd. loco.*

4 *Sed quid de reseruatis à suis Antecessoribus?*

Respondetur cum *Piasech. in praxi noua Episcop. p.* 2. *c.* 1. *num.* 16. vtique posse illorum facultatem delegare. Tum quia vi Iurisdictionis acceptæ in Episcopatu, habet eandemque auctoritatem, quam suus habebat Prędecessor in reseruando, & delegando, eò vel quia potestas Clauium in mutatione Prælatorum non perit, sed in successorem legitimum transit. Tùm quia Antecessor plus non habuit, quod successor, neque hic à suo Antecessore restringi, vel impediri poterat, quia sumus in Imperio parium, vt notauit Alterius *de Cens. tom.* 1. *disp.* 2. Bonac. *ibid. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. cum Vgolino *de Potest. Episc. cap.* 36. *n.* 1.

Superest tandem dicere, pro coronide delegationis, teneri delegatum ad limitationes factas à suo Ordinario delegante, siue ad tempus, ad personas, loca, &c. ratione iustè deducta, quia causa limitata, limitatè causat effectum, qui semper sapit sua causa. Propterea causa, quæ est Ordinarius vltra limites non agit; adeoque elargita facultas oportet sapere moderationes, limitationes, & restrictiones sui delegantis, & ritè limitantis. Vide Cambarup. *de Casibus Papæ reseru. cap.* 2. *n.* 44. Dixi ritè propter Regulares, qui iuxta Bullam Clem. X. incipit: *Suprema. vndec. Kal. Iulij* 1670. *idonei absolutè reperti, debent ab Ordinarijs absolutè, & absque limitatione ad tempus, & Personas admitti.*

Sed quid de facultate delegata cum particula exceptiua tantum ad Viros, ad tempus, ad loca, & Personas. Num dicta exceptio tollitur vigore Cruciatæ?

Pro cuius solutione nota, Bullam Cruciatæ non approbare Confessarios, sed illos approbatos ab Ordinario

rio supponere, & Approbatis dat facultatem reseruatorum Ordinariorũ, & Papæ, adhùc in bulla Cęnæ, quæ sunt in primo Cap. exceptis. *ex Constit. Gregor. xiij. incipit officij*, 22. *Septembr.* 1576. Vndè eleuatio bullæ, propter reseruata, à quibusdam dicitur approbatio; quam ego; vt habeam locum loquendi, appello secundum quid, ad differentiam approbationis prerequisitæ, & simpliciter. Hoc posui ad tollenda verba de medio, inter quæstionantes dicentes: bullam approbare, & intelligitur secundo modo.

Respondetur, ex varijs DD. opinionibus, in partes, affirmatiuam, vt voluerunt multi. apud *Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 6. n.* 8. & negatiuam. Alij apud *Suarez de pænit. disp.* 28. *sect.* 1. *n.* 3. tutiorem esse negatiuam, quam sequitur *Bardi in explic. bullæ Cruc. p. 2. tract. 4. sect. 5. num.* 88. *& 90.* dicens, & docens per totum, particulam exceptiuam semper seruari debere quoad personas, & tempus, & ait sententiam affirmatiuam quoad tempus, quam tenet *Acosta apud Dian. in tract. de bulla resol.* 10. esse improbabilem.

Vidi recenter, non sine Animi solatio D. Sanctorum de Oliua, meum diligentissimum Conciuem, non minus Cathedrali Canonicatu, quam ingenij nobilitate fulgentem, Nepotem illius magni Doctoris Ioannis Baptistæ de Grossis, nostræ Ciuitatis Catanensis, doctrina Legali, Historiali, & Canonica celeberrimi, hac nostra tempestate præcipui, cuius doctrinæ candor nigredine torculari magis èmicat: defendentem in disceptatione Iuridica, Catanæ impressa. Anno à partu Virginis 1679. partem affirmatiuam, cũ citatis apud *Henriquez d. loco*, quod Approbatus ad viros tantùm, est ad mulieres eligibilis vigore Cruciatæ. Ipse verò diceremin fluctu Opinãtium, vtrasq; opiniones imparem habere locum.

Et primò approbatus *ad viros tantùm* non est eligibilis à Monialibus, propter S. Cõgregationis Decretum, apud *Barbos. in Apost. decis. verb. Cruciata. n.* 7. *&* Peyrin. *in Const. Iulij* 2. *n.* 3. Secundò, nec quando approbatio facta est defectu scientię, quia, vt inidoneus, est improbatus ad Mulieres. Tertio *quoad loca*, verò, & *tempus*; negatiuam sententiam, tanquam in praxi positam amplector, ea potissima ratione; quia Bulla non approbat, nisi secundum quid, & quoad reseruata, ideò; approbatum supponit; sequens probabiliter limitationes prædictas, vltra quas non operatur approbatio, eoquè, quia limites firmãt Regulã in contrarium, cum *Bardi d. loco* per totũ, & Barbos. *d. l. v. Confessarius n.* 15. recenset decretum S. Concilij *in Cæsaragus. 7. Septembr.* 1615. apertè decernens: Confessarios seculares ad certũ genus personarum, seù ad limitatum tempus, ab Ordinario approbatos, minimè posse, etiam vigore Cruciatę pœnitentium Confessiones audire; vltrà facultatem ipsis ab Ordinario concessam.

De Episcopo Absoluente casus Papales occultos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere à Reseruatis S. Pontifici occultis.*

2 *Sed nùm sufficiat Episcopum esse electum, & confirmatum?*

3 *Sed quid de Partibus Romæ propinquis?*

4 *Sed an delegare possit hanc Pote-*

sta-

ſtatem?

5 *Sed an comprehendantur Caſus Bullæ Cœnæ Domini?*

Poteſtas II.

1 POteſt Epiſcopus abſoluere à caſibus reſeruatis Summo Pontifici occultis. Vigore *Trid. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 6. his verbis: *Liceat Epiſcopis,* = *vt in quib'dã caſib' occultis* = *in ſua Diœceſi per ſe ipſos, aut eius Vicariũ* = *in foro Conſcientiæ gratis abſoluere.* Innititur hæc poteſtas indulto legis, ob copioſam fidelium multitudinem in toto Orbe diffuſam, quibus impoſſibilis eſt præſentia Papæ, vel aditus ad illum; ideò miſericorditer *Trid.* indulſit Epiſcopis, vt per ſe, vel eorum Vicarios in caſibus occultis, hoc eſt, ad forum contentioſum non deductis, abſolutionis beneficium impenderent. Qua ſuaui Tridentina diſpoſitione occurritur criminibus grauioribus in manibus Epiſcoporum poſitis, vt poſt debitam, ſalutaremquè pœnitentiam impoſitam abſolutionem impertirentur. Similis eſt hæc diſpoſitio, facto Moyſis, *exod.* 18. qui elegit viros ſapientes, Deumque timentes, quos Tribunos conſtituit, & Centuriones, qui Populum iudicarent in caſibus minoribus, maiores verò ad ſe reſeruauit.

2 *Sed nùm ſufficiat Epiſcopum eſſe electum, & confirmatum?*

Reſpondetur, ſufficere confirmatum, ratio; quia vi confirmationis accipit iuriſdictionem erga ſuæ Eccleſiæ regimen, ſicut ex conſecratione dignitatem. ità *communiter apud Doctores.*

3 *Sed quid de partibus Romæ propinquis?*

Reſpondet *Molf. ſ. in Summ. Theolog. Moral. tract.* 7. *cap.* 16. *à n.* 20. ad ſedandas Opinantium varietates, ſtandum Conſuetudini, vt qui ſolent abſoluant, & qui non ſolent, abſtineant, & ità fatetur fuiſſe reſcriptum ab Vrbe. *Trid.* autem indiſtinctè loquitur; ergo vi Concilij, vbique intelligitur cõmunicata facultas, independenter à loco proximo, & remoto, Romæ, quod ſi aliter de ſolito factum ſit, ſeruari ſolitum monet, laudans pro vtraque parte conſuetudinem. Ipſe autem non diſcederem à facultate per *Trid.* elargita, quæ pendet à voluntate legis, & non à loco.

4 *Sed an delegare poſſit hanc facultatem?*

Reſpondetur affirmatiuè cum dicendis .V. delegare, poteſt. 129. vbi fuſiùs.

5 *Sed an comprehendantur Caſus Bullæ Cœnæ Domini?*

Reſpondetur, ſententiam negatiuam *Bonacinæ tom.* 3. *de Cenſ. in Bull. Cœnæ diſp.* 1. *q.* 22. *p.* 2. *n.* 2. magis placere, diſplicere tamen quod pro ratione ſubnectit: ſcilicet (non poſſe ab hereſi, iuxtà prohibitiones *Pij v. & Greg. xiij.* ergò neque ab alijs in Bulla expreſſis.) Inquam illationem non valere, quia à diuerſis nil infertur; hodiè enim diuerſę ſunt facultates abſoluendi ab hereſi, & aliorum in bulla contentorum; tantò quod extant Decreta Em: Cardin. de ſuprema inquiſitione, quibus interdicuntur Epiſcopi hæreſes abſoluere; nulla facta mentione de alijs caſibus in Bulla contentis. Nec interdictum primi capitis in Bulla, deſcendit ad ſequentes caſus in illa. Pro vt ex communi doctrina. Obtinens facultatem ſupra caſus Bullæ, non intelligitur de illis in primo capite; ideo nulla illatio Bonac. Firmior autem ratio ſuadens eſt: tum quia *Trid.* decreta facta ſunt *ſalua authoritate S. Apoſtolicæ ſeſſ.* 25. *c.* 6. ideo liberam habet Summus Pon-

Pontifex facultatem reseruandi, nulla facta mentione derogationis Cōcilij indiuidua, vt aliqui volunt. Tum quia nulla necessitas derogationis indiuiduæ, quando generaliter derogantur omnes, & quælibet facultates; ex Rota in vna S. *Angeli* 16. *Decembris*. 1594. & 9. *Iun*. 1606. apud eundem *Bonac. ibid.* Quod si dicas: necessariam esse derogationem specificam Trid. *vt volunt Gonzal. & Garzias* 4. *p. c.* 5. *n.* 30. id fieri non solère; propter tanti Concilij authoritatem, sed sufficere generalem, in qua tacita est indiuidua. Ait tandem *Dian. p.* 7. *tract.* 2. *resol.* 27. in Bulla, esse expressam indiuiduam Concilij derogationē, his verbis: *ac per cuiusuis Concilij decreta*; quid igitur meliùs: ideo placet posita sententia negatiua Bonac. ad cuius firmitatem hodiè extat Bulla *Alex. vij.* incipit *Sanctissimus* 2. *Octobris* 1655. de qua *potest.* 119. vbi de delegatione. Pariter quid sit crimen publicum, & occultum? inspice *potest.* 3 *n.* 9. & *potest.* 139.



De Episcopo Absoluente Casus Papales occultos, post Tridentinum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere à reseruatis occultis Papa, post Trid.*

2 *Sed quid de excommunicatione occulta Duelli?*

3 *Sed quid de censuris occultis reseruatis, & contractis, per ingressum, in Monasteria Monialium?*

4 *Sed quid de occultè violantibus Immunitatem Ecclesiasticam?*

5 *Sed quid de Clericis occultis Symoniacis, Symonia reali, in Ordine, Beneficio, & per ingressum ad Religionem?*

6 *Sed quid de Clericis Symoniacis, Symonia confidentiali occulta, in terminis const. Pij IV. incipit Romanum Pontificem?*

7 *Sed nùm Cardinales incurrant hanc excommunicationem?*

8 *Sed nùm hac excommunicatione ligātur, Dātes, Resignantes, vel Cooperatores?*

9 *Sed Quandonam Crimen sit publicum, vel occultum?*

10 *Sed quid de actu publico, & delicto occulto?*

11 *Sed quinam sint Casus Papales reseruati in Italia?*

Potestas III.

1 Potest Episcopus absoluere à Casibus occultis Papæ Reseruatis post Tridentinum. Ita quamplures, post quæstionem agitatā apud *Dian. p.* 7. *tom.* 2. *resol.* 20. §. *Ego contrarium teneo. Bonac. de Cens. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 1. Quorum ratio sic: Quando per nouas constitutiones nō derogatur Concilium, id ipsum quod indultum fuit Episcopis, pro Indulto semper habetur; at Concilium *sess.* 24 *de Ref. c* 6. indulsit Episcopis licère absoluere occulta reseruata; ergo &c. Dicet quis, pro reseruatis *præteriti temporis*, quod verbum *præteritum* non se extendit *ad futurum* pro reseruandis post Trid. Resp. verba apposita in Concilio, sub grammatica præteriti temporis indui vigore legis, quæ semper loquitur, etiam magis pro futuro; ideo ibi pro *Reseruatis*, sonat etiam pro *reseruandis* post dictum Concilium. Item indistinta loquutio, indistintam, & generalem habet significationem, at ver-

verbũ *à Reseruatis* est indistinctum, sonans pro reseruatis in omni tempore; ergo indistinctè interpetratur, nedum per antiquas, verum etiam per nouas constitutiones. Firmatur hoc, exemplo diplomatum, & Iubilæorum, quorum natura est facultatem tribuere, & extendere etiam ad futura crimina, post datam facultatem. Potior ratio, si ad antiqua reseruata fuisset sermo restrictus; à simili, nec Tridentinum fauèret Episcopis de nouo constituendis, post ipsum, sed dumtaxat iam constitutis, in illa temporis differentia, qua ipsum conficiebatur. Cogimur ergo dicere, Concilium loqui adhùc pro futuris Episcopis. Consimiliter de reseruatis post ipsum. Enim verò Concilia, & leges pro futuris loquuntur, & efficiuntur, & non pro præteritis; sequitur ergo nulla facta per nouas Pontificum cõstitutiones derogatione Concilij, residère supradictã facultatem in Episcopis, pro reseruatis post ipsum Concilium.

2 *Sed quid de excommunicatione occulta duelli?*

Respondetur; Excommunicationem hanc in terminis *Constitutionis Clem. viij. incipit illius vices. anno* 1592. vbi memoratur. Confirmatur, & dilatatur *Constitutio Pij iv. incipit, Ea quæ, an.* 1560. posse Episcopum absoluere, modo tamen sit occulta: vigore *Trid. loc. cit.* & ratio viget; eo quia nulliter ibi derogatur Concilij decretum, quo elargita est facultas absoluendi à reseruatis occultis Papæ, quod necesse fuerat. Dumtaxat .n. annulatæ fuere Regularium, & secularium facultates, & priuilegia absoluendi. Ita *apud Dian. p. 7. tract. 2. resol.* 21. nouissimè Trullench. in expositione Decalogi, *lib. 5. cap. 2. dub.* 13.

3 *Sed quid de Censuris occultis Reseruatis, & contractis per ingressum in Monasteria Monialium?*

Respondetur; Posse Episcopum absoluere Censuras occultas, & reseruatas, contractas per ingressum, in Monasteria Monialium, in terminis *Constit. fel. Recrd. Greg. xiij.* incipit: *Vbi gratiæ Idib. Iun.* 1575. & alia incipit: *Dubijs quæ emergunt* 23. *Decembris* 1581. contra violantes Clausuram Monialium. Vbi memoratur *Const. Pij v.* & interdicuntur licentiæ, & facultates, omnibus cuiuscunque status, etiam Comitissis, Marchionissis, & Ducissis cuiuslibet alterius status, & cõditionibus, loca Sanctimonialium ingredi, extra casus necessitatis, in terminis *Decreti Concilij sess. 25. c. 5. incipit Bonifacij viij.* sub Censura ibi reseruata. Quapropter cum in dicta Constitutione nouissima, nulla sit expressa generica, vel specifica Trid. Decreti *c. liceat* derogatio; remanet pedester in Episcopis facultas absoluendi censuram incursam, ob dictum ingressum occultum. Hanc potestatem defendit *Dian. p. 7. tom. 2. resol.* 22. citans Bossium *in Praxi* obseruari docentem; & cum Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap.* 17. Posse Episcopos absoluere Peregrinos, à suspensione à diuinis, quàm incurrunt, admittentes fæminas, intra clausuram; prætextu Priuilegij, & Monialem egressam è Monasterio ad malum finem. Ratio, quia Mulier est priuilegiata, ratione sexus, adire Papam. vt dicam *de Percussione Clerici potest.* 4.

4 *Sed quid de occultè violantibus Immunitatem Ecclesiasticam?*

Respondetur: Posse Episcopum absoluere occultè violantes Immunitatem Ecclesiasticam, in terminis *Constitutionis Gregor. xiv. incipit cum aliàs*, vbi extat excommunicatio ipso iure, & reseruata, vt clariùs innuit S. *Congregat.* 23. *Nouembris* 1617. approbante *Paulo v.*

qua

Digitized by Google

qua in re Extrahentes delinquentes à locis Sacris; præterquam in casibus à Const. Greg. præfati concessis, absq; Ordinarij facultate, quando Casus fuerit occultus, fas erit Epo eos absoluere. *Ita Bonac. de Cens. extra Bull. Cœna Dñi, disp. 2. p. 16. §. 16.* vbi estò sit sermo de Violatoribus Immunitatē in terminis Const. *Clem. viij.* in qua censura est comminatoria, scilicet quod satisfacta parte. Verum quidem in terminis *fel. recor. Greg. xi.* est ipso iure, & reseruata, vt idem *Bonac. in pede. §. ait.*

Probatur itaque; hæc excommunicatio est reseruata in potiori sententia per explicationem S. Congregationis præfatam; igitur, si erit occulta, subſtat Episcoporum facultati absoluendi à reseruatis occultis, à Trid. elargitæ d. loco. Consequentia probatur, Non fit facultatis derogatio, nisi per clausulas generales, vel particulares: at legenti patet, in præfatis Bullis Greg. & Pauli. Non extare clausulas, nisi pro Secularibus, & Regularibus, si qui indulta, & priuilegia habuissent absoluendi dictos casus intrà Italiam, quidquid sit in Vrbe, & extrà Italiam: vbi posse Episcopos vti dicta facultate, defendit *Homobonus de Casibus Reseruatis. p. 1. §. quid agere debent. De causa finali*, afferens Decretum. S. *Congregationis declaratiuum. Incipit Cum autem.* illos extrà Italiam non comprehendere. Ex quo patet roborata dicta potestas. Primò ex ablatione facultatis ab Alijs, vt nemo audeat extrahere, absque facultate Ordinarij, ex quo viget authoritas. Secundò, eo quod dictum Decretum prohibet absolutionem reseruatorum Ordinariorum Alijs virtute priuilegiorum Apostolicorum. Id ipsum fecit Alex. vij. *in Propositionibus prohibitis 24. Septembris 1665. in Congregatione Generali Sanctissimæ Inquisitionis. n. 12.* Tertiò ibidem adimitur facultas alijs Confessarijs, vt nō absoluant manuum iniectionem, & tandem Episcopus habet facultatem absoluendi ab Excommunicatione contracta ob leuem Clerici percussionem. apud Genuens. *in praxi Neapol.* refert *Bonac. ibid.*

Nota obiter contra quosdam non distinguentes inter violatores libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ, Quarum prima est exemptio totius Ecclesiæ vniuersalis à Potestate laica. Et est in Bulla Cœnæ vetita. cas. xv. Secunda est Priuilegium Ecclesiæ tuendi Reum, in ea fugientem, & est, de qua fit sermo in præsenti.

5 *Sed quid. de Clericis occultis Symoniacis, symonia reali in Ordine, Beneficio, & per ingressum ad Religionem?*

Respondetur; Posse Episcopum absoluere huiusmodi Symoniacos occultos vigore Tridentini, d. loco ac nè dum in terminis *Constitutionis Pauli ij.* verùm *& Pij, v. incipit. Durum nimis. 1. Iun.* 1570. vbi nō comprehendere Symoniacos Mentales, vel Conuentionales, docet *Suarez de Symonia lib. 4. cap. 55. n. 6.* Nauar. *cap. 23. & 25.* apud Bonac. *de Cens. extra Bull. Cœnæ Domini. disp. 2. q. 3. p. 24. vbi. n. 20.* postquam recenset de Iure antiquo, & nouo, apertè docuit, Censuram hanc esse reseruatam; quæ si fuerit occulta, posse ab Episcopo absolui, *ibid. disp. 3. q. 1. p. 5. §. Propositio. n. 2.* quo loco, & si anceps conspicitur, stante *Bulla Sixti. v. Sanctum, & Salutare*; contrà Symoniacos, vbi reuocantur facultates, & concessiones, etiam Cruciatæ; tamen ibi de delicto publico est sermo; de occulto autem Viritim stat dispositio Conciliaris, vt benè notarunt Lessius, & Sayr. *apud Rodriq. de Excom. cap. 39. & Suarez de Symonia. cap. 71.* Asserit Clarius,

riùs, Concilium generaliter loqui, ideò generaliter intelligi oportet, de quocunque casu, & Censura occulta ad forum apertum non deductis. Addunt præterea *Suarez*, *& Garzias de Beneficijs p. 8. c. 1.* per Decreta S. Congregationis cum potestate absoluendi subditum de Symonia occulta, & rehabilitate ad ordines, & Beneficia antea obtenta, non stare Potestatem rehabilitationis Symoniaci, ad Beneficia inposterum obtinenda, vel retinendi obtenta, per occultam. Nec dicas: *Constitutionem Clem. v. incipit, Romanum Pontificem.* 1595. 1. *Martij*, & Pij ij. *Cum ex Sacrorum* præfatis obstare dictis, Quoniam, & si quo ad pœnas malè promotorum ad ordines, temperatus fuit eius rigor, & ad terminos Iuris communis, & Trid. redactus, tandèm voluit in suo robore permanere, quoad Symoniacè Ordinatos, & Ordinandos: his verbis: *Præterquam cōtra Symoniacè Ordinantes, & Ordinatos inflictas: quas volumus in suo robore permanere*. Stat igitur, quod Symoniaci ordinati, & ordinantes, atque recipientes Beneficia, vel Nouitios cum solutione pæcuniæ, vel alterius temporalis in prætium, pro re spirituali, in materia sufficienti ad peccatum, erunt gladio excōmunicationis reseruatæ vulnerati, & nisi quando peccatum fuerit occultè patratum, ab Episcopo absoluendi erunt.

6 *Sed quid de Clericis Symoniacis, Symonia confidentiali in terminis Constitutionis Pij. iv. incipit, Romanum Pontificem?*

Respondetur; Posse Episcopum absoluere Symoniacum occultum Symonia confidentiali. in terminis, *Constitutionis Pij. iv. incipit Rom. Pontificem 16. Decembris* 1564 & Pij v. incipit. *Intolerabilis.* 1. *Iun.* 1567. apud *Bullar. Cherub. tom. 2. pag.* 283. In quibus sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ prohibentur omnes recipientes, vel retinentes Beneficia, aut pensiones per Symoniam cōfidentialem, quod intelligitur de his, qui recipiunt cum spe, & confidentia donantium, vel resignantium; nàm quando à Dante, vel Resignatario nō haberetur spes; & recipiens haberet animum illud restituendi, hoc in euentu nulla fieret incursio, vt docuit Suarez *apud Bonac. de Cens. extrà Bull. Cœna Domini disputat. 2. quæst. 3. punt. 25. n. 4.* Vbi pariter docet, Recipientem Beneficium in confidentia incurrere, & excomm. ligari, aduertente Resignante habere præfatam confidentiam, estò Recipiens dictum beneficium hunc animum non haberet, sed solam intelligentiam, & aduertentiam; rationem adducit, quia ad incurrendam Censuram, non requiritur peccatū expressum ex parte vniuscuiusq; sed solius Resignātis, cū aduertentia Recipientis, vt colligitur ex Textu, (*etiam si nulla dimittentis intentione receperit*) haberetur enim in illa aduertentia Recipientis tacita confidentia beneficialis, in Bulla vetita. Nota, aduertentiam in Recipiente; etenim si hæc abesset, vel Resignans dictum animum non haberet, neuter gladio excomm. feriretur; ratio efficax est, quia sola conscientia erronea non sufficit ad inducendum delictum sub excommunicatione; verùm quippè est Recipientem se teneri excommunicatum, vsque dum dubium practicè deposuerit, vel ex coniecturis, vel interpetratione ad ipsum resignantem.

7 *Sed num Cardinales incurrant hanc excommunicationem?*

Respondetur; Affirmatiuam sententiam tenere Bonac. *d. loco, n. 12.* pro qua adducit Declarationem S. Con-

Congregationis in Secreto Consistorio habitâ sub B. Pio. v. 14. Nou. 1569 incipit *Hodiè*, vbi voluit, præfatas pœnas ad Cardinales extendi.

8 *Sed nùm hac excommunicatione ligantur Dantes, Resignantes, & Cooperatores?*

Respondetur negatiuè, ex verbis *Bullæ Pij iv. Vbi* sic (*recipere præsumant*) ex quo subiectum excommunicationis latæ ob Symoniam confidentialem, est dumtaxàt Recipiens, & non Donans, vel Resignans eiusque Cooperator, ea ratione, quæ cum sit pœnalis, caret extensione, vltrà vim, verborumque tenorem.

Reliquum, pro expeditione huius Potestatis, duo explicanda erunt, Primò, vbi absolui possunt dicta censura reseruata, innodati? Secundò, quando nàm casus occultus dicatur? & quia primum resolutum manet. *n.* 4. ideò, quoad secundum, quidam dixère: *Occultum illud esse*, quod ex natura sua est improbabile: & non placet multis, quia delictum tribus personis in aliqua Ciuitate notum, est ex nàtura sua probabile per illos tres, & tamen per DD. in puncto iuris dicitur, *occultum*, at meliùs negatiuè, hoc est, pro eo, quod non est publicum, seù notorium, vtpotè coram nemine probatum, vt colligitur ex textu Concilij. Vbi fit sola mentio delicti, diuisi in deductum ad forum, & occultum, quod sonat, pro non deducto, vt patet in sequentibus.

9 *Sed quando nàm Crimen sit publicum, vel occultum?*

Respondent DD. *Publicum* dici à Denunciatione, vel Accusatione coram legitimo Superiore facta: Rationem adducunt, quia ab his incipit notoreitas Iudicij. Ita multi cum Alterio *de Cens. c.* 3. *V. Postulabis:* sed veriùs: dici deductum, post litis contextum; ratio, quia in citatione non est deductum, sed post litem contextam, iudiciumque finitum, & inter partes affirmatum, tùnc enim contextatio publicat, & contemnit delictum; atque adeò Denunciationes dicuntur exordium contextus, potiùs quam Iudicij; immò in contextatione, fortè iudicari posset in fauorem delinquentis, quod non deliquerit publicè, & tunc remanet occultum, & subest Potestati Episcopi. apud Sà, *V. Episcopus. n.* 34. *Rodriq. in Sum. p.* 1. *cap.* 167. *n.* 4. *Dian. p.* 4. *tom.* 2. *res.* 93. *& Barbos. de officio, & potest. Episcopi. Alleg.* 39. *n.* 32.

10 *Sed quid de actu publico, & delicto occulto?*

Respondetur, casum accidere in publica Missæ celebratione, in qua incurreretur Irregularitas, vel aliqua censura ob delictum occultum. Vel alio simili euentu. Qua in re haberetur actus publicus, & incursio occulta, absoluibilis ab Episcopo, apud Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 8. *ar.* 14. *concl.* 2. Ratio quia formalitas incursionis est occulta; quidquid sit, de Materialitate publica actus, & hoc meliùs in materia dispensationis Irregularitatis. potest. 159

Pro expeditione huius potestatis, quam in integrum defendit *Bonac. d. l.* obuiam venient legenti Decretalia. Cōcilia, Extrauagantia, & Diplomata SS. Pontificum, in quibus non paucę reperiuntur excommunicationes S. Apostolicæ reseruatæ, ordine Alphabetico in Catalago quampluriùm. ideò de hac satis.

11 *Sed quinam sint Casus Papales reseruati in Italia?*

Respondetur esse n. 7. ex decret. S. Cong. 1602. sub Clem. 8.

1 *Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem. Greg.* 13. *Ad Tollēdū.*

2 *Cleric. Perc. cap. si quis persuadēte.*

3 *Simonia Realis scienter cōtracta.*

4 *Confidentia Beneficialis.*

5 *Duellū, seù Monomachia. Greg. ib:*

Digitized by Google

6 *Extractio Reorum ab Ecclesia absque licentia Episcopi.*
7 *Absolutio à Casibus Papæ, vel Episcopo Reseruatis à Confessario, etiam Regulari exhibita sine licentia.*

De Episcopo Absoluente casus Papales publicos, legitimo impedimento, & Vrgente necessitate Currentibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere casus Papales publicos, vrgente necessitate, vel legitimo impedimento currentibus.*
2 *Sed núm assertio habet locum in casibus, etiam Bullæ Cœnæ?*
3 *Sed núm habet locum in peccato hæresis?*
4 *Sed quid, vbi non sunt Inquisitores?*
5 *Sed núm hæc facultas erga impeditos sit delegabilis?*
6 *Sed núm in absoluendo legitimè impeditos, Episcopus aliquid præ aduertere debeat?*
7 *Sed núm impeditus teneatur se præsentare personaliter, numuè per Procuratorē possit supplere onus impositum?*
8 *Sed núm id facere tenebatur quādo Pontificem adire non poterat?*
9 *Sed cur in Bulla Cœnæ sit solus mortis Articulus exceptus, & non legitimum impedimentum?*
10 *Sed quinàm absoluere possint in Mortis Articulo?*
11 *Sed àn facultas concessa omnibus Sacerdotibus in Articulo, extendatur ad periculum Mortis?*
12 *Sed quid, si non exciperetur Articulus Mortis?*
13 *Sed quid, si fuisset expressè prohibitus?*
14 *Sed àn Absolutus in Articulo Mortis teneatur, si conualuerit absolutionem repetere?*
15 *Sed quid si duo Sacerdotes; quorum vnus esset Approbatus, & alius non? Quisnam eorum impendere debet absolutionem?*
16 *Sed quid significant illa verba.* satisfacta parte?
17 *Sed núm Sermo factus, probabiliùs ad occulta trahi possit?*
18 *Sed quid de legitimè impeditis etiam adeundi Episcopum?*

Potestas IV.

1 Potest Episcopus absoluere casus Papales publicos, *vrgente necessitate*, vel *legitimo impedimento*, currentibus, Pontificem adeundi. Ità substinent Corneio, Sayr: Suarez, Auila, Hurtado, Tanner. & alij non pauci, apud Dian. *p.* 5. *tract.* 9. *res.* 6. quod non improbatur ab Vgol. Durand. Panorm. & Nauar. apud Bonac. *de Cens. in Bulla Cœnæ disp.* 1. *q.* 22. *punt.* 2. *n.* 22. §. *Respondeo multos.* quidquid probabiliter docurat *n.* 23. §. *Ex dictis*. Ostenditur sic, sumptis *pro eodem* terminis, *Necessitas*, & *Impedimentum*, in Moralibus (nè Metaphysicè, sed Canonicè loquamur) scilicèt pro vt eandem vim habeant. Inquam, impedimentum adeundi Pontificem, quem reus, quis teneretur pro absolutione adire; multis de capitibus oriri posse.

Primò, *Ratione ætatis*, qua Senes laborant *ex cap. Ea noscitur. de Sent. Excō.* & Pueri ante annos pubertatis.

Secundò *Ratione Sexus*; vt Mulieres, cuiuscunque sint conditionis. Nam hæ, ratione fragilitatis, & Coho-

Digitized by Google

honestatis sexus, redduntur priuilegiatæ, & impotentes, ex allatis Capitibus. *& cap. de Monialibus de sent. Excommunicationis.*

Tertiò *Ratione debilissimæ complexionis*, vel *longissima infirmitatis*, qua laborant viri delicati, pro quorum imbecillitate, necessitate, vel legit: impedimento currẽtibus, itineris labores subire non valent, vel Claudi, aut Cæci, de quibus eadem est Impotentiæ ratio.

Quartò *Ratione subiectionis*, vt sunt filij familias, & serui, qui ratione subiectionis, non possunt absque magno Parentum, & Dominorum præiudicio, iter arripere; cum sui iuris non est, nec esse potest, ideò impotentia laborant.

Quintò, *Ratione officij Temporalis, vel Spiritualis*, quando de magna absentia, timeretur ouium iactura, *ex cap. Ne pro dilatione, de Pœnit. & Remiss.*

Sextò, *Ratione Paupertatis*, hoc est, quando quis mendicationi non assuetus, se periculo exponeret. Vt si Romam peteret pro absolutione, filios in summa necessitate relinqueret; nisi fortè eos mendicando aleret, quia tunc continuaret, quod suum erat, vel nisi aliundè filij, eiusque familia graue nocumentum de eius absentia quaterentur. *Ità ex cap. Ea noscitur. de Sent. excomm.*

Septimò, *Ratione periculi Mortis in itinere*; putà considerata petentis conditione, Itineris longitudine, alijsque circumstantijs, arbitrio prudentis viri, periculum tale probabile diiudicaretur, ex quibus omnibus, alijsque similibus, *vera necessitas*, & *legitimum impedimentum*, probaretur, & induceretur Potestas Episcopi, quæ tacitè supplet in impeditis, quod faciendum erat à Reseruante.

Confirmantur hucusque dicta, Casuum, & Censurarum Reseruatio facta in vtilitatem fidelium, non videtur esse, contrà fideles legitimè impeditos, sed dumtaxàt contrà valentes petere, & non accedere præsumentes; ideò respectu impotentium, est alia Iuris dispositio, ex allatis capitibus, apud Bonac. *ibid. disp.* 1. his verbis: *Eos, qui ob Mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum ad illum, à quo aliàs absoluendi forent, recursum habere nequeunt; ab Alio à sententia Canonis, vel hominis absolui posse.* Tùm quia, si datis necessitate, & legitimo impedimento, quis adire cogeretur Reseruantem; duræ nimis essent Ecclesiæ leges, & Præcepta, contrà voluntatem Sponsi, dicentis: *Iugum meum suaue, onusq; leue*, & si quis de Suauitate diuinæ legis, vrgente necessitate, pro vitæ munimine furari posset, vel, vt meliùs dicam, se prouideri, nè pereat, absque labe peccati, eò quia de lege naturali apud Deum excusaretur; Cur legem Ecclesiæ, quæ sequitur suauitatem diuinæ legis, duram facere, & interpetrari velimus? ideo Potestati prædictæ non quiescentes; reseruationem non ad vtilitatem, sed fidelium detrimentum, & ruinam, arguerent, quod nefas esset. Tum quia si Pontifex casus & censuras, reseruare intenderet, etiam in casu legitimi impedimenti, id fortè exprimeret, exemplo Clem. viij. *& declar. S. Congregationis, 9 Ian. 1601.* vbi sic: *Ne quis vigore Priuilegij à casibus in Bulla Cœna contentis, vel aliàs à S. Apostolica reseruatis, in nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in Mortis Articulo absolutionis beneficium impendere audeat*; vbi sermo non est de Episcopis, vt monet Bonac. *ibid. n.* 20. §. *Addo in.* Qui per quandam Epicheiam in casibus impedimenti, & necessitatis probatæ, excommonicatum Papalem, & publicum absoluere possunt.

Ad-

Digitized by Google

Addit Bonac. id maxima circumspectione fieri debere, quod si impedimentum non fuerit perpetuum, debet absolui cum onere repræsentandi, quàm primum poterit. Tùm denique sicut explicare tenemur mentem Reseruantis esse iustam ad fidelium frenanda atrociora crimina; instàr eius iustitiam, pro admittendis legitimè impeditis, vt in õnibus sit Iustus, Benignus, Misericors, & Pastor sequens Christi (cuius vicem gerit in terris) mititatem, & benignitatem. In quam impedimentum debere esse legitimum arbitrio Prudentum iudicatum; Quo fundamento innituntur Doctores allati, nè dicerentur sperni potiùs, quàm explicare mentem Pontificis, in re tanti momenti, cum periculo Incursionis Censuræ in Absoluente, & nullitatis absolutionis in Absoluto, eiusq; desperatione salutis æternæ.

2 *Sed nùm Assertio habet locum, in Casibus, etiam Bullæ Cœnæ?*

Respondetur habere locum, cum citatis à Bonac. *d. loco n.* 22. Ratio, quia *Vrgens necessitas*, & *impedimentum* sunt exceptionis incapaces, & reseruationis expertes; immò si excepta forent, sensus exceptus esset non de veris *necessitate, & impedimento*, sed de fictis, vel conditionatis; qui enim est impotens petere Romam pro absolutione reseruatorum extrà bullam, erit pariter impotens, pro reseruatis intrà bullam Cœnæ.

3 *Sed nùm habet locum in Peccato Hæresis?*

Respondetur, cum distintione; si sensus est, de legitimè impeditis propter Mortis Articulum, posse Episcopum, sicut quilibet alius Sacerdos. Ratio, quia ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 11. in tali Articulo nulla reseruatio; iureque optimo, nè quod ad vtilitatem fidelium institutum est, in eorumdem vergeret damnum. Si verò impedimentum sonaret aliàs: non posse ob præsentiam DD. Inquisitorum, eorumuè Commissariorum, quibus concessa censetur facultas, vsuque recepta, & procedit nè dum de occulta, verùm de aperta, cum cautione non relabandi, vt fusè probat Emeritius. *in director. Inquis.* 3. *p. q.* 2.

Confirmatur ex decreto Clem. vij. *incipit, Cum sicut.* Refert Pegna *in director. Inquis. in fine*, vbi conceditur facultas DD. Inquisitoribus, eorumq; Commissarijs, prævia tamen hæresis abiuratione, seù promissione non relabendi, vt pariter refert Rodriq. *in bulla Cruciata*, §. 9. *n.* 66. Nec obstat *Const. Clem. viij. cum declar. Emin. Card. supra cit.* cum ibi interdicta est facultas Sacerdotibus Secularibus, & Regularibus, non verò Inquisitoribus; vt notauit Bonac. *de Censuris Bull. Cœnæ disp.* 1. *q.* 22. *p.* 2. *n.* 5. §. *Nec obstare videtur.*

4 *Sed quid, vbi non sunt Inquisitores?*

Respondetur, recurrendum ad Episcopum, qui tanquàm immediatus Pastor, pro suis ouibus suppleret absentium vices; nè per totum, via occluderetur fidelibus, & pateret aditus ad orcum. Quod est contrà leges reseruationis. ita DD. citati.

5 *Sed nùm hæc facultas ergà impeditos sit delegabilis?*

Respõdetur affirmatiuè: tùm quia facultas videtur concessa ratione officij, & dignitatis; ideò delegabilis, quapropter eius Vicarius specialiter ab eo delegatus, posset absoluere à prædictis reseruatis Papalibus, legitimè impeditos, vt docuere Sanchez, & alij *apud Bonac. d. loco. n.* 23. de quo meliùs dicam *postea.* 129.

6 *Sed nùm in absoluendo legitimè impeditos, Episcopus aliquid praduer-*

uerture debeat?

Respondetur 1. Impeditis ad tempus, absolutionẽ impẽdendam cum oneris impositione, vt quamprimùm poterint, se representent coràm eo, ad quem spectat, sub conditione reincidendi; si non adimplent, quod iniunctum fuerit: Impeditis verò perpetuò, videlicet Impuberibus, & Senibus, vel aliàs, absolutè elargienda erit Absolutio, præuia sola salutari pœnitentia, pro vt docent non pauci. *apud Dian. loc. cit. in fine*, & ipse dicam meliùs *potest. 6.*

7 *Sed nùm impeditus teneatur se præsentare personaliter; numuè per Procuratorem possit supplere onus impositum?*

Respondetur sufficere per litteras, vel per Procuratorem. Ita multi *apud Dian. p. 5. tom. 9. n. 6.* Quapropter non personaliter. Ratio quia Cautio illa non est directa, vt absoluatur, sed ad sistendum Subditum coràm Reseruante, qui ratã habeat absolutionem acceptam, ratione impedimenti.

8 *Sed nùm id facere tenebatur quãdo Pontificem adire non poterat?*

Respondetur, non teneri; quia existente legitimo impedimento recurrendi ad Papam, restituitur Episcopo, potestas Ordinaria, sublata ab illo per reseruationem; adeò quod si fuerit impossibilis aditus ad Papam, & ad eius legatum, aut alium habentem priuilegium possibilis, ad eos, non erit necessarius recursus, ratione qua reseruatio est de genere odioso, ideò strictè interpetrari debet. ex Corneio, Hurtado, & alijs *apud Dian.* ibid. *res. 6.*

9 *Sed cur in Bulla Cœnæ sit solus Mortis Articulus exceptus, & non legitimum impedimentum?*

Respondetur, quia Mortis Articulus determinatè scitur; Impedimentum verò indeterminatè, seù contingenter; ideò *primum* exprimitur; *secundum* verò tacitè intelligitur. Itidem primum constat de expressa, & explicita voluntate Reseruantis, ex alio cap. Trid. *sess. 14. cap. 7.* vbi vult in tali Articulo, nullam esse reseruationem. Secundum verò de implicita, attenta Reseruantis benignitate, & legis Ecclesiæ suauitate, vt dicamus reseruationem non ad detrimentum Animarum, sed ad terrendum fideles institutam; ideò nil ambigendum. cum citatis DD.

10 *Sed quinam absoluere possunt in Mortis Articulo?*

Respondetur, omnes Sacerdotes, etiam Censuris irretitos, vel degradatos. Ratio quia sollicitudo Animarum tollit omnem exceptionem in tali Articulo, ideò nullum impedimentum Ecclesiasticum habet vim in illo tunc; sed omnes Approbatos esse censentur. Nec obstat Sacerdotes esse hæreticos, pro quibus sancitum erat *in cap. Subdiaconus 24. q. 1.* Sacramentum ab Hæreticis (dempto Baptismate) *in periculo Mortis nullum effectum habere*, quia abrogatũ à *Trid. d. loco*. Vel dic, Textum intelligendum quandò timeretur peruersionis periculum, ex quo apud Bonac. *d. loco.* fit hæc sequela: Laicum non posse in Articulo Mortis absoluere; neque Diaconum. contrà *Dian. p. 8. tract. 8. res. 7. n. 7.* dicentem in tali articulo posse, nè dum Clericum verum quemlibet Baptizatum absoluere; quia capax Iurisdictionis Ecclesiasticæ. Ipse tamen teneo, quod si à laico, vel aliò à Sacerdote, fuerit censuræ absolutio data; debent hæredes post mortem defuncti postulare absolutionem ab eo, qui absoluere potest pro danda sepultura Ecclesiastica, & participandis Ecclesiæ suffragijs.

11 *Sed, an facultas concessa omnibus Sacerdotibus in Articulo extendatur*

ad

Digitized by Google

ad periculum mortis?

Respondetur extendi. Ità *DD. cit.* quorum ratio est, quia pro eodem sumuntur, modò periculum sit proximum, siuè à causa naturali, siuè libera ortum; putà si quis in Naui magna tempestate agitata inueniretur, vel ita vulneratus estaret, vt de plurium iudicio, de repente esset moriturus: Secùs si damnatus ad Triremes, vel leui fuisset vulnere affectus, nam huiusmodi diceretur in remoto periculo constitutus. Proindè docet Bonac. *d. loco. n. 2. §. Ex dictis*: absolui posse ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ constitutus in proximo mortis periculo; ob incendium; Prœlij conflictum, graue vulnus, inuasionem inimicorum, grauem morbum, Iudicis sententiam, primum partum proximè futurum, & periculosum, & longam nauigationem, non damnatus ad Triremes (vt dixi) nisi in magna tempestate; ità *cum Sanchez in opere morali lib. 2. c. 13. n. 4.* contrà Sà, *verb. Absolutio. n. 4.*

12 *Sed quid, si non exciperetur Articulus Mortis in Bulla Cœnæ.*

Respondetur cum multis communiter apud Vgolinum, pro vt responsum fuit de legitimè impeditis, suprà *n. 9.* pro quibus ratio dictat eandem fieri sequelam, propter eandem rationem, & Epycheiam, vel tacitam Pontificis voluntatem, quæ legem grauare non debet, sed leuitare, sectando Saluatoris oraculum: *Iugum meum suaue.*

13 *Sed quid, si Mortis Articulus fuisset expressè prohibitus?*

Respondet Bonac. *d. l. n.* 13. data rigida hac restrictione Absolutionem irritam fore, quia Iurisdictio absoluendi nō prouenit à solo Charactère Sacerdotali, sed ex delegatione Ecclesiæ expressa, vel tacita, quarum neutra est in dicta prohibitione; ideò: quidquid sit de illicita restrictione absolutio non haberet, vndè valida cohonestari. Audèrem tamen dicere absolutionem fore validam, & à consensu totius Ecclesiæ Cohonestatam; quidquid sit de ficta hac reseruatione, quæ semper cessat in dicto articulo.

14 *Sed an Absolutus in Articulo Mortis, teneatur (si conualuerit) absolutionem repetere?*

Respondetur negatiuè, cum *Nauar. c. 26. n. 26. apud Capiauill. de Cas. reser. tit. de forma Absolutionis*. Tùm quia Peccata, semel confessa, & remissa, non sunt iterum confitenda. Tùm etiam si semel legitima fuit Absolutio in illo articulo, in quo cessat omnis reseruatio Casuū quidquid sit de parère mandatis, non tenetur absolutionem repetere.

15 *Sed quid, si duo Sacerdotes essent, quorum vnus esset Approbatus, & alius non. Quisnam eorum impededere debet absolutionem?*

Respondetur, in tali Articulo vtrumque posse; Approbatumque esse, sed potior pars eligenda, & nulla alia currente causa, alter, qui minori impedimento fuerit obstrictus, absolutionem impendere debet, constituto in dicto Articulo.

16 *Sed quid significant illa verba in Bulla* Satisfacta parte?

Respondetur, sensum esse quando Pœnitens teneretur ad rem alienam, vel alterius famam furtim sublatam, quo casu Confessarius obstringere tenetur pœnitentem ante absolutionem, Parti quamprimum satisfacere; quod si aliquo euentu tunc fieri non posset: putà Parte longè distante, tunc pœnitens præstare debet fidem iuratoriam, aut pæcuniam deponere apud fidelem virum. Ità docet *Rodriq.* & fusè *Villalobos. apud Dian. p. 5. tract. 9. ref.* 1.

Addo quod si data tali cautione de parte satisfacienda, pœnitens redditur impotens ad satisfaciendum;

Digitized by Google

valida erit absolutio; id ipsum si pœnitens opinione probabili laboraret, se non teneri ad satisfaciendum. *apud Suarez disp. 7. sect. 5. & Turrianum de Cens. lib. 2. disp. 24. dub. vl. & sequ. Dian. d. loco. resol. 2.* Vbi fatetur se absoluisse quendam nominatim excõmunicatum vigore *Cruciatæ*, quia eius Aduocati aiebant, eum satisfacere non teneri. Secus si Confessarius non imponeret satisfactionem, quandò pœnitens teneretur, & posset. Tunc absolutio erit valida, sed illicita. Ratio quia forma præscripta in Rescriptis, Iubilæis, vel Bullis non irritat absolutionem, sed formam Iuris præstat seruandam à Confessario, qui non seruãdo peccat, contraueniens formæ traditæ in fauorem partis læsæ; non inde absolutio erit Irrita. Caueat tandem Confessarius punitionem, pro forma iuris violata; nam pars semper satisfieri oportet; vel ab ipso, vel à pœnitente. *Ita Tannerus, Faber, Auila, & alij apud Dian. ibid. res. 12.*

17 *Sed nùm Sermo factus, probabiliùs ad occulta trahi possit?*

Respondetur, immò fortiùs conuincere pro occultis, pro quibus nulla Tribunalium turbatio; ideò rationes factæ in fauorem impeditorum, pro absolutione Casuum, & Censurarum publicarum, maiorem habent vim pro occultis delictis. *Ita communiter.*

18 *Sed quìd, de legitimè impeditis etiam adeundi Episcopum?*

Respondetur, Pœnitentem accedere debere ad Parochum, & si difficilis esset aditus, ad quemlibet alium Sacerdotem; pro qua resolutione conuincunt illæ eędem rationes recitatæ, pro impeditis adeundi Pontificem, ob similem rationem, ideò similis dispositio. Ita substinent *Tannerus. tom. 4. dis. 6. dub. 6. n. 122. apud Dian. par. 5. tom. 9. resol. 6.*

§. *Nec desinam.*

De Episcopo Absoluente Maiorem Excommunicationem nemini Reseruatam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Maiorem excommunicationem nemini reseruatam.*

2 *Sed nùm possit dictam absolutionem impendere sibi tantum subdito domiciliario?*

3 *Sed, an huiusmodi absolutio possit elargiri, extrà Sacramentum Pœnitentiæ?*

4 *Sed, an prædicta Potestas se extendat ad Censuras, ab homine latas?*

5 *Sed, an absolutio impensa prodesset adhùc pro foro externo?*

6 *Sed quìd si Absoluẽs esset simplex Confessarius?*

7 *Sed quìd, de absolutione Censuræ ad Reincidentiam?*

8 *Sed quænam sunt Excommunicationes Iure nemini Reseruatæ?*

Potestas V.

1 Potest Episcopus absoluere sibi subditos ab omni maiori excommunicatione nemini reseruata, siuè illa sit intra, vel extrà Ius vagans, siuè lata per Pontificem, siuè apposita per Concilium. Hanc potestatem fatetur *Soto*, cum quamplúribus *apud Mirand. in Manual. Prælat. tom. 2. q. 35. ar. 19. concl. 3.* Probatur: Mos Pontificum est fer-

Digitized by Google

re excommunicationes, easq; quandoque reseruare S. Apostolicæ: quādoque non, pro vt constat de tenore, & clausulis interiectis: ex quo si erunt Papæ reseruatæ, intelliguntur interdictę alijs inferioribus Prælatis; sin autem, cadit eorum facultas absoluendi in habentibus ordinariam Potestatem suprà Casus, & Censuras. Hæc est igitur Regula. *Id quod non reseruatur, Ordinariæ potestati commissum est.* Cuiusmodi gaudent Episcopi, & omnes Alij Prælati inferiores habentes iurisdictionem in Oues sibi commissas.

Confirmatur; Excommunicationes sunt pœnæ peccatis grauioribus impositæ; ergo de natura sua cadunt sub Iurisditione illorum, quorum interest absoluere peccata, & ita non improbabiliter iudicarunt Doctores, Quemlibet Sacerdotem Approbatum ab Episcopo, posse dictas Censuras absoluere. Addunt tamen: si ita est Consuetudo in Episcopatu. *Ita Nauar. Sayr. Suar. & Alij citati à Barbos. de Potest. Episcopi p. 3. alleg. 50. n. 281.* quòd magis roborat positam potestatem.

2 *Sed num possit dictam absolutionem impendere sibi tantùm subdito domiciliario?*

Respondetur posse, etiam si Incola maneret ad tempus cum animo redeundi, modò habitatio non sit ad modicum temporis spatium, sed ad maiorem anni partem. *Ita Lellius Zech. de Casibus Episc. reseruatis, & Alterius de Cens. tom. 1. lib. 4. disp. 3. c. 1. vers. Episcopus.* Num autem sit idem iudicium à Sententia Iuris, siuè Communis, siuè Synodalis? dico magis habere locum. Sed caueat Episcopus, à sententia hominis, ex supra dictis. De subditis autē Episcopi satis agam *Potest. 85.*

3 *Sed, an huiusmodi absolutio possit elargiri extrà Pænitentiæ Sacramentum?*

Respondetur affirmatiuè, *cum Hurtado, apud Dian. p. 5. tom 9. res. 5.* Tum quia Iurisdictio, altera Sacramentalis, & altera tantùm Ecclesiastica; ergo separabiles. Tum quia Pœnitens enodatus à Censura ab Episcopo, remittitur ad Confessarium, vt à peccatis absoluatur; nam semel liber existit eundi ad Parochum, vel secundum consuetudinem receptam, ad quem maluerit habentem iurisditionem absoluendi à mortalibus. Docet atque *Diana ibid.* Episcopum procedere iure delegato in absolutione Censurarum nemini reseruatarum: *ex cap. Nuper. §. In secundo casu. De Sent. Excommunicationis.* Sed firmiùs tenetur, de Iure ordinario ob rationes assignatas supra in *d. cap. Nuper.*

4 *Sed an prædicta Potestas se extendat ad Censuras ab homine latas?*

Respondetur affirmatiuè, modò sit per modum statuti; vel legis, ob eandem rationem, quæ infert eandem dispositionem. Nec obstat afferre plura Iura asserentia censuras ab homine, dumtaxat absolui posse ab eodem, à quo feruntur. Tùm quia Censura sic lata per modum Statuti, generaliter æquiparatur latę à Iure, vel Potente legem conficere; ad differentiam censuræ specialiter latæ ab homine, cuius Tribunal turbaretur, si Alius absolueret; ita *Propositus 3. p. q. 1. de Cens. in communi. dub. 23. vbi num. 100.* adducit exemplum: Si Episcopus præciperet sub pœna excommunicationis omnes Beneficiarios residère, tunc Beneficiarius contrauenieus huic censuræ generaliter latæ per modum præcepti poterit absolui à quolibet Approbato Confessario. *contrà Suarez de Cens. disp. 7. sect. 2. n. 22. & alios.*

5 *Sed an Absolutio impensa prodesset adhùc pro foro externo?*

Respondetur affirmatiuè, modò Iudex ratam voluisset habere absolutionem datam, & validam, pro vt benè fieri potest à Iudice, cedendo Iuri suo, quòd valet, nisi damnum graue Parti inferretur. Confirmatur exemplo de absolutione data virtute Bullæ, Iubilæi, vel alterius priuilegij, quam multi Episcoporum in foro poli, & externi, ratam habere maluerunt. Ita docent *Baldus*, & *Coninch. de Sacram. disp.* 14. *dub.* 16.

6 *Sed quid, si absoluens esset Simplex Confessarius?*

Respondetur dicendo in casu quo simplex Confessarius absolueret vi Bullæ, vbi esset illa particula *in foro conscientiæ tantùm* adhùc posset Iudex ratam in suo foro habere talem absolutionem; ità multi quos notat, & sequitur *Dian. d. loco ref.* 13. Ratio dicti est, quia sensus restrictiuus illius particulæ (*in foro conscientiæ tantùm*) non se tenet ex parte pœnitẽtis, vt nõ possit eũ habere pro absoluto in foro externo, si Iudici placuerit: sed sensus est, vt Iudex possit semper de delicto cognoscere, & pœnitentem in suo foro punire, quia Iudex internus, externum turbare non valet, & placet quampluribus.

7 *Sed quid, de absolutione Censuræ ad Reincidentiam?*

Respondetur, absolutionem hanc, videlicet sub conditione de futuro: Vt *Ego te absoluo ab hac Censura, quòd si intra quatuor dies non satisfeceris, pro non absoluto habearis*: esse probatam, & communiter receptam, *ex cap. Præterea, 2. de Appellat.* vbi valida censetur, si Iudex contulisset, cum à nullo Iure prohibetur excommunicatio sub conditione, ad differentiam absolutionis à peccatis, quæ cum sit de iure diuino, absolutè impendi debet; illa verò de Iure Ecclesiæ; ideò transacta die, vel conditione non adimpleta, statim absque alia sententia censuratus existit. Ratio, quia producit effectum ad metam voluntatis ferentis. Ita *Hurtado de Excommunicatione disp.* 14. *diff.* 14. *n.* 114 contrà *Auilam de Censuris 2. parti cap.* 3. *disp.* 3. *dub.* 14 cuius sentent. probabilem habuit Propositus apud *Dian. ref.* 15. Vbi contrà Auilam ait: Potentem absolutè, posse ad reincidentiam absoluere, quamuis excommunicare non posset. *cum Suarez.*

8 *Sed quænam sunt excommunicationes iure nemini Reseruatæ?*

Respond. alibi, vna cum catalogo excommunicationum in fine Operis, prout reperi apud varios Auctores, vna cum excommunicationibus Papæ reseruatis, quæ hic breuitatis causa silentur.

De Episcopo Absoluente Maiorem Excommunicationem Papæ Reseruatam, sed occultam; & de modo tenẽdi in absolutione Censurarum?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere ab omni Maiori Excommunicatione Papæ reseruata occulta.*

2 *Sed quid, præmittendum à Pœnitentibus?*

3 *Sed quid, de Solemnitatibus in Iure?*

4 *Sed an omittens Solemnitates vitiet absolutionem?*

5 *Sed, an Solemnitates sint præmittendæ ad absolutionem minoris excommunicationis?*

7 *Sed quid, de forma seruanda in foro conscientiæ?*

8 *Sed quid, de formula seruanda, quando Casus fuerit publicus, & Pœnitens impotens adeundi Papam?*

9 *Sed quid, de eo, pluribus excõmunicationibus innodato?*

10 *Sed quid, de formula absolutionis ad Cautelam?*

11 *Sed quid, de formula Excommunicationis minoris?*

12 *Sed quid, de eo, qui non adeò certè fuerit intrusus?*

13 *Sed quid, de eo, qui uteretur alijs verbis in absolutione Censurarum?*

14 *Sed quid, de Petente absolutionem Censuræ, absque Criminis declaratione?*

Potestas VI.

1 POtest Episcopus absoluere ab omni Maiori Excommunicatione Papæ reseruata, sed occulta, vigore *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* hanc potestatem distinguere visum fuit à Secunda, & Tertia, vbi sub nomine Casus; non ita, quod ex parte Potestatis sit distinctio, cum nullum sit crimen, seu Casus Papæ reseruatus, cui non sit annexus Censuræ neruus; sed volui subnectere diuersitatem Censurarum, occurri solitarum, varijsq; modis cõtractarum. Quapropter illæ rationes, quæ dictas Potestates substinẽt sub nomine Casus, idipsum firmant præsentem, sub nomine Censuræ, propter identitatem, vtrorumque in reseruatione solita fieri à Sede Apostolica.

2 *Sed quid, præmittendum à Pœnitentibus?*

Respond. Pœnitentem Papali excommunicatione innodatum, duo præmittere debere, quorum primum est Iuramentum parendi mandatis Ecclesiæ, seù Absoluentis, *ex cap. de Cætero de Sent. Excommunicationis*, apud *D. Thom. 4. sent. dist. 18. q. 2. ar. 5.* Secundum est satisfactio pro damno illato; *ex cap. Solet ibid.* Refert *Antoninus 3. par. dist. 27. c. 77.* contrà Hostiensem, Primum, habet locum in peccatis enormibus, puta Incendiarijs, Falsarijs, Hæresiarchis, &c. ita *Siluester*, qui pariter docet, in his, absque huiusmodi iuramento validam esse absolutionem. Secundum, quando Pœnitens est certus de damno illato, Alias præstabit Iuramentum, vsque ad certitudinem. ita ex dictis Iuribus in 4. Potest.

3 *Sed quid, de Solemnitatibus in Iure?*

Respond. huiusmodi solemnitates esse verberationem excommunicati, factam virga, fune, aut flagellis in humeris denudatis, interim recitando Psalmum *Miserere*, vel alium pœnitentialem, Deinde Absoluens dicat; *Kyrie eleison &c.* & prosequatur formam infrapositam *n. 6. ita ex cap. à nobis de Sent. Excommunicationis*, quæ solemnitates non sunt præmittendæ in absolutione Secreta, vt notarunt *Siluester, & Nauar.* ob periculum Reuelandi Confessiones, & peccata; ideò textus interpetratur de publica, & Solemni absolutione.

4 *Sed; an omittens solemnitates in absolutione solemni, & publica Censurarum, vitiat absolutionem?*

Respond. negatiuè *cum Soto. text. 4. de Excommunicatione, Capiauill. de Casibus Reseruat. fol. mihi 72.* & Alijs; quorum ratio est quia dictæ solemnitates non sunt de Substantia, sed tantùm Ecclesiasticę formulę seruandę ad fideles terrendum; ideò earum omissio non est peccatum, sal-

saltem lætale; Immò, iusta causa intercedente, absente scandalo, nullum erit peccatum. Idcircò, si Pœnitens esset Mulier, eius humeri denudari non debent, propter honestatem, sed verberatio illa, super vestes largienda, secundum communiorem vsum.

5 *Sed, an solemnitates sint præmittendæ ad absolutionem minoris excommunicationis?*

Respond. negatiuè, ad differentiam, talem accidentalem, vt vult *Capiauill.* Maioris excommunicationis; propterea magis de plano procedendum in publica absolutione Minoris, ita DD. citati.

6 *Sed assignetur forma seruanda in solemni absolutione Excommunicationis?*

Respond. quando Ordinarius absoluit: quibusdam præsentibus hac forma vti debere, dicto Psalmo *Miserere*, *& Gloria Patri*, Pedester incipit *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. Pater noster Secreto.

℣. Et ne nos inducas in Tẽtationem.

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. Saluum fac seruum tuum.

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. *A facie inimici.*

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. Dominus vobiscum.

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

DEVS, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum. N. quem Excommunicationis sententia ligatum tenet; miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deindè.

DOminus noster Iesus Christus dignetur te absoluere, & ego authoritate eius, qua fungor absoluo te à vinculo Excommunicationis, quam incurristi (*ob hanc, vel illam causam*) in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ita apud Sorbo *V. Absolutio*, & *Rituale Romanum.*

7 *Sed quid de forma seruanda in absolutione, pro foro Conscientiæ?*

Respond. & quia peccata absolui nequeunt, nisi in foro interno, & Sacramentali, ideo quando, vna cum peccatis est annexa Censura, vna pariter cum illis in Sacramento Pœnitentiæ, omissis solemnitatibus, Confessarius vti debet forma communi Ecclesiæ, & absoluere, additis verbis: *& ego Authoritate mihi in hac parte commissa, & tibi concessa: Absoluo te à vinculo Excommunicationis, quam incurristi ob talem, vel talem causam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

8 *Sed quid, de formula seruanda, si Casus fuerit publicus, & Pænitens impotens adire Papam?*

Respond. publicam, cum, vel sine solemnitate. Ratio, quia publicitas Casus, exigit publicitatem absolutionis, faciendam ab eo, cui de Iure contingit, absoluere impotentes, iuxtà dicta Potest. 4. vbi diximus, quoad impeditos adire Ordinarium, tãquã tacitũ Papæ delegatum, ratione impedimenti, ducto argumento è naturali benignitate legis Ecclesiæ, eiusque Conditoris.

9 *Sed quid, de eo pluribus Excommunicationibus innodato?*

Respond. cum quampluribus Absoluentem debere omnes, & singulas in absolutione exprimere, sed melius cum *Nauar. cap. 26.* satis esse, vti solitis verbis, scilicet *Absoluo te*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

te ab omni vinculo Excommunicationis, cum intentione absoluendi omnes: modo, quo absoluuntur peccata num. plura, vnica absolutione, absque singulorum expressione, quod non improbabiliter dicitur.

10 *Sed quid, de formula absolutionis ad* Cautelam?

Respond. his verbis expleri: *Absoluo te à Vinculo Excommunicationis, si quam incurristi. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

11 *Sed quid, de formula Excommunicationis minoris.*

Respond. his pariter verbis: *Absoluo te à Vinculo excommunicationis Minoris, quam incurristi*, vel ad cautelam. *Si quam incurristi, propter talem, vel talem causam. In nomine Patris, &c.*

12 *Sed quid, de eo, qui non adeò certè fuerit incursus?*

Respond. in hoc casu nullas Solemnitates præmittendas *ex Nauar. d. l.* vbi docet solemnitates dumtaxat adhiberi Censuris indubitanter incursis, eo quia stricti Iuris. Vnum autem quod occurrit est; si Pœnitens fuisset Censura reseruata Papę, ligatus occultè, & immineret infamiæ periculum, si non celebraret, vel non communicauerit in Paschate, in hoc casu, quidquid *Soto, & Nauar.* dicant, communiter docetur posse celebrare, vel communicare, ad vitandam infamiæ notam, cũ proposito quamprimũ cõfitendi. Ratio, quia vrgens periculum est de Iure naturali, quod seruare tenemur, & præualet iuri positiuo Ecclesiastico, idipsum dicendum de Moniali; Censura Papali innodata, vt possit vnà cum Alijs Choro interesse, sicque de Alijs consimilibus casibus occultis, docet *Capiauill. d. loco. cap. 9. diff. 3. fol. mihi 6.*

13 *Sed quid, de eo, qui vteretur Alijs verbis in absolutione Censurarum?*

Respondent *Siluester. Nauar. & Couar.* validam esse; sed placet distintio communis, quando absoluens fuerit Papa, validam esse, dicendo *Benedico te; vade in pace, &c.* Secus si Alius. Ratio, quia forma tradita est omnino sequenda, & seruanda, de mandato eiusdem Ecclesiæ, ab omnibus sibi subiectis; ideò solus Papa potest vti alijs verbis; inferiores verò sequi tenentur formam ab Ecclesia signatam.

14 *Sed quid, de petente absolutionem Censuræ absque criminis declaratione?*

Respond. absolui posse, cum *Nauarr. apud Capiauillam d. loco de formis absolutionis cap. 10. q. 1. diff. 3.* & colligitur *ex Trid. sess. 4. c. 7.* ad differentiam absolutionis Sacramentalis peccatorum, quam Absoluens impendere non potest, absque criminum declaratione totali, facta voce, nutu, &c. ita *Soto in 4. dist. 18 q. 2. art 5.* Ipse autem magis securam teneo oppositam, sectando formam Ecclesiæ traditam: dicendo, *Absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem, vel talem causam.*

De Episcopo absoluente leuem Clerici percussionem?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Excommunicationem contractam ex leui Clerici percussione.*

2 *Sed quid, si percussio fieret non manibus, sed tantùm pedibus?*

3 *Sed quid, si intentio ferentis, esset grauis, sed percussio leuis?*

4. Sed

4 *Sed quid si intentio leuis, sed percussio grauis, & mortalis?*
5 *Sed quid ad cognoscendum clarius hanc leuem percussionem?*
6 *Sed num Episcopus possit hanc facultatem Alijs delegare?*

Potestas VII.

1 POtest Episcopus absoluere Excommunicationem contractam ex leui Clerici percussione. ita *ex cap. Praeuenit. de Sent. Excommun. & Extrauag. Ioan. 22. incipit Perlectis.* colligunt *DD. cum Panorm. apud Dian. p. 9. tract. 4. res. 47.* & ab hac excommunicatione in vtroque foro absoluit Episcopus. Eo quia ex supradicto cap. datur facultas. sic *Bonac. de Cens. extrà bull. Cœnæ Domini disp. 2. q. 3. p. 6. vers. 5. n. 3.* huius Potestatis intimus conceptus ortum habet ex declaratione percussionis vt sic: diuisæ in Leuē, Mediocrem, & Enormem, de qua pleniùs dicam: *p. post. Impot. 8. num. 1.* hic autem assero; Percussionem leuem illam censeri, quæ iudicio prudentis viri, non erit mediocris, vel enormis, quibus grauissima Clerico infertur iniuria; nam suggellatio Carnium, iudicatur mediocris, & euulsio membri cum copia sanguinis, grauis, seu enormis; quarum vtraque stat sub sola Potestate Supremi Pontificis, qui illas ad se reseruauit, vt meliùs dicam *p. post.* & in prædictis. leuis autem est, quando non absque culpa lætali iniuriatur Ecclesia in suo Clerico physicè, manu, pede, digitis, vel baculo, aliouè instrumento, & hæc Episcopali Potestati substat, prò vt praxis ipsa ostendit.

2 *Sed quid si percussio non fieret manibus, sed tantùm pedibus?*

Respond. incurrere; Ratio id connotat verbum illud (manus violenta) in Can. *Si quis suadente*, quod sonat pró qualibet iniuria phisicè facta in Corpore Clerici Deo sacrato, & ponitur; *Manus*, quia est instrumentum consuetum ad faciendam violentiam. Itaque si quis potum veneno mixtum daret, vel detineret in Carcere, vel insequeretur ad præcipitium, vel detineret violenter equum, vel clauderet cubiculum, indè vt nequeat sine magno dedecore exire; vel alia fieret actio iniuriosa; circà rem adhærentem, portantem, vel continentem Clericum, vel spueret in faciem eius, aut vestes eius dilaceraret, & simili, in materia, quæ peccatum mortale esset (sine quo non incurreretur censura) in excommunicationem incidere dicitur, ob actionem violenter illatam Clerico, siue immediatam, siue mediatam; quod totum sonant illa verba (*Inicere manus violentas*) apud Suarez *de Cens. disp. 72. sect. 1.* Reginald. *lib. 6. n. 205.* e contra verò is, qui contumelijs afficeret Clericum, vel inscium, aut dormientem expoliaret, lacerando vestes illi non adhærentes, vel per metum, non verò vi, aut tactu è fundo cogeret exire, vel esclopo explodaret pilam in eum, non tangendo illum, non incurrere, docuere multi apud Sà, *d. loco n. 2.* Sayr. *n. 26.* Filiucc. Coninch. Molin. *tom. 4. tract. 3. disp. 51.* & alij apud Bonac. *de Cens. extrà bull. Cœnæ disp. 2. q. 3. sect. 1. à n. 1.*

Dices, leuis percussio nunquam possit esse peccatum m. ob leuitatem culpæ, ergo.

Respond. illam particulam, *leuis*, percussioni adiecta, poni connotatiuè, per respectum ad mediocrem, & enormem, non verò significatiuè pro leui actione; etenim si leuis est in materia veniali, nulla fieret Cen-

suræ

Digitized by Google

furæ incursio.

3 *Sed quid, si intentio ferentis esset grauis, & percussio leuis?*

Respond. non incurrere, quia incursio non mensuratur ad metam actus interni, sed externi; ideò inuasor esset peccato mortali noxius, absque incursione Censuræ.

4 *Sed quid si intentio leuis, sed percussio grauis, & mortalis?*

Respond. videndum, ex quo capite; nam si ex Percutiente sciente, & ita incurreret, tanquam ille, qui scit ex leui ictu grauiter offendere, etenim ictus leuis factus in oculis, est grauis, etiam à leuiter iaciente, & intendente. Si verò ex Percusso per accidens accipiente ex se in Corde, vel capite ictum, quem dare in pede intendebat Percutiens non incurrit. Si demum ex circumstantijs, vel ipsa actione, erit relinquendum boni viri iudicio, nũ actioni correspõderet pœna lætalis, mensurando cum actione externa, excommunicationis neruum; nam Ecclesia actus internos non iudicat, sed iudicandos Deo relinquit, qui cor hominis respicit, Ecclesia verò faciem.

5 *Sed quid, ad cognoscendam hanc leuem percussionem?*

Respond. cum Bonac. d. loco. tribus ex capitibus colligi posse. 1. ex actione violenta. 2. eo quòd sit iniuriosa, & 3. eo quòd attingat materiam lætalem, absque macula in percusso, & 4. addo, quòd actio sit physicè attingens mediatè, vel immediatè personam Clerici. Actio enim sic vallata circumstantijs est materia, circà quam Episcopus Iure suo ordinario dexteram suam extendere potest.

6 *Sed num Episcopus possit hanc suam facultatem Alijs delegare?*

Respond. proculdubio posse, tanquam id, quod ei competit de Iure ordinario. Ideò Vicario eius Generali, vel cui maluerit delegare potest, apud Bonac. *d. loco. sect. v. punct. 6. num. 2.* Hinc innumeros perlegi, & inueni casus, apud Authores, quos diuidere fas erit in occursu aliorum casuum de percussione mediocri, & enormi, & de casibus licitis, quibus percussio Clericorum, fit absque incursione Censuræ. De percussoribus autem, & de his, qui veniunt nomine Clerici, alijsque consimilibus difficultatibus, in inferioribus Potestatibus *à Potest. 161.* dummodò satis fuit hactenus de ipsa actione, & materia leuis percussionis, breui calamo differere. Videto sequentem Potestatem.

De Episcopo absoluente Excommunicationem, contractam per violentam, sed leuem manuũ iniectionem in Clericos. Vbi de subiecto huius Censuræ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest Absoluere infrascriptos iniicientes leuiter manus violentas in Clericos, vel Monachos.*

2 *Sed quid, de percussione facta cum consensu Clerici percussi?*

3 *Sed quid dicendum de Clerico percusso præstante consensum?*

4 *Sed excipiuntur nè aliqui Casus?*

5 *Sed quid, nomine Clerici?*

6 *Sed num nomine Clerici veniunt suspensi, vel excommunicati?*

7 *Sed quando nam Clericus priuilegium canonis amittit?*

8. Sed

8 Sed quid nomine Monachi?
9 Sed quid de Religiosis equitibus?

Potestas VIII.

1 POtest Episcopus absoluere infrascriptos Inijcientes leuiter manus violentas in Clericos. Delucidatio Potestatis pendet ab explicatione subiectorum omnium, qui cadunt sub præfata censura, quiduè significet ly (Si quis) quæ Particula est multorum connotatiua *ex l. qui filiabus §. 1. ff. de legatis*, vt obseruauit. *Tiraquel. apud Bonac. de Censur. extra Bull. Cœna Domini disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. n. 1.* hanc octauam Potestatem subtexere placuit iuxta septimam, tanquam eius affinem, quoniam illa de sola actione iniuriosa: hic autem de subiecto huius excommunicationis, seu intrusos per iniectionem violentam; simul atque de obiecto, quiduè veniant sub nomine Clerici, vel Monachi. Quapropter dato septimæ, & octauæ Potestatis discrimine, ad intentum descendam; dicendo.

Primò: nomine Si quis. Venire generaliter omnes Baptizatos, dolique capaces, cuiuscunque sint dignitatis, & conditionis (Papa excepto.) Ratio cuiusmodi est: quia hæc censura est in fauorem Status Ecclesiastici lata, ideò omnes de Ecclesiæ cœtu, doliquе capaces comprehendit. Dixi doli capaces; quia Censura non nisi à dolosè mortaliter, & peccaminosè agentibus incurritur. Papam excæpi, quia cum sit Caput Ecclesiæ censuras ferens, non est censuræ subditus, ex quo ne dum Viri, verùm, & Mulieres comprehenduntur, cum illa particula Si *quis* vtrumq; complectitur sexum.

Secundò venire Collegia, vel vniuersitates, qui mandarent percutere Clericum. Ita quod si delictum patraretur à Collegio, ab omnibus, & singulis contraheretur censura. Ratio, quia mandatum fit à persona vera, & non ficta, cuiusmodi est communitas; propterea ab omnibus, & singulis contraheretur excommunicatio. Ita docuit *Betrazolio in l. Si quis c. de transact. apud Gratum dist. 250.*

Tertiò ipsos met Clericos se iniuriosè percutientes ex Ira, Odio, vel tædio vitæ. Modo tamen percussiones attingant grauitatem culpæ lætalis, excommunicationem incurrere. Secus dicendum si ob mortem Parentum, vel Inimicorum, barbã, vel capillos à se euellerent, seque percuterent, vel causa mortificationis, aut deuotione Passionis Christi flagellis percutirentur. Ratio primi est, quia illorum percussio iniuriosa facta est in perniciem priuilegij Status Ecclesiastici, cui Persona priuata non potest cædere. *apud Sayr. Auil. & Nauar. c. 27. n. 78.* Ratio secundi est; quia in huiusmodi non apparet iniuria, sed ob mortem Christi, vel Parentum compassio operatur.

2 *Sed quid, de percussione facta cum consensu Clerici Percussi?*

Respond. quod si percussio erit iniuriosa, ab incursione non excusatur percutiens. Ratio, quia consensus ille præstari nequit in præiudicium priuilegij concessi toti Statui Clericali; ideo per consensum personalem non cohonestatur percussio: quapropter si quis occideret, vel grauiter percuteret hominem fortè consentientem, tunc fieret iniuria Reipublicæ, à qua puniretur, & patibulo suspenderetur. Idipsũ de percutiente Clericum consentientem. *Apud Suarez tom. 5. disp. 22. sect. 1. n. 58.*

3 *Sed quid dicendum de Clerico percusso præstante consensum?*

Respond. huiusmodi Clericum *ex cap. si contingit* esse excommunicandum, non verò excommunicatum. Ita *in d. cap.* vt notauit *Suarez ibid. n. 57.*

4 *Sed excipiuntur nè Aliqui casus?*

Respond. affirmatiuè. Primò excusantur Percussores ab incursione Censuræ in percussione defensiua, v. g. sui honoris, Parentum, & aliorum, ob moderamen inculpatæ tutelæ, ita *Molina disp. 56. à n. 3. Nauar. Suarez, & alij d. loco.* Quorum Ratio efficax est, quia defensio est Vltio, seù violentia prohibita in dicto can. *Si quis.* neque iniuriosa, sed virtuosa, & defensiua de lege naturæ, ob quam licet vim vi repellere; etiam si Percutiens potuisset fugam arripere, si illa fuisset ignominiosa. Ex quo Fæmina suum honorem defendere non valens, nisi percutiendo Clericum aggressum ad eam, non incurrit. Secus si solis verbis potuisset euadi. *Nauar. ibid. n. 105. Auila, Suarez, Molina*, & Alij *apud Bonac. d. loco. sect. 6. n. 1.*

Secundò in Repulsione licita, quo repellens vteretur Iure suo, puta, quando quis Clericum repelleret è domo illa iniustè occupantē. Ratio, quia vnusquisque potest vti Iure suo, pro possessione suorum, ideò repulsio non dicitur actio iniuriosa, sed licita, obuiameundo iniuste occupationi, quam aliter euadere non posset. Apud *Molin. Siluest. de filiucc. tract. 15. cap. 1 n. 20.*

Tertiò in Correptiua percussione, qua Pater, Mater, Magister, vel Prælatus, non ira, vel odio, sed sola vi correctionis percutiunt Clericum, modo percussio non excedat limites correctionis; inde vt appareat fieri non culpa, sed in emendam errorum, sic *Molin. Regin. Filiucc. & Nauar. ibid. n. 82.* Ratio, quia prohibitio facta in fauorem Clericorum non habet locum ad iustas causas, quibus Clericus edoceri tenetur mores à Genitoribus, & Virtutes à Magistris. Immò hæ iustæ causæ ipsi fauent, vt licitè corrigatur; quo casu correctio est virtuosa ad vitia euellenda, virtutesque plantandas; sola enim prohibita est in can. *Si quis.* Actio peccaminosa, diabolo persuadente.

Quartò in Percussione, ex vehementi, & naturali passione, vt accidere solet, quando quis percuteret, vel occideret Clericum inuentum in peccato cum Vxore, Matre, Filia, vel Sorore percutientis. *Ex cap. Si verò de sent. excommunicationis.* Ratio, quia percussionem hanc persuadet vehemens passio; quæ difficulter temperatur orta ex iusto dolore. Ita *Molina tom. 4. de Iustitia, tract. 3. c. 3. n. 3. contra Siluestrū, & Nauar.* Casus autem non descēdit ad Clericum cum Consanguinea inuentum, vel alia inferioris ordinis, vbi dolor faciliùs comprimitur, & à nullo iure excusatur. Neque descendit ad Sponsam de futuro, vel filiam adoptiuam, *apud Sanchez de Matrimonio lib. 1. disp. 1.* sed nomine filiæ intelligitur vera, licèt illegitima, ita de alijs enumeratis. Addunt Doctores *apud Bonac. loco cit. n. 8* Nec oportet Clericum inueniri in actu turpi, vt in osculis, & tactibus, quibus suspicio apertè generatur *apud Siluestrum*, & sequitur *Coninch.* quòd non improbabiliter asseritur, ad hoc vt Percussor dicatur agere in sui defensionem; hos, & similes casus, vsque ad decimum tertium enumerat *Bonac. loco cit. sect. 8.* Alij plus minusuè, sed Reductiuè ad prædicta ex dicendis.

5 *Sed quid nomine Clerici?*

Respond. nomine *Clerici* gauden-

dentis priuilegio Canonis; venire hominem saltem prima Tonsura insignitum, & Clericali Militiæ ascriptum, modò gestet habitum, & Tonsuram; siue sit Clericus Sæcularis, siue Regularis, vel Monachus, ad quod declarandum Apponuntur hic verba textus in *in Cap. Si quis 17. q. 4. quæ sunt:*

Si quis Suadente Diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, Anathematis vinculo subiaceat. Et nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi Mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.

Ex quo patet Clericum, & Monachum expresè nominari, & sub nomine Clerici venit etiam Coniugatus, qui cum Virgine contraxit, modò deferat habitum, & Tonsuram. Ratio quia huiusmodi coniugatio non repellit priuilegium Canonis factum in fauorem Status Ecclesię; in quo statu ascribitur ab Episcopo ad inseruiẽdum Ecclesię, & procedit, etiam si dimiserit habitum, & pœnitentia ductus illum reassumpserit. *Apud Siluestr. V. Excommunicatio. 6. n. 4. Sayr. & alios.*

6 *Sed num nomine Clerici veniunt suspensi, vel excommunicati?*

Resp. proculdubio q̃d õnis qui percusserit Clericos excommunicatos, vel suspensos, seu verbaliter degradatos incurrit, etiam si excommunicatio procedat ex Contractione Matrimonij post susceptionem Sacror. Ordinum. Ratio quia licet hi alias incurrant pœnas, non amittunt tamen priuilegium Canonis, *ex cap. degradatio de Pœnis in 6. Molina tom. 4. disp. 56. n. 12. Nauar. Filiucc. & Coninch. apud Bonac. loco cit. sect. 3.* Cui non placet quando Clericus recepisset ordines ante Baptismum, quia inualidè: Sicut neque si Clericus sit bigamus. *Ex cap. Clericus. dist. 21. & cap. vnico, de Clerico coniugato De Bigamis in 6.*

7 *Sed quando nam Clericus priuilegium Canonis amittit?*

Respondetur primò, si fuisset Bigamus bigamia vera, & non ficta; de qua alibi *Potest. 147. & p. post. 85.* fusiùs cum *Sayr. cap. 27. n. 31.*

Secũdò Si Ter monitus habitũ, & Tonsuram non reassumpserit, *ex cap. Cum contingit 2. de sent. Excom.* Nec sufficit vna monitio pro tribus; vt obseruat Molina *ex Textu Ter à te moniti.*

Tertiò, si se intromiserit inormitatibus, vt crassando, & simili. *apud Molin. disp. 40. n. 54.*

Quartò, si Clericus coniugatus post Trinam in re factam monitionem, non destiterit ab officio Cauponis, vel Macellarij. *ex Clement. 1. de vita, & honest. Clericorum.* In his similibusque delictis, vel officijs, parum Statui Ecclesiastico congruis, statuit Lex Canonica priuare Clericos dicto priuilegio; ita quod si quis eos percusserit, anathematizatus nõ cẽseatur, ob amissionem priuilegij in persona percussa. De Clericis autem negotijs deditis secularib⁹; puta Procurationibus, & marcimonijs, dubium est, sed ad partem negantem amittendi priuilegium inclinat *Molina d. loco. n. 80. Suarez, Filiuc. & alij*, contra Nauar. *d. loco. n. 8.*

8 *Sed quid nomine Monachi?*

Resp. hominẽ illũ in aliqua Religione approbata in Cõmuni, & sub obedientia viuentem, *ex cap. Religioso de sent. excommunicationis*, qua sub tam lata definitione veniunt sequentes.

Primò nõ dum Religiosi, aut Religiosę in Monasterijs, verum, eorum-

rumque Nouitij, aut Nouitiæ, etiam si admissi fuerint ante annos pubertatis, modò non sint Infantes ante vsum rationis, *vulgò dicti oblati*, cum hi vera formalitate nouitiorum carent, apud Sanchez *in opere Moral. lib. 5. cap. 4. n. 14.*

Secundò, Tertiarij curæ, & seruitio Religiosorum addicti, vnà cum illis viuentes, habitumque deferentes. Ratio quia tales viuentes sub tecto agregatim participes fiunt suorabilium omnium eorum, quorum obsequijs se manciparunt. Tum quia sicut Religiosi pascuntur de illorum seruitijs; ita hi de eorum priuilegijs. *ex Rota* apud Nauar. *cap. 27. n. 76.* & Filiucc. *q. 4. n. 14.* cōtrà Caietan. & alios apud de Graff. Illi verò, qui extra collegialiter viuunt, etiam seruantes Regulam, sicut cæteri Religiosi, non gaudent illorum priuilegijs, nec consequenter hoc priuilegio Canonis.

Tertiò Eremitæ collegialiter viuentes sub obedientia alicuius Prælati, vel Episcopi gaudent dicto Canonis priuilegio, quia sic obtinuit vsus ex tacita voluntate Pontificis, qui specialiter in bonum propensiùs inclinatur; & licet illic nulla professio fit; est quædam similitudinaria Religio more Patrum Eremitarum constructa; ideò priuari non debent dicto priuilegio. Apud Nauar. *in Manual. c. 27. n. 70.*

Quartò, ōnes illi, qui assūpto habitu seruitijs, & obsequijs Monialiū se māciparunt, petendo pro eis eleemosinam. Ratio quia per id, quod gerunt, merentur vna cum illis ali in corporalibus, & Spiritualibus. Apud Bonac. *loc. cit. sect. 3. n. 10. §. hinc sequitur.* Adde tu modò viuant iuxta Monasterium eorum more.

Quintò, omnes Moniales, etiam Nouitiæ; earumque Conuersæ intrà septa viuentes. *ex cap. cum illorum de sent. excommunicationis.*

9 *Sed quid de Religiosis Æquitibus?*

Respond. illos omnes emittentes tria vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, gaudere priuilegio Canonis, cuiusmodi sunt: Æquites S. Ioannis, & Christi, vt voluit Molina supra *tract. 3. disp. 50. n. 5.* Æquites S. Iacobi, ex priuilegio communicent in priuilegio Canonis, & fori. Calatrauæ, & Alcantaræ, similiter S. Lazari, & Sancti Stephani apud Nauarrum *de Regularibus cons. 20.* Consuetudo locorum tandem est semper attendenda, quæ tanquam rerum Magistra; experientiæ ionita, quid faciendum explicat. apud Bonac. *tom. 3. mihi fol. 149.* vbi docet; quandoque vigère in fauorem; quandoque in contrarium apud Garziam *de Benef. 1. p. c. 14. n. 15.*

Primò selligitur ex dictis, omnes Christi fideles; dolique capaces, Collegia, & vniuersitates, mandantes, vel percutientes iniuriosè, iniuria, quæ peccatum mortale attingit, leuiter, idest absque macula in Corpore iniecta, vel relicta, siue illa sit manib⁹, pedib⁹, pugno, baculo, vel alio, quibus Iudicio boni viri, idest Episcopi iniuriatur Status Ecclesiasticus, in personā Ecclesiæ adictus; Clericum, siue Secularem, etiam consentientem, siue Regularem, Monachum, Tertiarium, vel Nouitium Conuersum, Monialem, earumque seruitas, modò vt infrà; Eremitas, & Æquites; excommunicationem incurrere Episcopo reseruatam, à quo absolutio demandari debet.

Secundò selligitur, omnes prædictos, percussores incurrrre; quando percussionum subiectum sit ex enarratis Clericis, vel Monachis, priuilegio Canonis fruentibus; nam incursio se tenet ex parte percussorum priuilegiatorum, pro quibus ob iniu-

iniuriam Statui Ecclesiastico factam, ita *in d. cap. Si quis* decretum, & definitum fuit; immò præfati propter quædam atrociora scelera, quibus splẽdor Ecclesię obscuratur, priuantur illo canonis priuilegio, quo casu Percussores nullam incurrerent censuram; eruntque sicut cæteri homines percutientes alios. Quod dictum est de leui percussione, Percussoribus, & Percussis, in casibus, quibus incurritur vel non; memoriæ habeatur pro percussione Mediocri, & Enormi, de quibus in sequentibus, ideò satis.

De Episcopo absoluente excommunicationem Reseruatam, contractam ex percussione Mediocri, & Enormi Clericorum, in casibus, vt infrà.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Percussores Clericorum ab Excommunicatione reseruata, contracta ex percussione Mediocri, & Enormi in casibus, vt infra.*

2 *Sed quid si dubium fuerit, num percussio sit leuis, vel grauis?*

3 *Enarrantur Priuilegiati in hoc Canone à num. 1. vsque ad 9.*

Potestas IX.

1 POtest Episcopus absoluere Percussores Clericorum, ab Excommunicatione Papæ reseruata, & contracta per percussionem Mediocrem, & Enormem, in casibus vt infrà. Huius Potestatis distincta, specifica, & indiuidua delucidatio pendet *ex dictis in 4. Potestate*, vbi fusè de legitimè impeditis, & vrgente necessitate in communi fuit clariùs exaratum; ideò hic silentur, quæ ibi prædicta fuere; ad cognoscendos ergo tales Percussores recurrentes ad dexteram Episcopi, est videndum, quid sit Percussio Mediocris, & Enormis.

Valdè placet quod communiter, dicitur diuisionem percussionis apud Canonistas in Leuem, Mediocrem, & Enormem esse arbitrariam, hoc est arbitrio Prudentis viri relictam vt fũdato, regulatoq; iudicio, quis apposit Iniurias Clericis illatas distinguere; propterea estò, verum sit, ex dictis percussionem alicui Clerico, pugno, palma, &c. violenter, & persuadente diabolo, absque tamen Carnium sugillatione, euulsione, membrorum, vel dentium factam, regulariter esse leuem. Tamen non ita verè, vt ex Circumstantijs à Prudente grauem iudicari non posset; etenim si quis Episcopo alapam, vel alteri personæ in dignitate constitutæ impingeret, percussio ratione personæ erit grauis; ratio, quia iniuria crescit ad dignitatem personæ iniuriatæ, ideò rimari oportet actionem, & subiectum, ad distinguendam leuem percussionem ab alijs. Quarũ prima subiacet Epi dexteræ, Aliæ verò sinistræ, nisi priuilegio impeditorum fruerentur, purgatur ergo dubium in sequenti.

2 *Sed quid si dubium fuerit, num percussio sit leuis, vel grauis?*

Respond. cum Extrauag. Ioan. 22. incipit *Perlectis* grauem diiudicari, hoc propter fauorem Status Ecclesiastici. apud Nauar. *in Manuali c. 27. à n. 90* Sic iniuria crescit

scit ad grauitatem obiecti, seù personæ iniuriatę, non ita, quod si percussio grauis facta fuerit, alicui pauperi Clerico censetur leuis, quia principium formale incursionis est priuilegij violatio in persona Ecclesiastica, quod æquè stat in omnibus, in quibus potest maiorari, sed non minorari; primum, quia sumus in fauorabilibus pro Clericis, Secundum non minoratur ad minoritatem personæ priuilegiatę. Indè vt pœnam magis terreant Percussores, estque finale intentum Ecclesię. Dubium igitur purgādū erit de iudicio prudentium, quibus innituntur DD. quorū hęc fuit nobis relicta regula: Percussionē Mediocrem illam esse, quę leuem, & enormem mediat, quaque, vel sugellatio relinquitur, dens extrahitur, capillorum multitudo euellitur, aut Sanguinis copia effunditur; eo quia his, & similibus, non parum dedecoris personę Ecclesiasticę infertur. Grauem verò iudicandam, qđo graui lęsioni coniuncta est, vt cum mutilatione Membrorum, cum magna Sanguinis copia, de vulnere illato, quod idem foret si parum sanguinis effunderetur ex vulnere, personis in Ecclesiastica dignitate constitutis iniecto, secùs si de leui percussione è naribus effunderetur, quia ex his solet sanguis effundi; ideò ex eo, non Enormis, sed leuis percussio diiudicanda, non ad mensuram sanguinis, sed actionis. Quorum grauitatem mentiere quidam afferendo, Alapam Clerico in publico, aut Monacho in Ecclesia, vel Sacerdoti, vestibus Sacris induto inflictam, aut à Satellite deferente Clericum, quasi vsurpando ius Ecclesiasticum, cum, auctoritatiuè percutiendo, esse grauem. Ita Nauar. Suarez, Molina, & Alij apud Bonacin. *de Censur. extrà Bull. Cœnæ disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. n. 56.* Sed Philiandro non placet. Mihi verò non displicet dictum de Satellitibus, & Sacerdote Sacris induto; pro quibus, Bonacinę adhęreo, magna enim in his conspicitur pręsumptio.

Ad intentum igitur reuertar, vel Percussores huiusmodi sunt occulti? vel publici? si primum, erit regulandum cum dictis in secunda, & sexta Potestate, atq; facultate Trid. qua vtuntur Episcopi in fauorem pcutiētiū occultè grauiter, vel enormiter Clericos: Si secundū, recurrendum ad 4. Potestatem, vbi de Casibus publicis Papalibus; quarè extra dubium est, non posse Episcopum huiusmodi Percussores publicè absoluere, nisi tamen fuissent legitimè detenti adeundi Papam, & tunc dupliciter, vel ad Tempus, sicque posita salutari pœnitentia, & pręstito iuramento de parere mandatis Ecclesię in sui repræsentatione; absoluitur, sicque Absolutus, impedimento temporaneo transacto, tenetur Papam adire sub pœna reincidentię, vt notauit Bonac. *loc. cit. n. 17. §. Aduertendum 1. & 2. & cap. eos, qui de sent. excommunicationis.* vel Perpetuò, & tunc absque iniunctione præcepti. Lege 4. *Potest.* vbi varij Doctores. Dubium verò cadit in his, qui priuilegiati dicuntur, vt possint absolui nullo dato Iuramento accedendi ad Papam, & de his in sequenti.

3 *Sed quinam sunt hi, qui perpetuò impediti excusantur adire Papam?*

Respond. cum Bonac. *d. loco. à n. 9.* & Barbos. *De Potest. Episcopi al. leg. 41. à n. 6.* & alijs clasicis nouem esse personarū genera excepta.

Primò, Collegialiter viuentes, se inuicem percutientes percussione Mediocri *ex cap. Quoniam De vita, & honest. Clericorum*, vt notauit Nauar. *in Man. cap. 27. n. 91.* Itaque

que duo Canonici se inuicem percutientes mediocriter in Ecclesia ab Episcopo absoluuntur, *ex eodem cap.* apud Guttier. *lib. 5. canon. n.* 18. de quo dicam Potest. x.

Secundò, Officiales Principum; turbam arcentes, & Clericos percutientes, leuiter vel mediocriter, absoluit Episcopus *ex cap. Si verò, de sent. excommunicationis* apud Suarez *disp.* 22 *à n.* 69. de quibus Potest. 11.

Tertiò, Inimici capitales cum Romæ existentibus; *ex cap. de Cætero de sent. excommunicationis*, de his Potest. 12.

Quartò, Filios Clericos impuberes, se inuicem percutientes, absoluit Episcopus. *ex cap. vltim.* apud Molin. *disp.* 69. de his *Potest.* 13.

Quintò, Infirmos, & valetudinarios, quacunque corporum impotentia impeditos, & vigore destitutos; absoluit Episcopus, vt notat Abbas, & Innoc. per textum ibid. in dicto *cap. quod de his.* Apud Carol. de Graff. *effectu.* 9. *n.* 162. de quibus *Potest.* 14.

Sextò, Mulieres cuiusuis sint ætatis, & Conditionis absoluit Episcopus, *ex cap. Mulieres de sent. excommunicationis*, de his *Potest.* 15.

Septimò, Existentes in Potestate alterius, vt filij familias, & serui modò graue damnum, inde paterentur. Secùs si secùs, *ex cap. Mulieres.* 6. *de sent. excommunicationis*, de his *Potest.* 16.

Octauò, Inopes tanta laborantes inopia, vt Romam petere non valerent. *ex cap. quid de his, de sent. excommunicationis*, de his *Potest.* 17.

Nonò Senes, Cæci, & Claudi, *ex cap. Ex noscitur. de sent. excommunicationis*, de quibus *Potest.* 18.

Hi omnes casus sunt; in quibus dicta personarum genera ex iuribus citatis videntur priuilegio impotentium gaudere, quousque Episcopalis Dextera absoluit; nullo onere, sed sola salutari pœnitentia iniuncta, pro vt aduertunt Doctores citati. Apud Bonac. *d. loco à n.* 13. Vnà cum Homobono, Durand. & aliis. At de his omnibus singulatim, per sequentes Potestates clariùs videbitur.



De Episcopo absoluente Clericos collegialiter viuentes se inuicem percutientes percussione Mediocri, & Enormi?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Clericos collegialiter viuentes, & se inuicem percutientes.*

2 *Sed nùm Potestas recurrat pro Monialibus, vel Conuersis in Monasterio Clericum percutientibus?*

3 *Sed quid de Religiosis Clericos seculares percutientibus?*

4 *Sed quid de duobus Religiosis eiusdem Cænobij rixantibus, & se inuicem percutientibus?*

5 *Sed quid de Religiosis diuersi Ordinis, & Conuentus?*

6 *Sed quid de iniuriosa Altercatione facta inter Superiorem, & subditum se inuicem percutientes?*

7 *Sed quid si fortè in casu præfato nullus alius fuerit Sacerdos?*

8 *Sed quid si Prælatus non fuisset Sacerdos?*

Potestas X.

Potest Episcopus absoluere Clericos

eos collegialiter viuentes se inuicem percutientes, percussione mediocri, & enormi ab excommunicatione Papali, quam incurrunt; ita *ex Decretal. cap. quoniam de vita, & honestate Clericorum*. Apud Nauar. Bonac. & alios Potest. 4. citatos. Ratio decretalis est, nè dismembretur Collegium, neuè laudes Dei, eiusq; officia qualibet de Causa destituantur; ideò illos priuilegiatos voluerunt SS. Pontifices, cuius vices supplere placuit Episcopum viciniorem, quod per extensum habet Guttier. *d. loco cit. lib. 5. canon. n.* 18.

2 *Sed num Potestas recurrat pro Monialibus, vel Conuersis in Monasterio Clericum percutientibus?*

Respond. proculdubio Adiliusq; recurrere, si Moniales se inuicem percusserint, vt ab Episcopo in cuius Diæcesi sita sunt Monasteria absoluantur, *ex cap. de Monialibus*. Apud Boss. *in discept. Morali discept. 1. n. 29.* quod etiam procedit de exemptis; apud Barbos. *de Officio & Potest. Episcopi alleg. 41. n. 19.* Quorum subiuncta ratio est. Quia earum sexus, & vita in Monasterio arguunt impotentiam vltrà Priuilegium, igitur.

3 *Sed quid de Religiosis, Clericos seculares percutientibus?*

Respond. absoluendos à propriis eorum Prælatis, ob exemptionis Priuilegia; quorum vigore, quod inerat Episcopis, datum fuit eorum Prelatis, qui dicuntur habere auctoritatem quasi Episcopalem: vel de illorum licentia ab Episcopo loci, tum quia exemptio est de iure libero, & quandoque cedere possunt Exempti, recurrendo ad Prælatum communem Episcopum; idipsum, si Superior absolutionem iniustè denegaret, tunc absolutio impendi potest ab Episcopo. Ratio quia exemptio non est ad ruinam, sed constructionem Ecclesiasticæ hærarchiæ, quam roborat, & munit Episcopus; Cõtra alios nolentes, quare detentio iniusta Prælati occurritur ab Episcopo; nè subdito ob Prælatorum tenacitatem detur vagandi, & relaxandi occasio. Secùs si Prælatus iustè denegauerit. apud Bonac *de Censur. extra Bull. Cœnæ Domini disp. 2. q. 3 p. 6. sect. 5. n. 9. §. Si verò.*

4 *Sed quid de duobus Religiosis eiusdem Cænobij rixantibus, & se inuicem percutientibus?*

Respondetur, quando rixa fuerit intra Claustra, vt crebriùs accidere potest; absolutionem ad eorum Prælatum spectare. Si verò extra Claustra non desunt asserentes, impendendam ab Episcopo, sed veriùs à suo Prælato. Ratio quia exẽptio non alligatur claustris, sed personis. Nec obstat dictum *in cap. Moniali*. Vbi ponitur ly *in Claustro*, cum hoc positum sit pro eo, quòd accidere solet. Verùm quippè Religiosos posse ab Episcopo puniri, quando deliquerint extrà Claustra; non quidem absolutè, sed postquã missi fuerint ad Superiorem puniendos, & certus de illius negligentia, quod non currit pro casu proposito. Vide *Barbos. d. loco.*

5 *Sed quid de Religiosis diuersi Ordinis, & Conuentus?*

Respond. absolutionem imperti-ri, vel ab Ambobus eorum Prælatis, ita quod vnusquisque suum absoluat subditum, vel ab alterutro, altero volente. Ratio primi dicti fundatur in iurisdictione, quam habet quilibet Prælatus ergà suum subditum. Ratio secundi, quia alteruter potest suas vices alteri concedere, maximè quando sũt de genere delegabili. Ita Molina, Sà, & alii. Apud Bonac. *d. loco. c. 9.*

6 *Sed quid de iniuriosa altercatione fa-*

facta inter superiorem, & subditum, se inuicem percutientes?

Respond. posse tunc Superiorem ex priuilegio, suas alteri Sacerdoti committere vices, vt absoluatur; sicq; absolutus, subdito, cum quo fuit rixatus potest absolutionē impendere. Ratio, quia estò Superior excommunicatus iurisdictionem exercere nequit, adeoque nec absolutionis exercitiū habere; potest nihilominus suas committere vices, quas habet in actu primo, quasq; non amisit per censuram, quo casu non dicitur exercere, sed committere, vt exerceatur per alium facultas illa, quæ inest Prælato impedita per censuram in actu exercito. DD. citati.

7 *Sed quid si fortè in casu præfato nullus alius fuerit Sacerdos?*

Respond. Nō deesse dicentes cum Coriolano apud *Barbos. de Episcopo Alleg.* 41. *n.* 17. posse in casu excommunicatum absoluere, defectu alterius Sacerdotis, & in casu verè necessitatis, pro vt dictum est de Constitutis in Articulo mortis absoluendis adhùc à censuratis. At occlusa qualibet via, ad eorū propriū superiorem; melius erit ad Episcopum recurrere, cuius defectu, locum si vindicare potest doctrina Coriolani.

8 *Sed quid si Prælatus non fuisset Sacerdos?*

Respond. quod si fuerit tot Vallatus impedimentis, quodue nullus alius sit Sacerdos, ius particulare exemptionis reducitur ad Ius commune, propter quod recurrendum ad Episcopum, ad quem si aliàs, ita nunc non valens aliter facere. DD. citati.

De Episcopo Absoluente Officiales Principum Turbam arcentes, & Clericos percutientes, percussione Mediocri, & Enormi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Officiales Principum Turbam arcentes, & Clericos percutientes, percussione mediocri, & enormi.*

2 *Sed quid de Officiali petendo Romam, parum damni esset domino suo?*

3 *Sed quid si fortè damnum non erit præsens, sed imminens?*

4 *Sed quid si Dominus haberet vndè posset reparare damnum illatum?*

5 *Sed quid de Domino eiciente officialem factum reum?*

Potestas XI.

1 Potest Episcopus absoluere Officiales Principum, Turbam arcentes, & Clericos percutientes, percussione mediocri, & enormi ab excommunicatione Papali reseruata, quam incurrunt, *ex cap. Si quis.* Multi *ex cap. Si verò, de sent. excommunicationis* apud Suar. *disp.* 22. *à n.* 69. & quia hoc luce clarius ex dictis *Potest.* 9. ideò quædam dubiola explanabimus nobiliora, & practica ex hac Potestate scatentia.

2 *Sed quid de Officiali petendo Romam, parum damni esset domino suo?*

Resp. Causa cessante, quoq; cessare suum effectum. Etenim Priuilegium officialium est Correlatiuum cum damno inferendo, ratione cuius ritè dispositum est: Officiales esse de legitimè impeditis, atque adeò priuilegiatos. Quapropter si damnum il-

Digitized by Google

laturum nō immineret, neq; deberet quis attidere legem rigorosam adeundi Pontificem. Quibusdam non placet hæc responsio; quoniam ait Bonac. *de Censf. disp. 2. quæst. 3. p. 6. sect. 5. num. 17.* si tales officiales, seù Principum ianitores gaudent semel priuilegio, ergo semper etiam non data causa, priuilegiati semper erunt; nam & si de natura priuilegii est habere causam in suj concessione. In vsu tamen est immunis ab illa.

At pro defensione primæ responsionis inquam; priuilegium ita dictum apud Bonac. d. l. pro Officialibus non esse imperratum, & concessum à SS. Pontificibus, sed tantum *secundum dici*, modo quo omnes impotentes seruare legem, dicuntur legitimè impediti, seù excusati; ideò priuilegiatos nominare solemus recensitos officiales, tanquam impotentes. Quare nulla data causa damni illaturi, vel inferendi ob eorum absentiam, nullum erit priuilegium, & dicti officiales communi lege, arcentur Papam adire. DD. apud Bonac. d. loco.

3 *Sed quid si fortè damnum non erit præsens, sed imminens.*

Respond. Priuilegium recurrere, quia *in cap. præfato* non distinguitur damnum præsens, vel imminens, quod causari potest etiam à longa seruorum, vel officialium absentia; quod non est simpliciter carère impedimento.

4 *Sed quid si dominus haberet, vndè posset reparare damnum illaturum?*

Respond. Dominum non teneri, nisi fortè nollet vti Iure suo, at officialis adhuc remanet in suo priuilegio, cum non sit ab alio, quam à lege canon. exceptus, tanquam impotens; ideò tergiuersioni non est locus in damnum illius.

5 *Sed quid de Domino eijcente officialem factum Reum?*

Respond. seruum non teneri Papam adire, quia semel factus priuilegiatus, tempore officij, non debet per insidiam Heri sui, suo iure priuari. Quamobrem si Princeps scrupulis laboraret, scrupulorū damnum non debet vergere contra seruum, qui vnà cum alijs in vniuerso participat fauorem communem; immò bonus, & scrupulosus Princeps, non sinit quod iustum est, nec debet Iure carère suo, potiùs, quam à se tentatus, Officialem suum priuilegio priuare. Supponitur enim scrupulosum esse charitate præditum, ideò in dubijs consulere debebit probos viros, & audire; indè ne via scrupuli, sit fraus in proximo suo.

De Episcopo Absoluente Excommunicationem reseruatam, & ad forum contentiosum reductam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata, cōtracta ob percussionem mediocrem, vel enormem; & reducta ad forum contentiosum. Omnes capitaliter inimicos eum illis Romæ existentibus.*

2 *Sed num habet locum in illis de se operam dantibus dicta inimicitia?*

3 *Sed quid si inimicitia fuisset tantùm ordinaria, & non capitalis?*

4 *Sed ex quibus capitibus oriri potest inimicitia capitalis?*

5 *Sed quid de operam danti leuiter Romæ existenti, qui esset homo furiosus, ex quo timeretur mors?*

6 *Sed quid de fautoribus?*

7. Sed

Digitized by Google

7 *Sed quid de inimicitia graui, in perſonam parui momenti?*

Poteſtas XII.

1 POteſt Epiſcopus abſoluere ab excommunicatione Papæ reſeruata, contracta ob percuſſionem mediocrem, & enormem Clericorum, ad forum contentioſum deducta, omnes capitaliter inimicos, cum Romæ exiſtentibus: ita *ex cap. de cætero. de ſent. excommunicationis* apud Doctores *in 9. Poteſt.* citatos. Quorum ratio, quia incredibile eſt Pontificem velle fideles ad ſe pro abſolutione venire, & occurrere necí per aduentum Romæ, ideo ad mortem vitandam capitaliter inimici, tanquam impotentes adire Romam, ad Epiſcopum recurrere debent, & ab eo abſolutionem recipere.

2 *Sed num habet locum in illis de ſe operam dantibus dicta inimicitia?*

Reſpond. locũ ſibi vindicare: nam & ſi diuerſæ ſunt rationes in fieri, tamen poſtquam factum ſit, eadem ſunt emergentia. Ad igitur vitanda euitabilia, mortemque præcauendam, in tali inimicitia capitali, verè impedimentum naturale, & legitimum inducitur *ex cap. præfato.*

3 *Sed quid ſi inimicitia fuiſſet tantum ordinaria, & non Capitalis?*

Reſpond. Saluo mortis periculo certo, vel dubio, ſemper teneri adire Pontificem; quoniam capitales inimicitiæ ſunt indultæ *in d. cap.* idcircò ordinariæ pro non indultis extimantur. *Dixi dubio*; nam in extimatione num fuerit talis nec nè, potior pars eſt eligenda in fauorem cauſæ finalis, pro qua recurrit facultas ad vitæ conſeruationem, mortemque vitandam.

4 *Sed quibus ex capitibus oriri poteſt inimicitia capitalis?*

Reſpond. ex multis dignoſci poſſe. *Primo* ex lite ſuper bonis omnibus, vel in parte, ex Viuian. *tom. 5. de communi opinione lib. 4. tit. 10. n. 137. Secundo* ex Accuſatione criminali, apud Hippol. *conſ. 8. n. 7. Tertio* ex verbis contumelioſis, & iniurioſis in quibus ſæpius ira creſcit, & inimicitia inſurgit. apud Viui. *ibid. n. 4. Quarto* ex quæſtionibus ſtatuum, & ſimilibus.

5 *Sed quid de operam dante leuiter Romæ exiſtenti, qui eſſet homo furioſus, ex quo timeretur mors?*

Reſpond. attenta qualitate perſonæ exiſtentis Romæ, non teneri excommunicatum illò adire; nam cauſa finalis exiſtit, vel imminet ex tali furioſa perſona, quæ occaſionata leui qualibet iniuria, fortè occideret euntem, & ad eum accedentem, eſtq; quod Eccleſia vitare prætendit. Cum in hoc non attenditur ex quo, ſed ad quem locum accedit. DD. in 9. Poteſt.

6 *Sed quid de fautoribus?*

Reſpond. ſi obeundo illis imminet Mortis periculum, tales non teneri Romam petere; nam quandoque offenſos accidit plus ira accenſos eſſe erga fautores, quam verſus Principales; ideo conſulendum probis viris, de quorum conſilio ad metam periculi erit iudicandum; nam idem de fautoribus dicendum, quod de inimicis, quando eadem cauſa finalis pro vtriſque recurrit.

7 *Sed quid de inimicitia graui, in perſonam parui momenti.*

Reſpond. teneri extra forſan adire Romam; quia certum, vel fortè nullum erit imminens periculum, aut mortis, damnum, ex quo cenſuratus, priuilegio excuſationis poſſet gaudere. Nec dicas; inimicitiam eſſe verè grauem, quia excuſatio magis

se tenet ex parte periculi, quo cessante, cessat quoque impeditorum priuilegium. Ita enim sonant verba *Capitalis Inimicitia*, apud citatos supra.

De Episcopo absoluente, ab excommunicatione Papę reseruata deducta ad forum cōtentiosum, filios impuberes Clericos percutientes.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere filios impuberes, percutientes mediocriter vel enormiter Clericos ab excommunicatione Papali, & reducta ad forum contentiosum.*

2 *Sed quaenam sit aetas pubertatis?*

3 *Sed quid si delictum fuisset patratum tempore impubertatis, & absolutio postularetur tempore pubertatis?*

4 *Sed quid de iuuenibus?*

Potestas XIII.

1 POtest Episcopus absoluere filios impuberes percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos, ab excommunicatione Papali, & reseruata, deducta ad forum contentiosum, ita *ex cap. vl. de sent. excommunicationis*, recenset Molina *disp. 69*, apud DD. 9 Potest. citatos. Cōstruitur Potestas supra Teneritatem aetatis, quae arguit veram, realemq; impotentiae rationem; vt possint filii impuberes priuilegio impotentiae frui. Inspice mitem Ecclesiam, quae flectitur ad teneritatem filiorum impuberum, pro quibus reseruata ad Pōtificem ad Episcopum relaxat, indulgendo rigorem legis, ne Romam petere fatigant, sed Episcopum adeant pro absolutionis beneficio.

2 *Sed quaenam sit aetas Pubertatis?*

Respond. Mares dici impuberes ante annum 14. Foeminas verò ante 12. at quia feminae aliundè ratione sexus sunt priuilegiatae; ideò sensus Potestatis tantùm est de Maribus. Adde modo Mares sint doli capaces, nam si incapaces, nec excommunicationis gladio feriuntur, quia haec Censura audaces, & temerarios ferit. Apud Facundez *in 5. Ecclesiae Praeceptis p. 2. lib. 1. & 3. n. 52.* lege Bordon. *in Controuers. Moral. controu. 10. de excommunicatione*, vbi defendit impuberes non incurrere.

3 *Sed quid si delictum fuisset patratum tempore impubertatis, & absolutio postularetur tempore pubertatis?*

Respond. Priuilegium impotentium impuberum continuari, quod si factum fuit tempore impotentiae, & impubertatis, ex tunc incipit gaudere priuilegio illius temporis, & per accidens postulatur absolutio alio tempore; sic *ex d. cap. vl.* apud Bellett. Graff. Ricci. quos refert Barbos. *de Episc. Alleg. 41. n. 202.* & Bonac. *de Cens. extra Bull. Coenae Domini disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. n. 12. §. quintus casus.* Verū nō improbabiliter dixerunt aliqui priuilegium sequi tempus absolutionis, & non culpae.

4 *Sed quid de Iuuenibus?*

Respondent quamplures, apud Molin. & Suarez *de legib. disp. 2. n. 67.* relati à Bonac. loco. cit. quoque gaudere priuilegio impuberum. Ratio quia iuuentus excusat, vt ipse

non

non admitterem tale dictum, nisi iuuentuti cohererent aliæ circumstantiæ, puta itineratio periculosa, nimia debilitas, iuncta cum mala itineris conditione, quam non posset iuuenis sufferre, mare naufrago nauigando, & simili, at simpliciter ex sola iuuentute non placuit quampluribus excusatio.

De Episcopo absoluente infirmos, & Senes percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos, ab excõmunicatione Papæ reseruata, & ad forũ cõtentiosum deducta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere infirmos, & senes percutientes Clericos mediocriter, vel enormiter ab excommunicatione Papæ reseruata, & ad forum contentiosum deducta.*

2 *Sed quanam debet esse hæc infirmitas?*

3 *Sed quid de Valetudinarijs?*

4 *Sed quid de laborantibus febre quartana, tertiana, vel malis Chiragræ, vel Podagræ?*

5 *Sed quid ad cognoscendum infirmos verè impotentes?*

6 *Sed quanã ætate dicuntur homines senes?*

7 *Sed quid si fortes fuerint ad ambulandum?*

Potestas XIV.

1 POtest Episcopus absoluere infirmos, & senes percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos, ab excommunicatione Papæ reseruata, & deducta ad forum contentiosum. Ita *ex cap. quoniam multis* apud Abb. & Innoc. vt refert Carolus de Graff. *effect.* 9. *n.* 162. cum quampluribus alijs. In hac Potestate erit primo disserere de infirmis, & deinde de Senibus, qui vnà simul in hac potestate positi videntur gaudere impotentium priuilegio. *ex cap. ea noscitur, & quoniam de sentent. excommunicationis.*

2 *Sed quanam debet esse hæc infirmitas?*

Respond. illam equidem, quæ iudicio Medicorum graue periculum minaretur in ægro, siue illa sit perpetua, siue temporalis, apud Rolandr. *consil.* 20 *n.* 20. *ex lib.* 3. de Graff. *effect.* 9. *n.* 162. Vis priuilegii fundatur in natura infirmi quæ itinere arrepto magis infirmaretur. Vult enim Ecclesia vires, & valetudinem in hominibus, vt sint ipsis, & Deo vtiles, nam inutiles, & infirmi, nec sibi, neque alijs deseruire possunt. neque mortui laudabunt Deũ, sed nos qui viuimus. *Psaltes.*

3 *Sed quid de Valetudinarijs?*

Respond. gaudere eodem impeditorum Priuilegio, propter subsistentiam Causæ finalis, quæ est mortis periculum, ideo magna cautio adhibenda valetudinarijs, quibus omnis ventus est ignis, apud Siluest. Bon. Sayr. & Graff. quos refert, & sequitur Barb. *de Ep. alleg.* 41. *n.* 151.

4 *Sed quid de laborantibus febre tertiana, quartana, vel malis Chiragra, aut Podagra?*

Respond. vna cum impotentibus Romam petere connumerari in dictis cap. & DD. Ratio quia hæ infirmitates magis, magisque reddunt corpus infirmatum, quàm febris ordinaria; imò in prædictis malis Podagræ, & Chiragræ nulla spes

va-

valetudinis, quia inueteratum naturæ malum, seu hereditarium à Medicis vocatur, eo quia adhuc ad posteros descendit.

5 *Sed quid ad cognoscendum infirmos verè impotentes?*

Respond. Regulandum consilio Medicorum, quibus erit efformare iudicium rectum, iuxta vires impotentiæ temporaneæ, vel perpetuæ, illudque Episcopo præsentare, cui erit admittere, vel respuere, pro vt sibi in domino videbitur expedire, apud Farinacc. *in praxi Criminal. p. 2. q. 76. n. 90.* Menoch. *de Arbitrar. cas. 60.* Vide 4. *Potest.* vbi de debilibus, claudis, & cæcis §. Tertio.

6 *Sed quanam ætate dicuntur homines senes?*

Respond. cum Farinacc. *d. l. p. 3. q. 92. n. 12.* Senes dici ab anno 50. ad 70. & Paleot. *in speciali tractatu de Senectute*, Multa senium priuilegia enumerat. Placet tamen melius sentire, Senes esse ab anno Sexagenario, ex quo verè Senes dicuntur, & impotentes adire, quidquid sit pro alio significatu; & ita Constituti in tali ætate adire possunt Episcopum; ostendendo eorum impotentiam, & gaudere de priuilegio impotentium, *in d. capite*, estque securior opinio propinquior causæ finali. Apud Doctores citatos.

9 *Sed quid si fortes fuerint ad ambulandum?*

Respond. neque teneri priuilegium relinquere, eo quod illa non est vera, & realis fortitudo fundata in vitæ viriditate, sed apparens, seù bona complexio in ætate caduca, apud Siluestr. *v. absolutio n. 31.* & Flam. *lib. 5. q. 6. à n. 4. & q. 3. à n. 41.* asserit Senectutem, & morbum à pari procedere; immò Senes dicuntur perpetuò infirmi, ob quod ab Ieiunij præcepto excusantur. Vide Sūm. Dian. *v. Ieiunium n. 15.*

Quod dictum est de Senibus; dicatur de Cæcis, & Claudis ob vniuocas rationes.



De Episcopo absoluente Mulieres percutientes Clericos mediocriter, vel enormiter ab excómunicatione reseruata Papæ, & deducta ad forum contentiosum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Mulieres percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos ab excommunicatione Papæ reseruata, & deducta ad forum contentiosum.*

2 *Sed quid de percussionibus homicidio annexis?*

3 *Sed quid si sint diuites, Romam commodè petere valentes, & absque periculo?*

4 *Sed quid de Mulieribus Romæ propinquis?*

5 *Sed quid nulla data causa finali eas excusante?*

Potestas XV.

1 Potest Episcopus absoluere Mulieres cuiuslibet sint ætatis, & conditionis, percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos, ab excommunicatione Papæ reseruata, & deducta ad forum contentiosum. Ita ex *cap. Mulieres de sent. excommunic.* apud quamplures 9. *Potest.* citatos. Prob. Indulta facultas Episcopis est habita circumspectione

ad

ad sexum fœmineum, qui nisi cum periculo vitæ, & famæ, consortium virorum iter arriperent, ad vitandam igitur famæ iacturam, & conseruandum Muliebre decus, ita in d. cap. fuit decretum. Valetque hoc etiam si Mulieres sint aptæ, & idoneæ ad iter agendum, cum indultum se tenet pro sexu, & honestate, & non in idoneitate.

2 *Sed quid de Percussionibus homicidia annexis?*

Respond. quoque locum sibi vindicare priuilegium radicatum in honestate Muliebri. apud Bonac. *de Cens. extra Bull. Cœna Domini disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 5. n. 13.*

3 *Sed quid si Mulieres sint diuites Romam commodè, & absque periculo petere valentes?*

Respond. Semper sui iuris esse gaudere priuilegio respiciente sexum, & periculum: Etenim si Mulier diues maluisset ire, cedendo iuri suo, & cum commoditatibus, benè facit, & si non iret meliùs facit, quia commoditas est periculo sexus annexa, neque commoditas frenat sexum, intra consortium virorum positum. ideo.

4 *Sed quid de Mulieribus Romæ propinquis?*

Respond. Consuetudini consulendum, vt dixi cum Molfes. *Potest. 2. n. 3.* ipsa enim est omnium Magistra.

5 *Sed quid nulla data causa finali eas excusante?*

Respond. Impossibile esse Mulieres, tot vallatas circumstantiis immunes esse à sexu; adhærerem quidem si mulier fuisset tantis adiuta fauoribus, in partibus Romæ vicinioribus, vbi frequens, & solitus est aditus. Alibi verò consulo vti priuilegio sexus, ob assuetas Mundi malitias, propter experientiam in illis, qui vestibus caprinis cooperiuntur, Mundo ostendêtes bonum malum, malum bonum; ita apud Tiraquel. *lib. 10.* Gloss. *l. de Connub.* Sayr. *lib. 3.* Grass. *effect. 9.* Bonac. *loc. cit. n. 23.*

De Episcopo absoluente omnes sub potestate constitutos percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos ab excômunicatione Papæ reseruata, & ad forum contentiosum deducta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere omnes sub potestate constitutos, ab excommunicatione Papali prædicta, & ad forum deducta.*

2 *Sed quid de damno legitimè impediente prædictos?*

3 *Sed quid si non tam graue damnum, sed tantum leue immineret?*

4 *Sed quid de sub potestate constitutis, absque tamen spe retributionis?*

5 *Sed quinam sint filij familias?*

6 *Sed quid si dicti filij separatim à Paterna cura viuerent?*

7 *Sed quid de filio familias viuente de bonis alterius, & non Paternis?*

Potestas XVI.

1 POtest Episcopus absoluere omnes sub potestate constitutos percutientes mediocriter, vel enormiter Clericos ab excommunicatio-

tio-

tione Papali deducta ad forum contentiosum; modo eorum Domini, & Parentes graue paterentur damnum de eorum absentia. *ex cap. Mulieres. de senten. excommunicationis. in 6.* Apud Bonac. *loco cit. toties replicata Potest. antecedenti. nu. 14.* Bellett. Molina *tract. 3. disp. 64. n. 2.* Carol. de Graff. *effect. 9. n. 167.* quos, cū aliis refert Barbos. *de Episcopo alleg. 41. nu. 29.* & procedit Potestas de omnibus tam seruis, quam filiis familias, qui verè dicuntur viuere sub cura, & potestate alterius, in qua fundatur ratio facultatis, nè ob arreptum iter graue dānum accideret eorum Dominis, qua in suaui dispositione, pietas Ecclesiæ laudatur, quæ pro conseruandis suis ouibus, earumque domesticis, quòd ad se reseruauit gratiosè relaxare placuit, sub potestate Episcopi ad vitandum graue damnum (de quo in sequenti.)

2 *Sed quid de damno legitimè impediente prædictos seruos, filiosque familias?*

Respond. quando eorum Parentes fuissent in cadenti ætate constituti, quibus filii tenerentur subuenire; si omnium bonorum fieret amissio; & prę manibus haberetur lis, atque fortè periculosa ob filiorum absentiam, idipsum de seruis respectu Dominorum suorum, & simili, ad has, similesque reparandas necessitates supradictos filios, & seruos dici legitimè impeditos, iure subiectionis adiectæ, in conseruationem vniuersi. DD. supra.

3 *Sed quid si non tam graue damnum, sed tantum leue immineret?*

Respond. spectatis qualitatibus, & circumstantiis personarum, & locorum, prudentū iudicio relictum esse, quapropter damno imminente, iudicato leui, prædictos censeo non deobligari adire Romam; ratio quia causa finalis in d. cap. est graue damnum, ideo non recedendum à tenore legis; quapropter Percussores huiusmodi ministrorum Dei, tenentur absolutionem petere à Reseruāte, qui absolutè vult ōnes ad se accedere, præter legitimè impeditos.

4 *Sed quid de sub potestate constitutis, absque tamen spe retributionis?*

Respond. nullū absque spe subijci alterius potestati, saltem mediatè dicente Philosopho: *Omne agens propter finem operari.* Quapropter, vel propter esum, vestes, aut aliud compensabile, spes regnat in seruis: quòd sufficit ad titulum seruitutis. Quòd si, bona fide, nulla esset spes in futurum, erimus extra casum; & extra veritatem tituli veræ seruitutis, cui annectitur spes retributionis, sine qua nullus dicitur verè sub alterius potestate constitutus; hoc dico, pro seruis; nam pro Mancipijs fortiùs dicitur, non virtute spei, sed mancipationis, quæ veram subiectionem, & seruituté dicit. Nota tū quandoque magis damnum accidere de absentia Mancipiorum, quam Retributorum, hoc ex beneuolentia domus, quam habent; quibus inhærent data domestica, vel cura, & dicuntur quandoque domini, melius quam Retributi, ad quos non pertinet cura de illis. Ideo regulandum ad mensuram damni, & periculi, arbitrio Episcopi, cui erit ponderare grauitatem legis Reseruatiuę cum dāno, si quod præualet ad causam finalem indulti.

5 *Sed quinam sint filij familias?*

Respond. filios familias eos dici, qui substant Patrię potestati *l. nam ciuium. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris,* in quo cap. hi reputātur legitimè impediti, ne turbaretur Patria potestas, de filiorum absentia; sensu quo diximus sup. n. 4. graui, & non leui damno imminente.

6. Sed

6 *Sed quid si Filiisfamilias separatim à Paterna cura viuerent?*

Respond. vel tunc non esse verè filios familias, defectu subiectionis actualis; nam habitualis non sufficit, & sic disposita potestas non habet locum; vel separatio facta fit, ad quietius viuendum; sicque non dicuntur separati, quia de paternis aluntur bonis; atque adeo non teneri adire. Tunc enim verè à Patria potestate segregari dicuntur, quando separatim à Paterno dominio viuerent. Vt de Nuptis, amplius non sub, sed ex se viuere dicuntur.

7 *Sed quid de Filiofamilias viuente de bonis alterius, & non Paternis?*

Respond. vel de bonis alterius, cui subijcitur; sicque duplici de capite adire non tenetur. Ratione subiectionis ad illum, de cuius alitur bonis, & filiationis ad Patrem, cuius bona consumpsit; itaque non benè dicitur abesse à cura Paterna, sed ali sub alterius potestate, de qua semper Patris erit subtrahere filium, propter dominium in illum.

De Episcopo absoluente Inopes, Romam ire nõ valentes, percutientes mediocritèr, vel enormitèr Clericos, ab excõmũnicatione Papæ reseruata, & deducta ad forũ cõtentiosum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere inopes, Romam ire non valentes, percutientes mediocritèr, vel enormitèr Clericos, ab excommunicatione Papa reseruata, & deducta ad forum contentiosum.*

2 *Sed quinam verè dicuntur Pauperes, & inopes?*

3 *Sed quid de Operarijs?*

4 *Sed quid de Viro nobili, filiabus onerato?*

5 *Sed num dicta facultas intelligatur elargita Proprio, vel Extero Episcopo?*

Potestas XVII.

1 POtest Episcopus absoluere inopes, seu pauperes, Romam ire non valentes, percutientes mediocritèr, vel enormitèr Clericos, ab excommunicatione Papę reseruata, & deducta ad forum contentiosum. *ex cap. Quod de his de sent. excommunicat.* apud Doctores citatos 9. *Potest.* Prob. finalis causa relaxationis reseruationis in pauperes est, ad subueniendum naturæ præcepto; cui omnia iura, etiam diuinum cedunt. ideo iure optimo indulgetur facultas Episcopis, pro pauperibus, & inopis (persuadente inimico) percutientibus Ecclesiæ ministros. Nam nil fortiùs inopia, constituit hominem impotentem ad omnia; ideo in hoc casu subuenitur adiuuamine iuris, vt salutari pœnitentia imposita, de Episcoporum manibus peteretur absolutionis beneficium.

2 *Sed quinam verè dicuntur Pauperes, & Inopes?*

Respond. cum Bart. Pauperes illos dici, qui non habent quinque aureos, *in l. q. accusare ff. de Accusatione.* Melius autem eos, qui exigua pecunia, vel paupertate laborant; quique carent vndè ali possint; & hi verè deficientes, pro vitæ substentamine, dicuntur legitimè impediti

cum de iure primo Naturæ, tenetur quilibet seruare eius præcepta ad indiuiduam, vel filiorum suorum substentationem. Enim verò aduertant Episcopi, quorum iudicio subiecta est hæc materia, mensurare metam reseruationis, & inopiam Percutientis, & in conscientia relaxare, vel obligare adire ad Reseruantem, qđ si nuda, & sola paupertas esset, non tam facilè absolutionem impendere, quia solent inopes mendicando, iter agere, si verò vnà cum inopia fuerit appendix, vt de eorum absentia graue damnum filiis, eiusque Parentibus esset, securius Episcopus posset vti priuilegio impeditorum.

3 *Sed quid de Operarijs?*

Respond. pariter Operarios inter mendicos, & legitimè impeditos cōnumerari, quia laboribus, & sudore manuum suarum in dies substentantur; ita quod defectu plurium dierum ad statum mendicum reducuntur, eorumque filii, fame perire videntur, ideo priuilegio legitimè impeditorum, iustè frui posse substinent Doctores citati 9. *Potest.*

4 *Sed quid de viro Nobili, filiabus onerato?*

Respond. Eũque inopum priuilegio gaudere, etenim pro rata dicuntur pauperes Nobiles, non valentes onus filiarum suarum sufferre; imminetque honoris periculum. Quarè Maxim. *in tractatu Taxa panis cōsil.* 1. *n.* 46. ait: æqua data paupertate magis Nobili subueniēdum erit, quam ignobili, & Surd. Pauperem dici, qui nobiles habet filias, hoc est marito maturas. Quod Rebuff. *de priuileg. Pauperum.* 9. idipsum sequitur. Denique communi regula mentiendum, iudicio Prudentum, vt pro qualitate inopiæ numero filiarum, & nobilitatis, absque Reseruationis præiudicio, Episcopus ritè iudicabit. Menoch. *de Arbitr. cas.* 65.

5 *Sed num dicta facultas intelligatur elargita Proprio, vel Extero Episcopo?*

Respond. quòd præfata facultas à *Potest.* 9. vsque hùc extensa, intelligitur concessa, ne dum Proprio, sed cuicunque alio extraneo Episcopo, in cuius Diœcesi patratum fuit delictum, vel fieri contigerit. Apud Cappell. Tosol. *decis.* 231. & Guttier. *can. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. Refert Barbos. *de off. & Potest. Episcopi alleg.* 41. *n.* 32.

De Episcopo absoluente ab excommunicatione Papę reseruata, & ad forum deducta, sed non plenè probata.

SVMMARIVM.

9. Sed

9 *Sed quid de delicto, iudicio finito?*
10 *Sed quid de delicto Rei educti à carcere cum onere se præsentandi?*

Potestas XVIII.

1 POtest Episcopus absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata, eum, qui deducto delicto ad forum exteriorem fuit liberatus; vel quia delictum probatione caruit, vel quia semi, vel non plenè probatum. Ratio quia adhuc delictum est occultum, nec per solam delationem euadit publicum; quia publicitas contentiosa à Concilio intenta, est, quando vnà cum delatione punitur delictum, sufficientibus probationibus probatum. Quid enim prodest deductio sine probatione, foret enim insana locutio, illa quæ dicitur & non probatur. Sicque illud delictum non plenè probatum, remanet occultum sub dispositione Conciliari Trid. *sess.* 24. *de ref. c.* 6. in fauorem Episcoporum, sic Boss. & Capsens. *in cursu Theologico tom.* 2. *tr.* 20. *disp.* 5. *sect.* 17. *n.* 178. Facundez. Marchin. Suarez, & alii apud Dian. *p.* 7. *tom.* 2. *n.* 18.

2 *Sed quid si fuit omninò liberatus?*

Respond. vel per latam sententiam definitiuam, & absolutoriam; aut ab instantia; quo casu crimen non aufugeret facultatem Episcopalem. Ratio prioris est, quia per sententiam in fauorem delinquentis quod non fuit, vel non benè probatum; verè absoluitur, ideo vi sententiæ, delinquens reuertitur ad priorem statum. Ratio posterioris est, quia sic magis occultatio delicti declaratur, & aufertur infamia Personæ, ex deductione facta ad forum, in quo cessauit instantia. Vel quia deferens malè detulit; vel quia probationem non habuit. Apud Clauiũ, Couar. autẽ *lib.* 1. *var. resol. c.* 1. *n.* 8. distinguit vtramque sententiam, quod si liberatio facta fuit per sententiam definitiuam, non poterit fieri alia deductio, si verò per cessationem instantiæ, nouis accedentibus probationibus poterit; Vtraq; autem sentẽtia terminat iudicium, Reumque ad pristinum statum reducit.

3 *Sed quid est, delictum esse deductum ad forum externum?*

Resp. qđ probatum, atque punitum, nam verè nõ dicitur deductum, quando irrisoriè, & sine probatione deducitur. contra Guttier. *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 3. dicentem: solam delationem ad forum sufficere, quod improbatur à multis, apud Dian. d. loco; debet igitur esse deductum, & ad forum iudicii probatum, scilicet cum effectu; cuius defectu non dicitur verè deductum. Nec verisimile est Trid. interdixisse solam delationem absq; effectu probationis, quia esset inuida delatio, inuidisque aperta foret ianua in confusionem occultè delinquentium, neque lex debet inuidis iniuriosè, & irrisoriè deferentibus crimen fratrum suorum ad forum fauère, quia non moti iustitia, vel charitate, in emendationem proximi, sed ira, & odio in damnum eorum deduxerunt, & assimilantur illis, qui multa dicunt, & nil probant; quorum dictum quasi non dictum, neque delatum; ideoque occultum, quia forum innititur probationibus. Nec dicas cum Alterio, & Suario ex semiplena probatione, oriri publicam infamiam, ex qua delictum non remanet occultum, sed publicum. Tum quia ex apertis Concilii verbis, interdictum est Episcopis absoluere delictum non quomodocunque publicum, sed publicitate facta per delationem ad forum. Itaque inter varias publicitatum acceptiones, hæc interdicta est. Tum

quia publicitas illa improbata, est confusa, & absque claritate probationis, tanquam in ore imprudentum posita, & non apud prudentes, vacantes potius rebus, & non vocibus. Demum ex delicto deducto, & non plenè probato, per sententiam absolutoriam restituitur Accusatus in pristinũ suę innocẽtiæ statum, à iactura prædictæ publicitatis, vt vim faciunt rationes allatæ, contra Florent. *de Cas. reser. p.* 1. c. 4 §. 12. n. 2.

4 *Sed quid sit plenè, vel semiplenè probari?*

Respond. cum Caet. Panorm. & Aliis, per duos Testes contestes omni exceptione maiores, fieri plenam probationem. Per litteras autem, & instrumenta, euidentissima probatio fit. Ex Testium denique dictis, & rei euidentia, euidens probatio. Ex probabilioribus coniecturis minus euidens, sicut per præsumptiones. Per testes de cætero singulares, fit semiplena, vel incohata probatio; apud Iurisconsultos Bartolũ Baud. & Alios citatos Doctores.

5 *Sed quid de Reo deprauatis medijs sententiam absolutoriam procurante?*

Respond. hoc etiam casu posse Episcopum Tridentina facultate vti. Ratio quia id se teneret ex parte Rei, non verò delicti, in quod cadit interdictum; itaque delictum in iudicio probatum, vel cum effectu delatum est, atque punitum, dicitur publicum, secùs si delatum, & improbatum, siue illud sit, malitia Rei, siue mediorum, siue etiam Iudicum, stat pro Reo in fauorem facultatis commissæ à Trid. sic putarunt quamplures citati, apud Dianam loc. cit. de Vechis *in praxi noua disp. 9. dub. 16. n.* 7. Sanctarell. Trull. & alios.

6 *Sed quid de delicto deducto ad forum, in quo fuisset taciturnitas Accusatoris ad tempus?*

Respond. cum Campanil. *in diuers. Iuris Canon. Rubr.* 7. *c.* 5. *n.* 7. *& Rubr.* 11. *c.* 23. *n.* 144. Quod si taciturnitas Accusatoris fuerit per annum, Episcopum posse vti Trid. facultate. Rationem esse arbitror, quia illa taciturnitas longa, equiualet improbationi, vel insufficienti probationi, nam ex longitudine negotiorum, spes boni exitus claudicare videtur.

7 *Sed quid de duobus in eodem delicto, quorum vnus deducitur, alius verò non?*

Respond. cum Castropalao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *p.* 3. §. 1. *à n.* 16. ex consortio duorum in vno delicto, oriri duo peccata, quorum vnum, quod deducitur, erit regulandum cum supradictis, sicut cum non deducto, potest liberè Episcopus suam dexteram extendere. Ratio, quia, peccatum illud quatenus procedit ab ipso non est ad iudicium delatum; nec conciliaris dispositio tantum, respicit delicti vnitatem, in quam plures conuenère, quantum singularitates personarum absoluendarum. Nec peccatum vna cum alio, debet absolui, sed separatim ab illo, quid quid erit de circumstantia vnitatis peccati patrati.

8 *Sed quid de crimine occulto, & absoluto ab Episcopo, & post absolutionem deducto in foro externo?*

Resp. cum quampluribus apud Tolet. *in summ. lib.* 5. *cap.* 89. *n.* 5. prædictam Absolutionem profuisse in foro interiori; quia ritè à legitima facultate delictum fuit absolutum in conscientia; sed quia Absolutio in hoc foro, forum externum turbare non intendit, ideo cum prædictis poterit à pio, & benigno Iudice ratam, validamque haberi, seù impendere aliam sententiam absolutoriam apud Henriq. *in Sum. lib.* 14. *cap.* 21.

9. Sed

9 *Sed quid de delicto; iudicio finito?* Respondent quamplures in fauorem Episcoporum; posse vti indulta facultate, illudque absoluere in suo foro. Ita apud Dian. *resol.* 19. & 97. Ratio ipsorum est, quia causa finalis Concilij Trid. *sess.* 24. *de ref. cap.* 6. reseruantis delicta publica, est, nè forum externi Iudicis turbaretur, neuè delictum publicum, absque publica punitione laxaretur. Nam quod est Reipublicæ offensiuum; eius Iudici erit illud per publicam pœnitentiam restaurare, ad cauendum publicum scandalum. Verùm, dato quod Episcopus absoluat tale delictum, causa finalis saluaretur, & Trid. auctoritas pro Episcopis recurreret. Probatur quoad vtramque partem. Nam Iudex functus est officio suo; ergo non remanet turbatus. item iam delinquens patienter subiit pœnas ab illo illatas. Itidem iam Respublica publicè satisfacta est p punitionẽ factã à Iudice, quæ omnia obseruantur in simili casu. Saluatur, & alterum, tum quia saluata finali causa Concilii euitatur euitabile, & adimpletur illius intentio, ergo delictum cadit à foro contentioso sub priuilegio Episcopali, cui solùm, delictum deductum ad forum, est interdictum, igitur, ante vel postquam sit deductum, nõ est esse deductũ. Sed primũ dicitur adhuc nõ deductũ. Secũdũ verò non deductum, sed postquam fuit deductum, quod non improbabiliter dicitur, ita discurrit Bonac. *de Cens. disp.* 7. *q.* 5. *punt.* 1. *n.* 6. & Suarez *disp.* 41. *sect.* 1. *n.* 5.

10 *Sed quid de delicto* Rei *educto à Carcere cum onere se representandi?*

Respond. clarum esse; Episcopum non posse vti Tridentina facultate, *ex decreto Eminen. Cardinal.* apud Marchin. *de Sacram. Ordinis tract.* 1. *p.* 9. *diff.* 4. *n.* 10. & Barbos. *de Episcop. alleg.* 39. *n.* 35. *Vide p. post. imp.* 6. *vbi lucidè.*

De Episcopo absoluente Suspensionem nemini Reseruatam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere suspensionem nemini reseruatam, à iure latam per contumaciam, vel per delictum.*
2 *Sed quid sit suspensio?*
3 *Sed num suspensio cessat, contumacia cessante?*
4 *Sed quid de lata sub conditione,* nisi recesserit contumacia?
5 *Sed quænam sint hæ suspensiones latæ, & nemini Reseruatæ?*
6 *Sed quid de suspensionibus Papæ Reseruatis?*

Potestas XIX.

1 POtest Episcopus absoluere suspensionem nemini reseruatam, à iure latam per contumaciam, vel per delictum. Ita apud Dian. *p.* 5. *tract.* 10. *res.* 23. Multi cum Hurtado *diffic.* 12. *n.* 31. cuius verba sunt hæc. Suspensionem à iure latam Censuram, siuè generalem, qua communitas, siue specialem, qua particulares personæ suspenduntur, posse quoties non reseruatur, auferri ab Ordinario. *ex cap. Nuper.* 29. *de sententia excommunicationis*, vbi licet sit sermo de excommunicatione, tamen efficaciter deducitur de suspensione, ob parem rationem, Etenim non reseruatur ergo ad differentiam

tiam reseruatæ. Quapropter nequeunt absoluere dictam suspensionem Parochi, alijque Confessarij inferiores, defectu iurisdictionis imponendi censuras, quod & si valet de excommunicatione non reseruata (vt dixi *Potest.* 5.) id non sequitur de suspensione; quia hæc non impedit absolutionem à peccatis, sicut excommunicatio. Suario tamen non placet dicta potestas, simili argumento firmata; ob dissimilitudinem censurarum, inter suspensionem, & excommunicationem. Ipse verò concedo dissimilitudinem; sed negari nequit vniformitas in absolutione, quia æquè currunt omnia reseruata, & à simili omnia non reseruata; non obstante eorum difformitate inter se; ita concludunt *Hurtadus, cum Layman. lib. 1. tom. 5. c. 4. n. 2. & Auila. p. 3. disp. 6. dub. 1. concl. 2.*

2 *Sed quid sit suspensio?*

Resp. esse *cẽsurã Ecclesiasticam, qua quis priuatur vsu officij, vel beneficij Ecclesiastici, vel vtriusque simul.* Alia Pœnalis, Medicinalis, Perpetua, Temporanea, à iure, vel ab homine reseruata, & non reseruata. Hic autem de suspensione, quæ est censura pœnalis, & propter contumaciam, perpetua à iure lata, & nemini reseruata. Non verò de temporanea, quæ fertur sub conditione, vel ad reincidentiam, nec de lata ab homine, eique reseruata.

3 *Sed num suspensio cessat, Contumacia cessante?*

Respond. nisi absolutione intercedente, quia à nullo iure, vel statuto, aliàs præscribitur. Apud Siluestr. *v. suspensio. n.* 8. Neque absolutè lata, dicitur equiparari latæ vsque ad certum tempus, quæ absoluitur ab impleta conditione. Placuit multis citatis à Siluestro, Aliter verò dicentes conciliari possunt de temporanea.

4 *Sed quid de lata sub conditione nisi recesserit Contumacia?*

Respond. cum Couarruu. *in Epist. 4. decretal. p. 2. c. 6. n.* 15. ipso facto perire, & tolli. Nec exemplum de excommunicatione, quæ non tollitur per resipiscentiam absque absolutione *ex cap. desideres. de Sent. excommunicationis.* valet; quià nullibi fit mentio de suspensione, vt notauit post multos Magalius *p. 3. lib. 5. c. 2. q. 1. n. 2. & 3.* vbi respondet ad argumenta negatiua. Sed adde, principalius procedere de illa frequentiori lata ab homine, quam nullus absoluere potest, nisi ille, vel Alius de illius commissione. ita communiter apud Doctores, nisi esset per modum statuti, vt dixi de excommunicatione. *Potest.* 5. cum Corneio.

5 *Sed quanam sint hæ suspensiones latæ, & nemini reseruatæ?*

Respond. multas, variasque reperiri, apud varias SS. Pontificum sanctiones, Decretales, & Concilia, contra personas Ecclesiasticas speciatim. 1. Contra malè recipientes, vel exercentes ordines. 2. Contra Prælatos delinquentes in ordinum collatione, vel in delictis, occasione functionis, aut in iudicio, pro ferendis sententiis. 3. Contra Religiosos. & 4. Contra Conuentus, & Capitula, quorum omnium meminero in præsenti.

1. Contra suscipientes Ordines ante legitimam ætatem. *Pij 2. incipit. Cum ex Sacrorum.*

2. Contra suscipientes ordines per saltum, idest si prætermisso inferiori, superiorem susciperẽt *ex cap. vn. de Clerico per saltum promoto.*

3. Contra suscipientes Sacros Ordines àbsque vllo ex approbatis titulis. *ex cap. Neminem. dist.* 70. & Trid. 21. *c. 2. de Ref.* Atque *B. Pij v. incipit, Rom. Pontifex* 12. *Nou.* 1568.

4. Con-

Digitized by Google

4. Cõtra suscipientes ordines extra tempora à iure præscripta *ex cap. de eo de Tempore ordinationis*.
5. Contra suscipientes ordines ab Alieno Episcopo, absque licentia Proprii Episcopi *ex cap. 1. & 3. dist. 71.* & Bull. *Pij 2. Cum ex Sacrorum*, atque Trid. *sess. 23. de Ref. c. 8.*
6. Contra Recipientes ordines à proprio Prælato in aliena Diœcesi, absque licentia Diœcesani. ex Trid. *sess. 6. c. 5.*
7. Contra Episcopos ordinantes inuitos. in cap. *Nullus. de Temp. ordinat.* habet Sayr. *lib. 4. c. 6. n. 23.*
8. Contra Ordinantes indignos, seù minus idoneos *ex cap. Si quis Episcopi. 1. q. 1.* Quidam aiunt hanc suspensionem non esse iure latam, sed ferendam.
9. Contra conferentes ordines illitteratis, *in cap. Nullus de sentent. excommunicationis.*
10. Contra tonsurantes coniugatum *ex cap. nullus de sent. excommunicationis.*
11. Contra cõferentes ordines Bigamo Clerico, aut pœnitentiam publicam agenti *ex cap. Nullus pœnitentiam dist. 55.*
12. Contra conferentes tõsuram, & alios ordines sibi non subditis, absque licentia sui Superioris *ex cap. Nullus de tempore ordinationis.*
13. Contra exercentes Pontificalia in aliena Diœcesi absque licentia ordinarii loci, ex Trid. *sess. 6. c. 9. & cap. Episcopus. 7. q. 1.*
14. Contra omnes omittẽtes missam incohatam sine graui causa *ex cap. Nullus Episcopus. de Censuris, dist. 1.*
15. Contra Confessarios formam in audiendis confessionibus prescriptam, non seruantes. sic *ex S. Congregat.* 16 *Iulij.* 1625. q̃d non valere extra Episcopat. Romanũ notauit Bonac. *de Cens. extra Bull. Cœnæ Domini disp. 3. q. 5. p. 6.*
16. Contra Sacerdotes benedicentes nuptias, absque licentia Parochi ex Trid. *sess. 24. cap. de refor.*
17. Contra Prælatos priuantes beneficiis, commorantes in Curia Romana. *Eug. 4. in extrauag. diuinæ de priuilegijs.*
18. Contra præsumentes grauare Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis *in cap. Si quorundam de solutionibus.*
19. Contra Alienantes bona Ecclesiastica, non seruata forma Extrag. *Ambitiosæ Paul. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*
20. Contra consentientes alienationi bonorum Ecclesiasticorum. ibid. *Paul. 2.*
21. Contra Religiosos benedicẽtes sponsos alienæ Parochiæ, absque licentia proprii Parochi. ex Trid. *sess. 24. de Matrim. c. 1. §. Quod si.* Aliæq; quãplures non desunt suspensiones comminatoriæ ad tempus, vel perpetuæ, quas impossibile est in vnum colligere. videatur Bonac. *de Cens. extra bull. Cœnæ disp. 3. per totum.*

6 *Sed quid de Papæ reseruatis?*

Respond. si occultæ fuerint poterit Episcopus vti fauore Trident. *in cap. Liceat, sess. 24.* Sin verò, recurrendum ad Reseruantem, nisi vinculis impedimentorum sint detenti, cum quibus potest Episcopus vti doctrina à me posita *Potest. 9.* Quænam tandem sint suspensiones *Papæ* Reseruatæ? Inspice secundam partem *Impot. 9.*



De

De Episcopo Absoluente Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest absoluere Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.*

De Veneficio.

2 *Sed quid sit Veneficium?*

3 *Sed quid de illis Veneficiarijs operătibus absq; tacita, vel expressa Demonum* Inuocatione?

4 *Sed quid sit illud Venenum?*

5 *Sed cur Veneficiũ reseruatur ab Episcopis, cum idipsum sit à* S. *Apost.*

6 *Sed assignentur casus Veneficiorũ soli Episcopo reseruati?*

7 *Sed quando nam non incurritur talis casus?*

De Incantatione.

8 *Sed quid sit Incantatio?*

De Sortilegiis.

9 *Sed quid sint Sortilegia?*

10 *Sed clariùs quinam hunc casum contra bullam* Sixti v. *incurrunt?*

11 *Sed num prater hos sint Alij Sortilegi?*

12 *Sed specialius, quid de huiusmodi casibus Episcopo subiectis?*

Potestas XX.

1 POtest Episcopus absoluere Veneficia, Incantationes, & Sortilegia. ita Franciscus Leo *in Tesauro fori Ecclesiast. p. 3. c. 36. n. 47.* Homobonus *de Examine Episcoporum. p. 1. tr. 5. c. 6. q. 31.* quos sequitur Dian. & addit dummodò nõ sit error in intellectu. *p. 1. tr. 5. resol. 7.* idipsum asserit de Confessario, vigore Bullæ Cruciatæ. Ratio fundamentalis huius Potestatis pendet à dicendo: non defuère afferentes; latã esse excommunicationem pro dictus criminibus. *ex causa 26. q. 5.* vbi sic, *Si quis Auriolos, Aruspices, vel Incantatores obseruauerit, aut Phylacterijs vsus fuerit. Anathema sit.* Leo x. incipit *Superna dispositionis.* Ioann xxij. incipit *super illis.* Vbi sic. *Excommunicationis sententiã promulgamus, quam ipsam incurrere volumus ipso facto.* Suarez autem, Sanchez, & alij dicunt, hos textus non esse vsu receptos. apud Tolet. *Instr. Sacerdotum. lib. 1. c. 41. n. 3.* & sequuntur Azor: Filiuccius, & Bonac. *de Cens. extra Bull. Cœna Domini. disp. 2. q. 2. p. 38.* cum Barbos: de Episcopo *alleg. 51. n. 119.* Tamẽ & si vsu receptos, non obuiat nostræ positioni; quia nullibi videtur reseruata, ideo cadit sub potestate Episcopi, vnà cum dictis. *Potest. 5.* Alii deniq; dixerunt, fuisse DD. Inquisitoribus reseruatam, quod non constat, nisi illa crimina sint cum intellectus errore, aut vnà cum hæresi. Tãdem dicendum; posse quandoque ab Episcopo absolui. *ex cap. 6. Trid.* vbi nota, particulam, *Etiam*, estque sensus de omnibus reseruatis cuicunq; potestati, etiam Sedi Apostolicæ; vt cautè explicat Dian. *d. l. res. 8.* pro Confessariis regularibus, vel virtute Cruciatæ; quod intelligas limitatè, iuxta dicta. *p. post. Imp. 4. n. 2.* vel p. priori *Potest. 4. d. n. 3.* Ad maiorem deniq; explicationem dico: *Superstitionem* ex D. Thom. *22. q. 94. ar... esse Cultum Deo debitum, Creaturæ exhibitum.* Alia stricta, quę est cum expressa Dæmonum inuocatione. Larga alia, quæ cum tacita. De prima specie non est sermo, quia ad Dominos Inquisitores absolutè spectat, sed sensus est de secũda, cuiusmodi species sunt Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

De Veneficio.

2 *Sed quid sit Veneficium?*

Respond. Veneficium dici à Vene-

neni potione alteri data, ad nocendum, vel necandum, ex quo Veneficiarij dicuntur huiusmodi delictum patrantes, & priuantur dignitatibus docentes, & addiscentes, vt notauit. Graff. *de Reser. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Propterea ob sceleris detestationem ferè ab omnibus Ordinariis reseruatur, sæpiusque vnà cum Censura excommunicationis.

Veneficiarij, seu Maleficiarij, vel nocent in personam, lædendo, occidendo, quasdam Cereas imagines fabricando, easque pungendo; ex quibus homines infirmantur aliqua infirmitate Medicis ignota; vel nocent in rebus, Alimenta concutiendo, aerem conturbando, vineas dextruendo, domos subuertendo, & similia. In quibus sæpiùs Magi, seu Strigæ pactitant cum Dæmone ad sortiendum effectum (Deo sic permittente, propter suæ SS. mentis arcana) idcircò, aut Veneficiarii vtuntur pacto, & à DD. Inquisitoribus cognoscuntur; vel sine ipso, sicque stàdum legibus reseruatiuis ab Episcopo, pro vt in sequentibus.

3 *Sed quid de illis Veneficiarijs operantibus absque tacita, vel expressa Dæmonum inuocatione?*

Respond. Nulla data inuocatione expressa, vel tacita, nullus incursus; quòd Probatur, quando post monitionem desistunt. Secus ob scientem, seu tacitam, Venefici Rei de facinore patrato iudicandi, & plectendi erunt, vt docuit Gier. *v. Incantatio*, & de Graff. *in decis. Aureis. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 5.

Quid autem sit expressa, vel tacita Dæmonum inuocatio, dicam propter scire, ad distinguendum limites Episcopalis iurisdictionis, vitandaque dicta facinora, cum Graff. *de Res. lib.* 3. *c.* 1. *nu.* 9. Expressam esse, quando inuocaretur Dæmon illo non apparente, vel apparente priuatim; vel sollemniter in solio, cum eius Caterua, ineundo pactum cum Veneficiariis, seu Maleficis, ipsis promittentibus Animam, abnegando Præcepta, & Sacramenta, Dæmone itidem promittente se omnia execturum. Tacitam verò, quando id non cogitant, sed tantum suum implent votum, quo nil immatius. Vide Graff. d. l.

4 *Sed quid sit Venenum?*

Resp. esse Omne nociuum, quod alteri datur ad bibendum, vel edendum, proprius tamen pro succis herbarũ, vel radicũ venenatarũ, quarũ maleficas qualitates Dæmones sciunt, aliosq; docent, vt odio, vel amore afficiantur. Cuiusmodi potus, vel esus vocatur *Poculum amatorium*, & datur à Veneficiariis ad offendendum, impediendo generationem, inducendo infirmitatem, & simile, quæ omnia dicuntur effectus venenati, pendentes non tantum à Causis naturalibus, sed ex pacto tacito, vel expresso. Quorum omnium Iudices ad cognoscendum, vel decidendum sunt DD. Inquisitores ex Bull. Sixti V. incipit. *Cœli, & Terræ Creator* 1566.

5 *Sed cur Veneficium reseruatur, ab Episcopis, cum idipsum sit à Sede Apostolica?*

Respond. dicendo, Veneficia esse reseruata S. Apost. quando sunt cum intellectus errore, vt supra dixi *n.* 1. quarum cognitio elargita est ab eadem Sede DD. Inquisitoribus, quibus est cognoscere, Crimina hæresis, & illorum, quę sapiunt, ne dicta scelera serpeant in populo Christiano ad perdendas Animas, sanguinis pretio emptas. Secus si absque dicto errore, sicque subduntur, vt possint ab Episcopis reseruari, ne talia scelera grauiora hominum offensiua, impunita remaneant: sed strictius sub reseruatione, vel Censura.

6 *Sed assignentur casus Veneficiorum soli Episcopo reseruati.*

Respond. ad vtile hoc dubium pro distintione casus reseruati DD. Inquisitoribus, & Episcopo.

Primò incidit in casum Episcopalem, quando quis veneno, vel herbis venenatis, puta Salamandria, cicuta, aconito, pintuocarpio, bobustro, mandragora, & cantaride, vteretur ad nocendum, de quibus ait Plinius. *lib.* 24. *cap.* 17. valdè aliis nocere.

Secundò incidit. Dans rem ægroto, quem scit notabiliter, vel probabiliter nociturum.

Tertiò qui medicamenta corrupta venderet, sciens eorum vsus graues inferre læsiones.

Quartò Tabernarius, qui vinum, ceruisiam, carnes, & alia poculenta, seù epulenta, ita corrupta venderet, de quibus sciret, vel timeret futuras ægritudines. Supradicti casus si fuerint occulti, & ad forum pœnitentiæ deducti, Confessarius præaduertere debet, quod si dicta pocula venenata effectum suum adhuc non fuerint sequuta, absolutionem pœnitentibus impendere non potest, quousque licitè malo futuro, obuiam ibunt. Si verò effectus fuerit sequutus, nisi facta debita restitutione omnium dãnorum, quorum fuerũt causa ad ratam culpæ; vel adminus nisi iuratoria cautione de satisfactione præhabita. Quando denique ex veneno sequeretur Mors, ex graui Clerici, aut Monachi læsione, incurritur excommunicat: *ex cap. Si quis,* à qua absoluitur ab illo, cui inest potestas. iuxtà dicta *Potest.* 7.

7 *Sed quando nam non incurritur talis casus?*

Resp. Reseruationẽ dicitur vitare, eum, qui venenum præparauit ad nocendum, idque pœnitentia ductus inimico non dedit, sed nequaquam p. m. reatũ vetuit, ob peruersam grauemque malitiam. Illud tandem à se abijcere tenetur, si periculũ euitare cupit. Denique Propinator vini, vel alterius, quem nesciret esse veneno mixtum, & sequeretur mors, aut læsio, non incurreret culpam ob ignorantiam, & per consequens nec reseruationem. Pariter nec si quis daret venenum ad experiendam Theriacam, quam scit de consilio insignium Medicorum comprobatam, apud Nauarr. *c.* 15. *n.* 6. *&* Capiauill. *de Casib. Reseru. c.* 6. *q.* 1. *& c.* 7. vbi fusiùs loquitur de Maleficio, & Maleficiatis.

De Incantatione.

8 *Sed quid sit Incantatio?*

Respond. Incantationem esse speciem superstitionis, qua quis solis verbis vteretur ad nocendum Alijs; Verba tamen quandoque profana, quandoque sacra permixta profanis sunt: in quibus si interuenit Dæmonum opus; manifestum est ad DD. Inquisitores spectare, quibus parcebit Criminum immanitas, quia positi in Ecclesia Custodes Christianitatis, ad gregem Christi custodiendum, vel absque Dæmonum interuentu, in quo casu incidunt, qui Sacris, profanisuè verbis superstitiosè homines fallunt, in quibus rerum omnium obliuionem inducunt, valetudini lædunt, morbos sanant, animalia domant, nociua incantant. Item hi, qui de libris Sortilegorũ aliqua verba didicerunt, & recitant ad dictos miros effectus. Excusantur tamen Mulierculæ, recitantes ignoranter aliqua verba, quasi à maioribus accepta, putantes ignauia muliebri esse approbata, præmissa protestatione, nil facere contra Dei voluntatem, præsertim si monita destiterit, cum prædictus sexus, quandoque sola cupiditate lucri operatur, Secùs si verba, circulis, figuris, &

ca-

Digitized by Google

caracteribus, aut nominibus incognitis commisceret, vel cognitis Dæmonum, Alcheron, Beelzebub, & similibus. In his enim ignorantiæ excusatio non admittitur; ex aperta Incantatoris malitia, & currit pro DD. Inquisitoribus.

De Sortilegijs.

9 *Sed quid sint Sortilegia?*

Respond. Sortilegia dici à sortibus, quibus futura, vel præsentia, sed occulta reuelantur, & quandoque diuinationes. Sicque casuum distintio pendet à distintione futurorum; quorum aliqua pendent à causis naturalibus; & ita ex dispositione Astrorum sortiuntur tempestates, grandines, &c. ex variis hominum complexionibus, facilè colliguntur, futuri eorum euentus, modo quo Pater, de filiorum moribus, & inclinationibus coniecturas efficit, prædicendo futuros illorum fructus. Contra quæ nulla prohibitio, vt videre est apud DD. communiter. Pontificibus adhuc permittentibus diuinationes Astrologicas, pro Nauigatione, Medicina, & Agricultura. Sicque laudantur Parentes dirigentes, & imbuentes filios bonis moribus; quos præuident ex inclinatione illorum. Alia verò sunt futura à mera hominum voluntate pendentia; putà efficere Natiuitates hominum, ad cognoscendos mores, virtutes, casus, mortes, negotia, omnesq; actus, qui nullam sibi vindicant connexionem cum causis, ex quibus ortum ducunt. Tum quia futura contingētia nullam habent determinatam veritatem, ex Aristotele. Tum quia soli Deo nota sunt abscondita Cordis, cū solus illabitur Creaturis ob suam immensitatem; teste sacro eloquio. *Deus est cordium scrutator. Deus respicit cor; homo autem faciem*. Ideo huiusmodi iudiciarii Astrologi, expresso, vel tacito Dæmonum pacto vtentes reiciuntur, & puniuntur pœnis Ecclesiasticis, sancitis à *Sixto v. Cæli, & Terræ Creator*. 1585. quæ cōstitutio habet quoq; locū cōtra legentes, & retinentes libros huiusmodi, & quia recēsentur variæ sortilegiorum species apud DD. Ideò

Primò. *Necromantia*, sic dicta quando Necromantici casuales euētus futuros diuinant, ex vmbris, figuris, vel cadauerum Mortuorum aspectibus.

Secundò. *Geomantia*, ex punctatione in terra, vel carta.

Tertiò. *Pyromātia*, per figuras ex igne.

Quartò. *Aeromantia*, ex Aere.

Quintò. *Hydromantia*, ab aqua.

Sextò. *Chiromantia*, ex lineis in manibus hominum.

Septimò. *Onomantia*, ex elemento nominis diuersimodè collocato, Quarū species, vel aliquas exercentes, tanquam Rei Iudiciariæ Astrologiæ cognoscuntur, & puniuntur ab Inquisitoribus, ex mandato *Sixti v. prædicti*. & sequitur Decretum de Anno 1662. incipit. *Cum non sine graui molestia*. Lantusca *fol*. 197.

10 *Sed clarius; quinam hunc casum contra bullam* Sixti v. *incurrunt?*

Respond. Facientes Iudicia, & Natiuitates, eorumque cooperatores, circa futuros effectus contingentes, & ab humana voluntate pendentes. Item Prędicentes ex Astris, futuros effectus contingentes & ab hominum Voluntate pendentes. Additque Sanchez, etiam si dicant: se non Asseueranter affirmare; Secus si tantum Inclinationes prędicerent. Apud Bonac: *de legib. disp*. 3. *q*. 5. *p*. 3. *& de Cens: extra Bull. Cænæ Domini disp*. 2. *q*. 2. *p*. 38. *n*. 3. apud quem quamplures docuerunt: Sixtinā habere locum pro Vtroque foro. contra Dian. *p*. 2. *tr*. 1. *Miscel: r*. 38

11 *Sed Nū prēter hos, sint Alij Sorti-*

Digitized by Google

tilegi?

Respond. esse Augures: sic dictos à diuinatione futurorum, ex Auium garritu, vocibus, & cantibus; prohibitos *ex cap. Igitur.* vers. *Augures. 26. q. 3.* dicente Deutoronom. c. 18. *nec inueniatur in te, qui — obseruet Auguria.* Item somniantes, nam superstitiosum est somniis credere, quia ex repletione, aut vacuitate, ægritudine, vel Dæmonum illusione, aut ex causis naturalibus, vel fractis speciebus, eorum Imagines, & Phantasmata formari solent. *Apud Graff. l. 2. c. 3. n. 16.* hi enim omnes videntur sapere superstitione, ideo meritò cadunt sub prædicta prohibitione. His adde contra Astrologos Iudiciarios, seù quamlibet artem diuinatoriam profitentes laicos, cuiuscunque sexus, & conditionis existunt, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de Vita, aut Morte Rom. Pontificis pro tempore, existentis, eiusque consanguineis vsque ad tertium gradum, Iudicia, Prognostica, seù præcognitiones, & prædictiones (etiam si id non certò affirmare protestentur) fecerint, vel tractauerint. Huiusmodi causarū cognitio Vrb. 8. *Inscrutabilis an. 1631* quoad personas Ecclesiast. tàm secul. quàm Regulares in Vrbe, ad eius Vicarium; In alijs verò locis priuatiuè ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum, etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare voluit, & decreuit.

Ad fugienda igitur malignorum spirituum commercia, vitanda, & fugienda erunt præfata, tanquam mendacia, & Christianæ Reipublicæ obnoxia. Nec obstat dictum. *Se id non asseueranter dicere*, quia fortè ad vitandas pœnas, & castigationes fugiendas id dicere conantur. Re uera tamen futura prædicta à solo Deo cognoscuntur, & cui voluerit ipse reuelare. Dicente Christo Domino Actor. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: vide Zenard. *in director. Inquisit. p. 3. precept. 1, q. 16.*

12 *Sed specialiùs quid de huiusmodi casibus Episcopo subiectis?*

Respons. primò quandò Diuinatores de re leui futura prædicunt. Secundò; quando nullas de pacto expresso, vel tacito sortes prænunciant, sed conditionatè videlicet; Deo cooperante (*Episcopus eris*) hoc ex bonis moribus, meritis, & virtutibus, Sicque fuerunt tot sanctorum Iudicia. Tertio quando non vtetur signis, & instrumentis prædictis in speciebus judiciariæ Astrologiæ. Quartò si ex regulis vniuersalibus Sanctorum, & S. M. Ecclesiæ, aliquis diceret, quem damnaturum, vel glorificaturum v. g. quia in peccatis insordescit; vel quia virtutibus floruit, fundatus in illo *Ecclesiastici cap. 3. qui amat periculum in illo peribit.* Vel de paruulis renatis fonte Baptismi, sicque de singulis. Quæ si rectam, iustamque originem habent, dicuntur virtuosæ, si verò tortuosam ex malitia, absque tamen Dæmonum consortio, dicuntur vitiosè prædictiones, & substant potestati Episcopali, de cuius potentia reseruatiua videto *Potest. 250.*



De Episcopo absente à Residentia suæ Ecclesiæ Cathedralis, & Diœcesis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest abesse à Residentia*

tia sua Ecclesia Cathedralis, & diœcesis, multiplici de causa.

2 *Sed num Residentia Episcoporum, sit de iure humano, vel Diuino?*

3 *Sed quid, si datis causis præfatis, immineret magnum Animarũ detrimentum?*

4 *Sed quid aquè currentibus causis, cum detrimento?*

5 *Sed num absentiæ causæ sint in scriptis approbandæ?*

6 *Sed à quonam hodiè sit Episcopis elargienda Absentiæ facultas?*

7 *Sed quid de Absentia vltra præfatas causas?*

8 *Sed num data causa legitima Absentiæ, Episcopus tenetur ad hortamentum Concilij, de diebus Dominicis, Aduentus, & Quadragesimæ?*

9 *Sed quid si resederit in alia parte sua Diœcesis extra Cathedralem?*

10 *Sed quid de Episcopis Cardinalibus?*

11 *Sed quid de Episcopis vouentibus peregrinari?*

12 *Sed quid, si votum factum fuisset ante Episcopatum?*

13 *Sed quid de pœnis contra non Residentes?*

Potestas XXI.

1 POtest Episcopus abesse à Residentia suę Cathedralis Ecclesiæ, & Diœcesis multiplici de causa. 1. *propter Charitatem Christianã, 2. Vrgentẽ necessitatem, 3. Debitã, Sum. Pontifici obedientiã, 4. & 5. Ecclesiæ, & Reipublicæ vtilitatem.* ita express. Trid. *sess.* 23. *de Ref. c.* 1. & Pius 4. incipit. *in suprema Kal. Decembris* 1564. & Alia 11. *Maij.* 1565. Has v. causas approbat Concilium, ad subueniendum necessitatibus; quas iudicat subleuandas, nè præceptum residendi sit ponderosum. Pariter vltrà illas, nil admittit excusatiuum absentiæ, nè propterea Clerici irreligiosè viuerent, sæculares irreuerentes, Pauperes nimis paterentur, & Christiana doctrina laberetur; vtque Episcopus sit sponsus, & non Peregrinus, Pater, & non extraneus, ædificans, & non dextruens, atque Pastor, & non Mercenarius. Proinde Concilium benè vallauit Absentiam, nisi in causis necessariis, & de licentia probata à Rom. Pontifice, aut Metropolitano, vel eo absẽte à suffraganeo Antiquiore residente, qui pariter Metropolitani absentiam probare debebit, vel in causis repentinis à Concilio Prouinciali. Quibus pariter iniunctum fuit spatium temporis absentiæ designandum, *nè vltrà tres menses*, hortando, neuè fiat in præcipuis diebus Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, in quibus Pastoris pręsentia magis vrget, hæc de mente Concilij *d. l.* Cuius tanta cura est de residentia Pastorum in gratiam gregum ipsis cõmissorum; quanta fuit 1. Pastoris Christi relinquẽtis 99. *Matth.* 18. petentis desertum, quærendo ouem, quæ perierat. Nam vbi Ianua sine Ianitore, ibi lupi, & fures ad dextruẽdum; vbi Nauis sine Gubernatore, ibi venti, & pericula Maris ad immergendum: & scola sine magistro, ad vitia adiscenda, sicque oportet Pastorem residere in sua Cathedrali, tanquam in loco conspicuo, ad suarum ouium vigilantiam.

2 *Sed num Residentia Episcoporum sit de Iure humano, vel diuino?*

Respond. Inter varias DD. Asseclas Trid. *sess.* 23. *c.* 1. Amplecti, & sequi opinionem, esse de iure diuino, sic: *Cum præcepto Diuino mandatum sit omnibus. Ex illo Ioan.* 21. *Pasce oues meas.* De qua potestate participant aliæ inferiores, &

cla-

Digitized by Google

clariùs *Actor.* 20. *Attendite vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Itaque residet corporaliter, & mentaliter, habens sollicitudinem suarum ouium; quibus verbum Dei, Ecclesiastica Sacramenta, exemplū bonorum operum, & paternam curam, administrarè debet; virtutes seminando, inopiam subleuando, disciplinam restituendo, luxus, & obscena eradicando, Synodum quotannis celebrando, &c. quæ omnia habentur per inhabitationem, & pastoralem residentiam. Audi Posseuin. *de officio Curati. cap.* 1. *n.* 3. *vt* refert Barbos. *d. l. n.* 20. dicentem: *Residentia non solum inter oues habitationem indicat, sed pastorale munus, sed vigilem curam, sed diligens Sacramentorum, & Diuini Verbi Mynisterium, &c. Non enim residet, qui eum debet, & potest, Ecclesiæ nō seruit —Si segniter, oscitãterque, pastorale munus obeas, nil refert, an adsit, vel absit:* hæc ille, tu cogita pondus, Episcoporum humeris impositum.

Puniendus igitur esset Episcopus, dumtaxat corporaliter residens, in vtroque foro, tanquam sui muneris disertor, & denunciandus à Metropolitano ad Sed. Apostolicam, cui erit ad metam delicti punire. Quid autem erit de fructibus in absentia legitima; dicam *Potest. seq.* ex verbis Concilii sic: *Interea prouidendum,* quæ sonant idoneum constituere, cum debita mercede.

3 *Sed quid si datis causis præfatis imminèret magnum Animarum detrimentum?*

Respond. Residētiam debere præferri ad quamlibet causam. quia illa, de Iure Diuino; hæc verò de iure humano, quod si quoque Diuino quod strictiùs, & nobilius est, anteibit. Audi. *Ioan.* 10. *Maiorem Charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis, pro ouibus suis.*

4 *Sed quid æquè currentibus causis cum detrimento?*

Respond. Detrimentum prænalere, etiam si hoc sit minus illis, quia vnusquisque primò domui suæ subuenire tenetur, quàm alienæ; & magis animabus detrimentum patientibus, quàm aliis rebus.

5 *Sed num Absentiæ causæ sint in scriptis approbandæ?*

Respond. Affirmatiuè ex verbis Concilii, à quo adeò inhibetur Residentia, vt non possit verbis, vel tergiuersatione cælari, & quia scriptura semper loquitur, stat in testimonium suæ absentiæ legitimæ, ad suam absentationem defendendam, vt non possit quis procedere contra ipsum, in casu erroris. Vide *p. post. imp.* 3. *num.* 2.

6 *Sed à quonam hodiè sit Episcopis elargienda Absentiæ facultas?*

Respond. Vigore Trid. *sess.* 23. *de Ref. c.* 1. Poterat Metropolitanus, licentiam elargiri Episcopis, ex causis in eodem Concilio approbatis, vel Episcopus antiquior suffraganeus. Sic: *Ad eundem tamen cum Concilio Prouinciali spectabit iudicare de licētijs à se, vel à suffraganeo datis.* Hodiè tamen standum determinationi factæ *ab Vrb.* 8. *incipit Sancta Synodus* 12. *Decembr.* 1634. Refert Barbosa *de Episcopo alleg.* 53. *n.* 21. *in vltima impressione*, vbi sic: *Episcopi, Archiepiscopi, seù Primates, etiam S. R. E. Cardinales in suis quisque Ecclesijs residere tenentur. Nec ab eis recedere possunt, nisi prius obtenta, Romani Pontificis, per Breue, seù litteras missiuas, licentia.* Sub pœnis, &c. quo Decreto non fuit sublata facultas Trid. è qua ex causa absentandi aliquantisper, vt declarauit S. Congregatio die 3. Febr. 1635. Barbos. ibid.

7. Sed

7 *Sed quid de Absentia vltra præfatas Causas?*

Respond. non requiri licentiam, dicente Concilio: *quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat Religiosam, & timoratam fore cum Deo corda pateant.* Postquam ait: de paruo temporis spatio *ad summum trium mensium; dũmodo tamẽ æqua ex causa fiat, & absque vllo gregis detrimento*. Vide tamen *p. post. impot. 1. n. 2.*

8 *Sed num data causa legitimæ Absentiæ, Episcopus tenetur ad hortamentum Concilij, de diebus Dominicis, Aduentus, & Quadragesimæ?*

Respond. Negatiuè, quia verba illa cadunt sub Absentiæ legitimæ promissione, ab breue tempus, pro negotiis propriis; at breuiter absens, abesse non dicitur, iuxtà illud, *qui parum distat, nil distare videtur*, DD. citati.

9 *Sed quid, si resederit in alia parte suæ Diœcesis extra Cathedralem?*

Respond. Residentiam semper habendam in Cathedrali, tanquam in loco deputato, & permanenti, noto, & perspicuo, in qua firma stat Episcopi Cathedra, ibique inuenitur Magister in scola, Ianitor in ianua, & Iudex in solio. Oportet enim subditos scire certum, determinatumque locum ad recurrendum. Quapropter Cathedram amouere ad libitum nequit in sua Diœcesi absque Papæ licentia; quia iuris sui non est transferre Cathedram, vt dicam *p. post. Imp.* 158. non nego tamen posse in qualibet suæ diœcesis parte Tribunal erigere, ob iurisdictionem territorialem, quam habet; *ex cap. cum Episcopus de off. Ordin. in 6.* Tandem nec Residentia, de qua est sermo in Trid. intelligitur tantum de Cathedrali, verùm in Diœcesi sic: (*obligari ad Residentiam personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi.*) Immò Diœcesim discurrere oportet, visitando; vt possit munus impositum adimplere, ad commoditatem Diœcesanorum, Orfanorum, Viduarum, Mulierum, Ancillorum, & Pauperum, subleuando, confirmando; & ministrando; propterea absentia est interdicta extrà Diœcesim, non verò infra in d. Concilio.

10 *Sed quid de Episcopis Cardinalibus?*

Respond. De iure Trid. residère oportet in sua Diœcesi ex apertis Concilii verbis; *etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint.* Cui accesserunt Cõstitutiones Greg. 13. *in Consistoriali Decreto* ex Vib. 8. incipit *Sancta Synodus* 7. *Decembr.* 1634. atque S. Congregationis Decreta, relata authenticè à Barbos. *de Episcopo alleg.* 53. *à n.* 23.

11 *Sed quid de Episcopis vouentibus peregrinari?*

Respond. cum distintione: vel ad breue tempus permissum in d. Concilio, iuxtà conditiones ibi adiectas, & proculdubio adimpleri posse. Vel ad longum temporis spatium. Sicque nec emitti poterat, nec adimpleri absque Papæ licentia *ex cap. quampridem de Renunc.* adeò enim vinculum Residentiæ obligat, vt neque per votum deobligari possit. Apud Azor. *instit. Moral. p. 1. lib. 11. c. 16. q.* 2. quod si votum fuerit absque licentia emissum; quasi non factum reputatur, quia prohibitio Absentiæ in *d. cap.* est actus annullatiuus, alterius actus incõpossibilis, Immò malitiosè emissũ, ad fugiendam residentiam, quæ malitia cadit supra malitiantem, exemplo de illo habente rem cum Virg. quam obligatur ducere in vxorem, & quærit malitiosè deobligari per fraudulentam susceptionẽ partus in Sacramẽto Baptis: cui re vera non fauet Ecclesia, idipsum de simili malitia,

in

in alijs impedimentis. Apud Dian. *in Sum. v. impedim. Matrim. n. 5.*

12 *Sed quid si votum factum fuisset ante Episcopatum?*

Respond. Petere debere dispensationem à Pontifice, à quo ob maius Reipublicæ bonum, dispensare poterit, vel meliùs, priùs adimplere votum. *in cap. per tuas. 10. de Voto*, quia votum cadit sub præcepto, Episcopatus verò sub cõsilio. Apud Graff. *in decis. aureis p. 1. lib. 2. cap. 24. n. 12.* Nec dicas: quia Episcopatus est melior status, ideo, quis posset in illum commutare. Inquam statum esse meliorem, sed sub consilio; votum verò sub præcepto. Ideò maioritas voti obligat; Episcopatus verò non. Apud Henriq. *in Summ. tom. 2. cap. 3.*

13 *Sed quid de pœnis contra non Residentes Episcopos?*

Respond. Vigore Concil. Pii 4. & Vrb. 8. Sic: I*n virtute S. Obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ, amissionisque tam fructuum earumdem Ecclesiarum pro tempore, quo absentia durauerit, quàm facultatum testandi, & disponendi, de bonis suis, à S. Apost. sibi aliàs concessarum — nec non priuationis à Regimine, & administratione suarum Ecclesiarũ. Alijsq; pœnis, &c.*

De Episcopo Absente à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis propter Charitatem Christianam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest abesse à Residentia suæ Ecclesiæ, vel Diœcesis, propter Charitatem Christianam.*

2 *Sed quid, si notabile detrimentum sequeretur in propria Ecclesia?*

3 *Sed quid currente tali causa prædicta, Episcopus renuisset abesse?*

4 *Sed quid interea, Episcopo absente?*

5 *Sed quid si damnum imminẽs in propria Diœcesi posset resarciri à Vicario idoneo?*

6 *Sed quid, si in propria Diœcesi esset periculum temporale, in aliena verò spirituale?*

Potestas XXII.

1 POtest Episcopus abesse à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis propter Christianam Charitatem, ita disponente Concilio Trid. *sess. 23. de Ref. c. 1.* & inter causas legitimas excusantes Residentiam, primum locum obtinet. *Christiana Charitas*, quæ est virtus supereminens omnes virtutes, cuius obiectum est, Proximorum vtilitas, Animarumque salus. Itaque magna si foret inter Magnetes, vel Populos dissidia in alia Ciuitate, extrà Diœcesim; ad componendos Populos, & Principes, pacemque stabiliendam, vel si magnum esset hæresis periculum, eruendum nisi prædicatione, & præsentia talis Episcopi, vel aliquod negotium, aut lis adesset, quæ à nullo posset solui, & componi. Aut Populi, & Pauperes ita vexati à Rectore, vel Duce cum periculo Rebellionis, & non esset alius ad suadendum. In his, & similibus casibus intrat Christiana Charitas, tanquam Preceptum diuinum, quod non aduersatur alteri iuri Diuino de Residentia, sed tanquam in linea eiusdem iuris Diuini, vnum alterũ adiuuari dicuntur, maximè quando vtrũque adimpleri potest.

2 *Sed quid si notabile detrimentum sequeretur in propria Ecclesia?*

Respond. Nullo pacto teneri ad Absentiam, quia detrimentum illud aduersatur Christianæ Charitati: nã currentibus duobus præceptis eorum maius adimpletur, quãdo simul adimpleri repugnat, & magis vrget de propriis ouibus, quam alienis, quia magis tenetur ad proprias oues, & de Iustitia, quam ad alienas, de Charitate. Sic apud Tolet. *Instruct. Sacerdot. lib. 5. c. 4. num. 3.* Molfes. & Alii citati *Potest. anteced.*

3 *Sed quid currente causa prædicta, Episcopus renuisset abesse?*

Respond. Concilium non cogere, nisi in casibus, & magno Animarum periculo, sic enim non de Charitate, sed de Iustitia tenemur proximo subuenire, ex præcepto diuino *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, & quia est præceptum affirmatiuum obligat aliquando, vt in casu de Iustitia.

4 *Sed quid Interea, Episcopo absente?*

Respond. cum Concilio ibid. *Interea meminerint discessuri; ita ouibus suis prouidendum, vt quantum fieri poterit, ex ipsorum Absentia, nullum damnum accipiant.* Loquitur de damno Spirituali, ad quod euitandum tenetur Episcopus. Cuius prouidentia erit relinquere Vicarium idoneum, cum debita mercede, & omnimoda Authoritate voluntaria, & contemptiosa. Dixi idoneum: vel ex suis, vel ex aliena Diœcesi assumptum, ad pascendas, vel iudicandas oues. Nil enim relinquere debet intentatum; nec Mercenariis commendare gregem, quia his non est cura de ouibus, sed de opibus. DD. citati.

5 *Sed quid, si damnum imminens in propria Diœcesi posset resarciri à Vicario Idoneo?*

Respond. Absolutè currente tali periculo, nulla facultas adesset constituendi Vicarium idoneum; quia ex Concilio tunc posset, absente periculo, vel si fortè per absentiam legitimam superueniret, prouidendum in tali Absentia. Secus periculo etiam probabili imminente, nam tali in euentu intrat Iustitiæ præceptum, & excusat Charitatis subsidium, quia vrget præsentia Pastoris, & præter eum nullus est proprius Pastor. DD. citati.

6 *Sed quid si in propria Diœcesi esset periculum temporale, in aliena verò Spirituale?*

Respond. Neque teneri alienam abire, quia præceptum Iustitiæ ad subueniendum, ex verbis Concilii, est indifferens ad damnum Temporale, & Spirituale, idcircò tempore famis, & belli tenetur Episcopus residère, ad subueniendum temporaliter, pro vitando Spirituali damno. Etenim propter oues, quas custodit, habet iustitiæ præceptum, ne dum pascendi, verùm, & mala omnia, etiam temporalia vitandi. Quid enim tristiùs? homines in bello mortem subire; & tempore penuriæ, fame perire, absente Pastore; cuius præsentia fortè mors vitabilis, minorabilis fames, & vitæ necessaria succurri possent. Immò Pastoris industria, ope, eleemosynarum subsidio, atque Sacramentorum administratione, Spiritualibusque remediis, & temporalibus subueniret. Vrget tandem præsentia Pastoris in ouium solatiũ, ad nutriendum pasculis spiritualibus, & temporalibus sibi creditum gregem. Nec dicas per alios, quia fortè alii Parochi, & Sacerdotes ad famem, mortemque vitandam, fugam arriperent, in præiudicium Animarum. Vndè currente iustitiæ præcepto pro salute Anima-

rum subueniendi proximo in morte, cessat Charitatis subsidium in aliena Diœcesi, in qua Spirituale detrimentum adesset.

Dicerem tamen: Episcopum ad Spirituale damnum graue vitãdum, vt hæresis, & aliorum, modò periculum temporale in propriis ouibus non esset tanti momenti; posse tale vulnus mederi, relinquendo idoneos Parochos, atque Vicarium, & discedere, nam in tali casu non æquè currunt, sed præualet charitatis præceptum, absque tanto ouium detrimento sibi iure subditarum, & ita aperitur ianua ad obseruantiam vtriusq; præcepti, ad quod non obstat dispositio Concilii, quando vult charitate aliis subuenire, sed suas de iustitia non relinquere, quæ est vera saluationis medela data à S. Synodo *in dicto capite 1. sess. 23. de Reform.* Vide potestatem 193. vbi quamplurimæ citantur constitutiones, hac de re editę.

De Episcopo absente à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis, propter vrgentem necessitatem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest abesse à residentia sua Ecclesia, & Diœcesis propter vrgentem necessitatem.*

2 *Sed quid si periculum Spirituale pro vtrisque imminèret.*

Potestas XXIII.

1 Potest Episcopus abesse à Residentia suę Ecclesię, & Diœcesis propter vrgentem necessitatem. Hęc est 2. causa excusatiua Residentię assignata à Trid. ad subueniendum iuri naturę, tempore Pestis, validę inuasionis Inimicorum, perpetui morbi, & similium, pro quibus Alii dixerunt; licere Episcopos desèrere localem residentiam, & aliò ire ad subueniendum dicto iuri naturæ: fulciuntur variis Sãctorum exemplis 1. D. Pauli dimissi in sporta ad fugiendam Iudæorum persecutionem Damasci, 2. D. Athanasii, tempore Constantij Imperatoris. 3. D. Thomę Cantuariensis, & aliorum Sanctorum Episcoporum. Sed meliùs nota, *Vrgens necessitas*, quasi nõ ex qualibet frugali excogitata, & simplici, sed vrgenti notoria, & euidenti, discedere potest, tanquam ex causa probata, cogitata, & benè visa Concilio. Quapropter accuratiùs distinguendum: Vel vrgentia se tenet ex parte Ecclesiæ; puta si validum, magnumque quæreretur detrimentum, in spiritualibus, v.g. adueniente hęretico Magnato, pessimæ indolis in ouium ruinam, vel hæresis, aut imminent consuetudo peccandi, vel quod aliud, contra libertatem Ecclesiæ, quo similique casu, nullus Pastor quacunque de Causa relinquere debet, nec posset ouile sibi creditum, etiam cum periculo vitæ, ex monitu Saluatoris. Ioan. 10 *Bonus Pastor Animam suam ponit pro ouibus suis*, quia vitæ periculum proponitur tanquam minus extimabile, ad salutem spiritualem ouium sibi commissarum, prout exemplo firmarunt Sancti Episcopi Thomas Cãtuariensis, & Stanislaus Cracouiensis. Lege Toletum *Instruct. Sacerdotum lib. 5. c. 4. n. 3.* 2

Vel se tenet ex parte ipsius Episcopi, vt si graui detineretur morbo, aliàs incurabili nisi per aeris, & loci

et mutationem, vel temporali persecutione occurreretur, quo casu vindicat sibi locum dispositio Trident. exemplo D. Pauli *dimissi in sporta* ad fugiendam Iudęorum persecutionem, & Athanasii, Constantij Imper. Arriani, vt notarunt Bollo, & Alii apud Barbos. *de Episcopo alleg.* 53. *à num.* 8. ad seruandum naturæ præceptum, absque Animarum detrimento, per eius absentiam. Immò tunc foret excusatione dignus Prælatus dans locum iræ, vel fugiens mortem, cum loci mutatione, absq; semper Animarum iactura, quia melius prodesset sanus; quàm occisus. Vel denique vrgentia prouenit ex parte vtriusque, vt tempore pestis, aut morbi vniuersalis; sicque residère tenètur, causa iuuandi proximum, & subditos, Sacramentorum administratione, præcipuè si morerentur, vel fugerent Parochi, ita ex Diuo Thom. & Suarez, Apud Mar. Anton. Genuens *in man. Pastor. cap.* 31. Ratio, quia tunc præceptum currit pro capite, & membris, & magis obligat caput; quia ex capitis fuga membra diffluerent, & percusso Pastore dispergentur oues. Meminit Episcopus oues in Agone positas, non pecunia, sed Sanguine Christi redemptas esse. Quod si tempore Pestis, Rectores Ciuitatis peruigilant, meliùs vigilare oportet Episcopum sua personali diligentia, vt cum ordine omnia procedant; & quantùm distat Anima à Corpore, tantùm præponderat vigilantia Episcopi, in ouibus sibi suppositis.

Dices: Præceptum vitandi mortem recurrit fortiùs pro Capite, quo seruato incolumi, seruantur & membra.

Respond. Posse indemnem seruari caput residens in suo, vel alieno Palatio maiori, qua potest vigilantia vigilando in gregem infectum, & si nequit seruari in eadem Ciuitate, posset in alia habitare vicina suæ Diœcesis; vel si tota Diœcesis infecta, in viciniori, & tutiori; quia parum distans, nil distare dicitur. Ad Argumentum patet præceptum æquè currere pro salute corporea; sed non æquè pro Animarum diligētia, nam pro Capite recurrit præceptum diuinum, pro custodiendis suis ouibus. Mecum sentit Barbos. *d. l. num.* 9. Apud quem Bollo substinet in periculo fidei teneri Episcopum substinere mortem, sic in Casu.

2 *Sed quid, si periculum Spirituale pro vtrisque immineret?*

Respond. Casum non de facili venturum, sed nec impossibilem; videlicet: si in Bello Hæreticorum timeretur lapsus Episcopi, vel populorum: dixi non de facili, quia supponitur Episcopum esse in fide sanum, prudentem, & fortitèr mortem subiturum in tali euentu. Si verò hæsitaret, essetque inconstans. Iudico debere repelli à Metropolita, vel Populo, ne factus Hæreticus, sit in ruinam populorum, trahens tanquam Lucifer sua cauda stellas post se, oues enim Pastorem in lupum cōuersum aufugiunt. Doctores supra.



De Episcopo Absente à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis, propter debitam obedientiam.

SVMMARIVM

1 *Episcopus potest abesse à Residentia sua Ecclesia, & Diœcesis, propter*

ter debitam obedientiam.

2 *Sed quænam debet esse hæc causa in Vocante?*

3 *Sed quid, si vocaretur à Papa cum munere Sum. Pænitentiarij, Cancellarij, Auditoris, & similium?*

Potestas XXIV.

1 POtest Episcopus abesse à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis, propter debitam obedientiam. ex Trid. *sess. 23. cap. 1. de Reform.* & hæc est tertia in ordine causa indultiua residentiæ Tridentino bene visa, de qua egerunt Azor. *instit. Moral. p. 2. lib. 7. c. 4. q. 4.* Salzedo *in pract. cap. 54.* & Alii apud eosdem. Debita obedientia communiter explicatur illa, ad quam tenentur Episcopi, vnà cum aliis, requisiti à Papa, qui est ordinariorum Ordinarius, obedire in fauorem totius Ecclesiæ vniuersalis, ad decretandum, Præsidendum in Conciliis generalibus, vel aliud statuendum, quæ omnia præsunt peculiari præcepto residentiæ, in propriis Diœcesibus. Episcopi enim sunt cōfratres, sicut Cardinales fratres de latere, quorum consilio vtitur Papa in rebus Ecclesiæ arduis; vt videmus variis in diplommatibus Clausulam *de Consilio fratrum nostrorum.* Ibidem vocatur obedientia debita; in qua ostenditur, nè dum quod iuris est in subditis ad obediendum Sum. Pastori; verùm vt cedat suo Iuri particulari, pro adimplendo generali, ad quam tenetur Episcopus non solum gratuitam, & liberalem obedientiam prestare, verùm, & debitam de Iustitia ex precepto Saluatoris, *Obedite Præpositis vestris.* Instar quo, Aqua sua naturali inclinatione oblita, ascendit sursum; vel manus cum sui adhuc lesione defendit caput, quia ius totius preualet iuri partium. Nisi melius dicamus: Episcopum in obedientia Pape non cedere iuri suo, sed adimplere, illudque seruare. Tum quia capite seruato, conseruantur cum illo eius partes, ideò sancita in beneficium vniuersalis Ecclesie sunt ad conseruationem omnium particularium Ecclesiarū, & Diœcesum; ergo pleniori iure tenetur obedire in fauorem totius, quam residère. Sumus enim in Ecclesia Dei, tanquam in Acie castrorum ordinata, in qua Inferiores obediunt Superioribus; & omnes Supremo Capiti, ad hierarchiam conseruādam. Itaque vocatus à Papa, seruare tenetur dispositionem Concilii, d. l. vers. *Interea meminerint* vt dixi *Potest. 22. n. 4.*

2 *Sed quænam debet esse hæc causa in vocante?*

Respond. Causam motiuam Pape vocantis, debere esse saltem ex iam expressis à Trid. *Vrgens necessitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas,* quibus subuenitur legi Charitatis in proximos, apud citatos Doctores, quos sequitur Barbos. *de Episcopo alleg. 53. à n. 11.*

3 *Sed quid, si vocaretur à Papa cum munere Sum. Pœnitentiarij, Cancellarij, Auditoris, & similium?*

Respondent plures: Absolutè Pontificem dispensare non posse in iure diuino Residentiæ. Ipse tamen distinguo cum Molfesio, & Reginaldo apud Bonac. *de Obligatione Beneficiat. disp. 5. p. 5.* & sequitur Barbos. *de Episcopo alleg. 53.* Vel munus illud obiri potest per alium idoneum, sicque non erit Episcopus in conscientia tutus, nisi ob debitam obedientiam, quam faceret, vel non poterit, & tunc securiùs potest abesse propter penuriam idoneorum; vt meliùs dicam *p. post. Impot. 2.* ex quo pariter, nec excusaretur à Residentia

Epi-

Digitized by Google

Episcopus si constitueretur Prorex, vel Præses alicuius Prouinciæ extrà suam, non enim desunt alij idoniores, & experti, docti, & ditiores ad exequendum tale munus, nisi à Papa indulti; vt dicam melius *Potest. 27. n. 2. At Bonac. d. l. à n. 9.* per totum excusat à residentia Beneficium curatum habentem, ex pluribus capitibus. 1. propter inimicitias capitales. 2. ob Pestem. 3. ex Priuilegio Pontificis. 4. ad componendas controuersias. 5. propter Papæ seruitium. 6. ob Cardinalis assistentiam. 7. ad vtilitatem sui, & aliorum. 8. propter officium Inquisitoris, vel Subcollectoris ex necessitate vrgente. 9. ad causam litis sui beneficij. 10. pro visitanda Diæcesi. 11. vbi non est receptum Trid. vt audiat ius Canonicum, vel Theologiam per quinquennium, hæc *Bonac. de Parochis.* Quæ non possunt trahi ad Episcopos, qui potiori iure Diuino, & Pontificio tenentur ad localem residentiam. Ideo.



De Episcopo Absente à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis, propter Ecclesiæ vtilitatem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest Abesse à sua Residentia, propter Ecclesiæ vtilitatem.*

2 *Sed num posset adire Concilium generale, etiam non vocatus à Papa?*

3 *Sed quænam sit hæc Vniuersalis Ecclesiæ necessitas?*

4 *Sed quid sit Propria Ecclesiæ necessitas?*

Potestas XXV.

1 POtest Episcopus abesse à sua Residentia propter Ecclesiæ vtilitatem. Hæc est quarta excusatiua Residentiæ causa, memorata à Trid. *d. cap. 1. sess. 23.* & notauit Toler. *Instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 4. num. 3.* Molfes. *in Summ. Theol. Moral. tract. 6. cap. 11. n. 36.* Genuensis, Salzedo, Vasquez, & alij. Apud Barbos. *de Episcopo alleg. 53. à num. 14.* Vbi explicatur vtilitas vniuersalis Ecclesiæ Sic: quando contingeret celebratio Concilii Generalis, vel Prouincialis, vel pro Ecclesia Episcopi vocati, cuius interesse ostendere, & iura defendere cogitur. Episcopus; hoc sit dictum contra quosdam dicentes: ob solam vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ. Nam Concilium indefinitè loquitur, pro sua, vel tota Vniuersali Ecclesia. & quid intentatum reliquit D. Thomas Cantuariensis ad obsistendum legibus contra Ecclesiasticam libertatem latis ab Henrico Angliæ Rege? cui pro libertate Ecclesiæ tuenda, constanter restitit, & mortem subijt. Enim verò absens ad defensionem suæ sponsæ, dicitur præsens, cum eius absentia eundem habet finem cum residentia, quæ non debet esse materialis, sed formalis, vigilans in Ministerium assumptum; nè dormiens audiat Christum voce magna clamantem: *Simon dormis?*

2 *Sed num posset adire Concilium generale, etiam non vocatus à Papa?*

Respond. affirmatiuè, pro exponendis suæ Ecclesiæ necessitatibus; vt decidatur secundum iuris, & Concilij dispositionem, repræsentando sui aduentus causam; & tunc non potest

test votare in illo, cum hoc habetur vi vocationis, nec ad sedendum, quia graduales recubitus debentur Senioribus, & Antiquioribus vocatis ad Concilium, hoc dictum sit in fauorem vocalium. Doctores supra.

3 *Sed quænam sit hæc vniuersalis Ecclesiæ vtilitas?*

Respond. pro Concilijs, & rebus Fidei decernēdis, causisq; grauissimis consultandis, pro Pastore tuendo: Iurium Ecclesiæ, eiusque immunitate, Priuilegiorum defensione; pro Sacrorum Canonum, Symboli, iuris Pontificii, & potestatis Prælatorum tuitione. Contrà Hæreticos, Mauros, Scismaticos, & Infideles, propositiones fideles calumniantes, vel à germano, & sano sensu retorquentes. Si lis suscitaretur in diuinis auxiliis, Sacramentis Ecclesiæ, Donis Spiritus Sancti, & similibus. Propter quæ omnia vocantur Episcopi idonei in Concilijs ad infringenda contradicentium Iacula, & stabiliendam veritatem fidei Catholicæ consentaneam. Hinc à Siluestro Papa vocati fuère. 318. Episcopi, & Patres in Concilio Nicæno. *Anno.* 324. ad damnandum Arrium Alexandriæ Presbyterum asserentem: *Filium non esse de Substantia Patris*. A Damaso Papa vocati. 150. Episcopi, & Patres in Concilio Cōstantinopolitano *Anno.* 383. ad dānandum Macedonium Episcopum negantem: *Spiritum Sanctum esse Deum*. A Cœlestino vocati. 300. in Concilio Ephesino *An.* 433. ad dānandum Nestorium Episcopum, negantem: *Christum esse Deum, sed purum hominem*. A Leone primo vocati 630. in Calcedonensi *Anno* 455. Eutichius Abbas negauit: *duas in Christo naturas*. damnatus à Papa Vigilio, Agathone, Adriano, & aliis. Plurima alia sunt exempla hac in re apud Baron. *in Annali de Vitis Sanctorum*, quibus in casibus, si semel fuit legitima Episcoporum residentiæ Absentia, idipsum foret, & est à Concilio approbata.

4 *Sed quid sit Propria Ecclesia necessitas?*

Respond. Seruatis seruandis: dictum de vniuersali, dici posse de sua Ecclesia particulari, (quę vniuersalitatem respiciunt exceptis) itaque pro Immunitate, & exemptione, pro ęquo ritu seruando in propria Ecclesia, & Dięcesi; pro constitutionibus, & dignitatibus Archidiaconatus, Canonicatus, Cantoratus, & Thesaurarii; Canonicatus, & similium, si quorum esset oppressio, Cura, & diligentia Episcopi forent erigenda: pro Eleemosynarum emolumentis, Pupillis, & pauperibus in Monasteriis, ad seruiendum Deo dicatis, pro festiuitatibus, & similibus, in quibus candor Ecclesiæ refulget, Absentia residentię erit legitima, & probata à Concilio: aliàs esset contra non residentes procedere, pœnis, & plagis ab illo impositis. Barbos. ibid. cum aliis citatis.



De Episcopo Absente à Residentia suæ Ecclesiæ, & Diœcesis propter Reipublicæ euidentem necessitatem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest abesse à sua Residentia propter Reipublicæ euidentem necessitatem.*

2 *Sed quid de officio Proregis, vel alterius officij in eadem Diœcesi?*

Po-

Potestas XXVI.

1 POtest Episcopus abesse à sua Residentia propter Reipublicę euidentem necessitatem. Hæc est quinta, & vltima in ordine Tridentino assignata causa legitimæ excusationis à Residentia. De qua Doctores citati in antecedentibus Potestatibus. Itaque *Euidens*, idest publica *Reipublicæ necessitas*, est v. g. 1. si Episcopus sit Legatus, Orator magni Principis, quod limita (idoneo deficiente) *ex cap. cum parati de Appellat.* 2. quando vtilitas Reipublicæ non esset contra Ecclesiæ iura, 3. ad componendam Principum suę Diœcesis controuersiam, vel inimicitiam, 4. pro interesse magno, & publico Ciuitatis. Pro vt vidi Marcum Antonium Gussium Episcopum Catanensem petiisse Panormum Anno 1651. ad Proregem Siciliæ pro Suburbibus Ciuitatis Catanæ, vt à Principum particularium dominio liberaret, & Ciuitati supposita essent pro vt ab antiquo fuère, & hæc vtilitas vocatur euidens Populorum, & Reipublicæ, in cuius adiutorium est Episcopus tanquam bonus Pater, & Pastor.

2 *Sed quid de officio Proregis, vel alterius officij in eadem Diœcesi?*

Respond. Non esse contra Residentiæ præceptum, sed consulendis Prouinciæ, & Regni pragmaticis, de Episcopis succedentibus in loco vacantiæ dictorum officiorum. Quare in euentu iudico: consuetudines probatas esse à Pontificibus, quibus pariter erit concedere in casibus, dicta munia exercere, præsertim ob causam sanguinis, ad vitandam irregularitatem. Ipse tandem expertus fui Illustrissimum Dominum D. Petrum Martinez Rubio Panormitanum Archiepiscopum curam Proregis habuisse à Rege nostro Catholico b. Mem. Philippo 4. Anno Domini 1658. & exercuisse de licentia Sum. Pontificis fel. record. Alex. 7. & ante ipsum, alij Episcopi, & Cardinales; pro vt pariter in Regno Neapolitano, tot decursis temporibus legitur: Cardinales exercuisse dicta munia, vt experientia docet, igitur nil ambigendum. Extrà verò Diœcesim me refero dictis *Potest.* 24. *n.* 3.

Dicta de Absentia à Potest. 22. sufficiant, & si quod reliquum est: inspice Doctores citatos, quibus adde relatos à Diana *Resol. Moral. p.* 2. *tract.* 1. *resol.* 5. & Barbos. *de officio, & Potest. Episcopi alleg.* 53.

De Episcopo accedere ad Metropolitanum pro Suffraganei consecratione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest accedere vbi maluerit Metropolitanus, pro sui, vel Suffraganeorum consecratione.*

2 *Sed quid, si Suffraganeus vocatus renuisset ire?*

3 *Sed num Archiepiscopus seruare tenetur quandam formam in correctione Suffraganei?*

Potestas XXVII.

1 POtest Episcopus accedere, vbi maluerit Metropolitanus, pro sui, & Suffraganeorum cõsecratione, ita *in Cap. Si qui in aliquo, & cap. non debet.* 65. *dist.* vt notauit Quarant. *v. Archiepiscopus n.* 4. cum-

mul-

Digitized by Google

multis aliis, & crassiùs Barbos. *de Episcop. p. 2. tit. 4. n. 45.* Probatur: Metropolitanus habet intentionem fundatam in vocatione sui suffraganei, vt in dictis exprimitur iuribus, aliàs non haberet, *ex cap. Romana, & cap. Venerabilis de Sentent. excommunicationis in 6.* & cùm sit de præstantia Archiepiscopi in suffraganeos, ideò congruit in Coronatione Principis Ecclesiæ, adesse omnes sibi de iure subiectos. Prout de necessitate præcepti est eorum assistentia in consecratione Metropolitę, vt dicam: *Potest. 223.* Hodiè tamen hęc Potestas est parum in vsu, propter indulgentias, vel priuilegia Summorum Pontificum in litteris promotionis ordinariè indulgentium, vt à quocunque Catholico Episcopo consecretur, cuiusmodi indulta, quòd de iure inerat, ostendunt. Potestas autem recurrit, saluis indultis.

2 *Sed quid, si suffraganeus vocatus, ire renuisset.*

Respond. cogendum Ecclesiasticis disciplinis, ad eius audaciam deprimendam. Cùm hęc vocatio non sit de numero liberorum, seù ad libitum, sed de iure expresso, ideò renuens constituitur iuris Reus, & pro qualitate pręsumptionis puniendus, nisi causa excusationis legitimę, & euidentis intercedente. Tunc enim nulla culpa, sed impotentia, omnis legis expers.

3 *Sed num Archiepiscopus seruare tenetur quandam formam in Correctione suffraganei?*

Respond. affirmatiuè cùm Marc. Antonio Gen. *in Praxi Neapol. c. 70. num. 1. in cap. 2. de officio delegati.* Videlicet: 1. debet ingressum Ecclesię prohibere. 2. ab officio suspendere, & 3. denique gladium excommunicationis emittere. Nam Episcopalis dignitas non debet statim occurri, sed paulatim, dãdo locum irę, ita quod nisi probata Audacia, & pertinacia, debet excommunicatione feriri, pro vt seruatur in praxi cũ omnibus excommunicationibus Papalibus, ordinariè directis contra Audentes, & pręsumẽtes, ideò non recedendum à praxi.

De Episcopo accedere ad Metropolitanum eius præsentiam visurum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest accedere primò sui gressus, ad Metropolitanum eius præsentiam visurum.*

2 *Sed quid, si fuerit impeditus?*

3 *Sed quid de eius ornatu in præsentia Archiepiscopi?*

Potestas XXVIII.

1 POtest Epus accedere 1. sui gressus ad Metropolitanum illius præsentiam visurum. *ex cap. Cum longè 63. dist.* vt meminit Quarant. *v. Archiepiscopus num. 6.* vbi Episcopus electus ab Archiepiscopo confirmationem obtinebat, mox autem hodiernum alitèr disponit Papa confirmante dictam promotionem, ideò necessitas adeundi ad Metropolitam tanquam ad Patrem suffraganeorum seruatur ad monita Ecclesiastica recipienda, vt vnanimi voluntate tota Prouincia Metropolitana regatur, & gubernetur. Vel ostendenda Ecclesiæ suæ priuilegia, exemptiones, vel Immunitates, seù li-

libertates sui Episcopatus, & quod magis, vt cognoscatur eius zelus, prudentia, fortitudo, aptitudo, doctrina, & idoneitas, quæ omnia vim habent contra persecutorum malignorumque linguas, quorum non desunt ad Aures Metropolitæ, cõtrà suffraganeos: eò quod Iustitiã, quam omnes clamant, pauci amplectuntur. Iuuat demum pro sententiis ferendis, & appellationibus, ad seruandam iuristicam Herarchiam, vt quod fertur ab vno, confirmatur, vel emendatur ab alio, ad iuris dispositionem. Vtque vnanimi consensu pascere, regere, & gubernare ritè possint totam Prouinciam. Doctores supra.

2 *Sed quid, si fuerit impeditus?*

Respond. teneri scribere, & per scripturam adimplere, quod per præsentiam tenebatur. *ex cap. longè.* 63. *dist.* ex quo collige, debitum adeundi per se, seù per scripturam, rationē imped. teneri ostendere, vt præcepta Archiepiscopalia reciperet. Barbosa *de Episcopo. p.* 1. *tit.* 4. *à num.* 8.

3 *Sed quid de eius ornatu in præsentia Archiepiscopi?*

Respond. ex Concil. Mediolan. *V. in Cæremon. Episc. lib.* 1. *cap.* 3. In conspectu sui Archiepiscopi Episcopum remissiùs procedere, abstinendo à benedictionibus priuatis, deferendo Rochetum coopertum, quia minor dignitas languidiùs stat in cõspectu maioris, vt Luna in conspectu Solis, secularis ad sacerdotem Peccatores ad Sanctos, Sancti ad Deum, quem honorificant Cœlorum Ciues, cuique omnis honor, & gloria. Amen.

De Episcopo quandoque admittente dispensationē subrectitiam, pro impedimentis Matrimonium dirimentibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest admittere dispēsationem subrectitiam, pro impedimentis Matrimonium dirimētibus, duobus concurrentibus, vt infra.*

2 *Sed quid de Matrimonio contrahendo?*

3 *Sed quid de partibus, vbi facilis esset recursus ad S. Sedem?*

4 *Sed num poterit hanc facultatem delegare?*

5 *Sed quid, si impedimentum esset dubium?*

Potestas XXIX.

1 POtest Episcopus admittere dispensationem subrectitiam, pro impedimentis Matrimonium dirimentibus, duobus concurrentibus. 1. quãdo impedimentū est occultū, 2. si magnum oriretur scandalum ex iterata impetratione Pontificia. Ita quamplures, quos sequitur Sà *v. Matrimonium. num.* 22. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 12. Franciscus de Araio *in* 1. 2. *D. Thom. q.* 97. *dist.* 3. *sect.* 7. *diff.* 2. Aliique non pauci. Antequam huiusmodi Potestas explicatur, est notandum 1. Matrimonium debere esse bona fide contractum; quia malèfidei non præsumitur fauère Pontificem, volētem enixè Coniuges separari, absque spe dispensationis. Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. 2. impedimentū debere esse occultū, estò Matrimonium fuisset publicū,

quia patentibus impedimentis obstat lex Reseruatiua Pontificis, *ex cap. non debet, de Consanguinitate, & Affinitate.* Immò scandalum considerabile, ex separatione Coniugum, vsque ad nouam dispensationem. Quibus concurrentibus exercet Episcopus positam Potestatem, quæ est ad vitandum damnum, graueque periculum, quod caueri debet ex benigna voluntate Pontificis, cuius Reseruatio non est ad damnum graue inferendum, sed vitandum. Ita citati DD. quorum ratio est: stante impedimento occulto; Bona fides contrahentium, & imminens periculum integrant causam excusatiuam, vt possit Episcopus dispensare, seù meliùs permittere dispensationem habitam, & postulatam à Coniugibus bona fide contractis. Nec obstat lex reseruatiua, quia hæc occurrit casibus publicis, vel cum nullo periculo vitæ, aut damni grauis. Cuius robur à suauitate legis Christi desumitur, *Ioan. 11. iugũ suaue, onusq; leue.* Vide Barbos. *de off. & Potest. Episcopi. All. g. 35.* per totum cum DD. sequela.

2 *Sed quid de Matrimonio contrahendo?*

Respond. Potestatem recurrere aiunt Henriq. *in Sum. lib. 1. cap. 3.* §. 2. Felicianus, Vega, & Alii, ob rationes supra signatas, de tacita Pontificis benigna voluntate, quæ ad vitandum vrgens detrimentum voluisse, glossatur, & interpetratur. Suarez autem *de Matrim. lib. 2. disp. 40. num. 4.* Substinet: posse Episcopum dispensare in foro conscientiæ cum illa, quæ manè accessit ad nuptias in Ecclesia, & in confessione inuenitur habere impedimentum dirimens, & omnia parata forent, ita vt manifestatio esset causa maioris infamiæ, nec adesset via euadendi illam. Aliis autem aliter placuit: abstinere à Matrimonio, & ad scandalum vitãdum, dicere consanguineis, se abstrictam esse voto Castitatis perpetuæ; ideò necessario expectanda dispensatio Pontificia, quòd vergit in honorem Puellæ, & suspicionem tollit. Ita apud Guttier. *de Matrim. cap. 49. num. 11.* Addo tandem Potestatem positam, maiorem habere locum in contrahendo, quàm in contracto Matrimonio, quia est sermo de dispensatione impetrata, qua non obtenta graue immineret damnum, cum infamiæ, & vitæ periculo. Vel accidit, quando à sanguine coniunctis dispensatio peteretur in 4. gradu, & inuenirentur in 3. tunc dispensatio foret subrectitia, ex representatione falsa, interea esset suspicio in illis de alterutrius cognitione apud parentes, nisi purificanda, per expectationem dispensationis, vel sortirentur mortes, & lites in Animarum detrimentum, ideò occultam subrectitiam, dissimulat Episcopus tacitè dispensando. Nec obstat impedimentum esse publicum, quia per taciturnitatem Episcopi cohonestatur, & per dispensationem putatur fuisse sublatum.

3 *Sed quid de partibus, vbi facilis esset recursus ad Sedem Apostolicam?*

Respond. in tali casu recurrendum ad illã Sanctã Sedem, ita tenent Nauar. *in Manual. cap. 22. n. 8.* Sanchez *d. loco num. 8.* & Alii. Vel ad Alium potestatem habentem, puta Commissarium Cruciatæ. Ratio fundamentalis huius opinionis est, quia necessitas extrema radicata in periculis, & impotentia, corruit in casu facilis recursus, & viritìm stat pro S. Sede. Nec excusatio locum habet. Ideò Controuertitur autem nùm præter S. Sedem Alii Nũcii, vel Commissarius prædictus, habeant dispensandi facultatem in con-

contrahendo in extrema necessitate, Alii affirmãt, Alii negant apud Hẽriquez *lib. 6. de Pœnit. cap.* 10. *nu.* 11. Ipse tamen consulerem praxim, quæ conciliat vtrasque opiniones pro diuersitate locorum, & nil eà meliùs dubiorum explicatiuà.

4 *Sed num poterit hanc facultatem delegare?*

Respond. Affirmatiuè. Tum quia est ordinaria, fundata in necessitate, & impotentia prędictis. Apud Henriq. Vega, & alios, eique competit ex officio. Apud Sanchez *d. loco n.* 14. at Ordinaria, & ex officio dicitur facultas in iure delegabilis, ideò. lege Barbos. Aliosque, quos ipse refert, & sequitur *d. loco cit. num.* 14.

5 *Sed quid, si impedimentum esset dubium?*

Respond. Dubium vel esse Iuris, scilicet, an impediens, vel dirimens? vel num erit impediens nec ne? Aut ex diuersitate opinionum, quarum vna probabilis, & altera probabilior. Tunc posse Episcopum sectando probabilem dispensare. Ratio; quia talis opinio sufficienter tranquillat conscientiam in fauorem petentium. Id ipsum si dubium esset impediens: nisi scrupulizãdo Episcopus maluisset eligere probabiliorem, & si esset præsumptio, inclinabit in partem negatiuam. Vel dubium esset facti: pro dirimente, tuncque posset eligere securiorem: & pendet hoc à circumstantijs in confessione impedimenti. Nisi ex necessitate, vel vrgentia teneretur eligere probabilem, non impunè, sed probabiliter iudicando, id fieri posse, & oportere. Legatur Sà *v. dispensatio. num.* 1. Layman *Theol. Moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. Audi Bonacin. *de legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 18. Pro primo casu, Quando res egère dispensatione dubitatur; poterit in lege Superioris dispensare. Sed in secundo casu, & conflictu opinionum veriorem à Iudicibus esse amplectẽdam. Vrgens demum necessitas in omni lege, principem locum obtinet; sitque hoc dictum pro secunda Potestate. Ideò satis.

De Episcopo alienante Ecclesiæ bona.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest alienare Ecclesiæ bona, inconsulto Papa, casibus infrascriptis.*

2 *De Personis, quibus interdicta est Alienatio.*

3 *De causa finali Extrauagantis Pauli* 2.

4 *De Alienatione, seù actione prohibita in extrauagante.*

5 *An locatio facta vltrà Triennium subsistat pro toto Triennio?*

6 *Sed quid de hac deputatione Triennali?*

7 *Sed quid de locatione fructus Beneficiorum?*

8 *Sed quid de locatione facta ad vnum, vel duos annos?*

9 *Sed quid, si ex beneplacito, ex nullo contractu Alienationis concederentur talia bona?*

10 *Sed an omnia locabilia possint alienari, & vendi?*

11 *De casibus à iure permissis in Emphyteusi.*

12 *Sed quid nulla concurrente causa ex assignatis?*

13 *Sed quid de tradi solitis in Emphyteusim?*

14 *Sed quid de rebus infructuosis?*

15 *Sed num possit Emphyteusim perpetuam concedere?*

16 *Sed quid de Emphyteusi solita in perpetuum concedi?*

17 *Sed quid de rebus concedi solitis in Emphyteusim, semel impetrato consensu Apostolico?*

18 *De mobilibus Inseruabilibus Ecclesiæ.*

19 *Sed quid de munere Episcopi in rebus alienandis, in casibus permissis?*

20 *Sed quid de re donata cum conditione, vt non possit alienari?*

21 *Sed, an hæc Extrauag. sit vsu recepta, nec ne?*

Potestas XXX.

1 POtest Episcopus alienare bona Ecclesiæ, inconsulto Papa, in infrascriptis casibus. *à nu.* 5. Doctores infra. Placeat ante Potestatis probationē plura notare vsq;ad *n.*4.

Primò Alienationē bonorū omnium Ecclesiasticorum Mobilium, & Immobilium, per extrauagant: Pauli 2. incipit: *Ambitiosæ, & Trident. sess.* 22. *cap.* 11. interdictam esse omnibus, & singulis Ecclesiasticis, tàm secularibus, quàm etiam Regularibus, Non obstantibus eorum Priuilegijs à Leon. x. 19. Nouembris. 1519. & Greg. 13. 18. Decembris 1576. relatis à Fr. Eman. Rodriq. *in Collect. Priuileg. Pag.* 45. Eò quia ex Sacra Congregatione declaratum fuit iussu Vrban. 8. 7. Septembris. 1624. *Ipsos Regulares, vnà cum alijs prohibitis currere*, vt per extensum refert Bonacina *Tractatus varij disputatione secunda punt.* 1. *num.* 8. Barbosa *de officio, & Potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 90. *num.* 60. Lezan. *cap.* 10. *n.* 3. vbi quamplures innouationes affert dicti Decreti, diuersis sub temporibus, datas, vnà cum Bull. Vrb. 8. incipit: *Humanæ salutis*, 1625, *tom.* 4. Bullarii inter Bullas Vrb. præfati *n.* 51.

2 *De Personis, quibus interdicta est Alienatio.*

Pro personis, quibus interdicta est alienatio (actio scilicet illa verita, qua transfertur dominium rerum Ecclesiæ) non Alios intelligas, quàm Prælatos omnes; propter sermonem ibi de Beneficiarijs, alijsque administrationem Ecclesiasticam habentibus: vt benè notarunt Zabbarella *ex Clem.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, Felinus, Sopronus, & Alii, apud Filiucc. *tract.* 44. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 4. Hac sola differentia in pœnis adiecta; quòd si Alienantes sint Pontificalibus vtentes; putà Episcopi, vel Abbates, in pœnam Alienationis malò factæ, incurrunt priuationem ab ingressu Ecclesiæ, aut suspensionem. Reliqui verò Excommunicat. Papæ reseruatam.

Cardinales autem quoq; comprehendi in hac Bulla, iisdem sub pœnis, asserunt Cassiodorus, & Flaminius. Ratio, quia ibi agitur de colenda iustitia, fraude vitanda, in vtilitatem publicam Ecclesiæ; Nec obstat dictum (illos non obligari ad leges pœnales) quod intelligas, nisi quando lex sit in vtilitatem Vniuersalem totius Ecclesiæ. Ita dicti DD. apud Bonac. *loc. cit. num.* 5. & verius si sermo esset de alienatione bonorum Sedis Apostolicæ, pro quibus speciale iuramentum emittere tenentur. *ex Pontificali*, iuxtà *Cōst. B. Pij. v. Clem. vij. & Innoc. viij.* pro vt retulère citati. Addit Nauarr. in hoc puncto: etiam si votum non fuisset emissum, quia, quæ fieri solent, & debent, facta esse præsumuntur. *l. vltima c. de fidei iussoribus.* Summus pariter Pontifex ex iuramento præstito, quando ad Apicē Cardinalatus fuit assumptus. Ratio, quia iuramētum sequitur personam;

igi-

Digitized by Google

igitur per assumptionem non demolitur,& ita contrà Iustitiam peccaret infeudando, alienando, &c. Mobilia, & Immobilia Sedis Apostolicæ. Ni tamen iuramenti cardines secum relaxaret de causis iustis, ad dispensationem requisitis; nam ex iniustis, nulla, & irrita foret dispensatio, vt benè probauit Bonac. *de legibus disp.1.q.3.punt. 3. num. 14. cum Alijs.*

3 *De Causa finali Extrauagantis Pauli 2.*

Præterea de causa finali illius Extrauag. quam enarrat Barbos. *d. loco numer.* 2. Inquam esse: illam ex qua Ecclesia graue pateretur damnum, putà si per cupiditatem ambitiosam, Mobilia prætiosa, vel immobilia Deo dicata, quibus illustrantur, & teguntur Ecclesiæ, loca pia, Monasteria,eorumque Ministri, dicarentur profanis vsibus, in graue detrimentum, & in dedecorem dictorum Sacrorum locorum, quam eandem finalem causam habuit Vrb. 8. *dicto loco*, vt colligitur ex proæmio eius diplomatis, à quo pendet explicatio legislatoris.

4 *De Alienatione, seù actione prohibita in Extrauagante.*

Postremò ipsa Alienatio est, quæ fit per Translationem, seù Abdicationem dominij in præiudicium Ecclesiæ, vel rerum Ecclesiasticarum; nam Prælati non sunt simpliciter Domini, sed tantum Curatores, ideo sub hac prohibitione generica, expresè veniunt omnes species contractus; quibus aliquo, vel omni pacto res alienantur, siuè directè, siuè indirectè, siuè propriè, siuè impropriè, vt sunt donatio, locatio, hypothecatio, & similes. Claritatis tandem gratia ponuntur propria Extrauag. verba — Incipit: *Ambitiosæ: Omnium Rerum, & bonorum Ecclesiasticorũ, Alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium; Concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, vltrà triennium; nec non infeudationem, vel contractum Emphyteuticum, præter quam in casibus à iure permissis; ac de rebus, vel bonis in Emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt, pro instanti temporis exigentia, hac perpetuò valitura constitutione fieri prohibemus. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis, alijsque super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus in suo nihilominus robore permansuris*: hęc

Deindè fulminat excommunicationis sententiam, contra Alienantes,& res alienatas Recipientes, atq; declarat; contractus huiusmodi factos, nullius esse roboris, & valoris. Vide *tom. 1. Bullar. pag.* 329. Intuitu tamen Constitutionis, Paul. 4. incipit: *Iniunctum nobis*, constituit *Alienationem, & locationem quorumcunque Ecclesiasticorum bonorum in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus; aut aliàs, tanquam nulliter factas rescindit, & cassat.*

Ex hactenus dictis: collige hac in re, impotentiam potentiæ Episcopali admixtam, nostra autem interest, selectam potentiam probare, & impotentiam *Poster. part. imp.* 13. remittere; Ideò notentur verba ibi apposita. 1. *vltrà Triennium.* 2. *præterquam in casibus à iure permissis.* 3. *ac de fructibus, quæ seruando seruari non possunt.* 4. *Ab antiquo concessis.* 5. *& tunc in Ecclesiarum euidenti vtilitate*, In quibus videtur Pontifex prohibere, & solùm permittere in adiectis clausulis, scilicet: *Vltrà*, & *Præterquam*, ex quibus excipitur Regula in contrarium.

Ita

Digitized by Google

Ita qđ si priùs Extrauag. impotētiā indixit, posteà indulgendo potentiam tribuit. Quapropter est dicendum primò, Episcopum posse bona Ecclesiastica locare per triennium, & non vltrà, ad mensuram actus pręscripti in dicta Paulina, Triennalis locatio subſtat libito Episcopi.

Clariùs: Bona Alia mobilia, Alia Immobilia; & Alia prætiosa, & de omnibus his procedit posita Potestas. Ideò ſtrictiùs: Ex immobilibus potest locare Prædia, Vineas, Armenta, Greges bouum, & æquorum, Domos, Terrulas, Arbores, & similia. Apud Felin. Filiuc. Castropal. Barbos. & alios *d. l. citatis*. Fructus autem dictorum immobilium, v. g. Arborum, Ouium, Æquorum, & similium comprehenduntur in Paulina prohibitione. Pecunia regulariter inter res mobiles, & inseruabiles connumeratur à præfatis DD. At meliùs, vel illa fuerit destinata pro emendis agris, censibus, alijsque immobilibus, & fortiùs si ex illorum venditione, seruata, & destinata esset ad vtiliora emenda, & in banchis capsorum posita; tunc censetur de numero immobilium, & redditus, apud quamplures, quos recitat Barbos. *d. l. num.* 44. Vel erit Manualis, de oblationibus S. Imaginibus facta, & supradictis immobilibus non addicta, sicque inter res mobiles numeratur, ex Bonacina *ibid. num. 6.* Ex mobilibus itidem, dico: Alia esse prætiosa, puta Vasa aurea, argentea, vestes sacræ prætiosæ, quæ longè distant ab interitu, Imagines insignes Sanctorum, Bibliotheca copiosa librorum, & similia: pro quibus currit dicta Potestas de Triennali abdicatione, modo tamen actu non inseruiunt, & aliud damnum non inferrent. Ratio quia pro actu seruientibus, & necessariis, nulla est indulgētia, ex eadem Extrauag. Tum quia sic foret deornare potiùs Ecclesiam, quam illi prodesse, contrà intentum finalem Paulinæ. Alia non prætiosa, sed seruabilia, vt sunt lignatæ, ferratæ pro fabrica, & alia instrumenta pro munificentia officiorum, & officialium Ecclesiæ, aut locorum piorum, lapides pro ędificio, calcina, pro structura, & alia huiusmodi, de quibus idem est sermo, ac de primis, quæ à pari currunt, & equiparantur dictis immobilibus. Vide Quarant. *v. Alienatio Rerum Ecclesiæ. num.* 24. Alia demum quæ seruari nequeunt, & de his inferiùs *num.* 18.

5 *Sed primò, An locatio facta vltra triennium, subsistat pro primo solo triennio?*

Respond. Barbosam concordasse opiniones multorū sic: ꝑ parte separante tempus vtile ab inutile; & pro alia non separante, quod cognosci potest ex coniecturis, & circumstantiis contractantium; nam quando locantes non assentirent pro solo Triennio, eo quia prędiū v. g. fuerit insuffecturum, vel damnum imminens; tunc tempus dicitur inseparabile à Triennio, secus si assentirent. Non placet autē Bonac. *d. l. num.* 24. §. *Non obstat*; quia hęc doctrina contradicit dictę Extrauag. vbi habetur: locationem vltrà triennium inualidam esse, & separatio fieri non potest ratione Contractus: quia indiuisibilis in vnica locatione. Docetq; secùs si distinto cōtextu, *vt loco tibi vineā ad Triennium, quibus elapsis ex tunc concedo, tibi eandem vineam ad alios tres annos*; in quo ait non vitiari quoad totum contractum, sed solùm quòad secundum contextum, seù conditionem, & valère quòad primum. Ratio, quia iteratio locationis videtur fieri in fraudem legis. Placet tandem meliùs, (saluo vsu, vel consuetudine re-

receptа) locationem ita' factam sola posse consuetudine cohonestari, nulla verò ratione, quia contractus huiusmodi videtur esse fraudolentus, cum diuisio illa facta pugnat contrà vnitatem, & indiuisibilitatem contractus, contrà quem lata est Paulina: solùm concedens contractum non vltrà triennium, igitur si in vnico cõtractu fieret iteratio Triennii, esset in illius fraudem. Itidem vel contractus huiusmodi habet rationem vnius locationis, vel duplicis: non primum, quia eodem contractu fit duplex locatio prohibita, neque secundum, quia fortè factus est ad inualiditatem fugiendam, sed quod aufugitur, confugitur, quia solus indiuisibilis, & triennalis est concessus cum clausula irritante, scilicet: *Alitèr factum esse nullum*. Vltimo ex dicta Clausula non annullatur tempus ad Triennium, quòd superest, sed totum quod factum est, nam *Aliter* est relatiuum ad concessionem Aliter factam; saluo meliori iudicio.

6 *Sed quid de hac computatione triennali?*

Respond. Computationem fieri, vel ex temporis decursu, vel fructuum collectione, apud Couar. *variar. lib. 2. cap. 16. num. 6.* Guttier. Rebell. Ricc. & Alios. Ratio quia finis intrinsecus locationis est Collectio fructuum rei locatæ, quæ si in Triennio esset infructuosa, talis finis non haberetur, & esset frustranea locatio, adeoque si fructus huiusmodi semel esset quolibet triennio, non est cur locatio fieri non posset per nouem annos, & currit hæc doctrina pro prædijs Siluestrinis, & Carrubarijs, quorum emolumentum est semel in Triennio, cum singula triennia equiparantur tribus annis in his, qui ex parte rerum ita fiunt. Ita communiter.

7 *Sed quid de locatione fructus Beneficiorum?*

Respond. fructus dupliciter considerari. Primo modo: vel illi non existunt, vt quando quis se obligat dare fructus Prædiorum Ecclesiasticorum per plura futura tempora. Secundo modò: quando fructus existunt. Primi generis connumerantur inter res, quæ seruantur. Secundi verò inter res, quæ seruari nequeunt; sicque si sermo est de fructibus primi generis, vnà cum triennio currunt, quia seruabiles, si verò secundi generis, aliter est dicendum, in calce *num.* 18. Ratio patet, quia hæc videtur locatio rei, ex qua fructus percipiuntur, nam si esset locatio fructus, foret nullius, quia de non existẽtib⁹, nullus actus existit; vt docuit Armilla. *v. locatio num.* 5. Nec fructus nisi in posteriori sensu excipiuntur in Paulina, vt notauit Bonac. *d. l. num. 29. in fine §. ad Rationem.*

8 *Sed quid de locatione facta ad vnum, vel duos Annos?*

Respond. valere: hoc dico etiam si facta fuisset coacta, ex statuto Diœcesano, vbi statuere potest Episcopus, non fieri vltrà duos annos. Ita communiter cum Ales. *consil.* 160. Ratio, quia sumus extrà prohibitionem, & infrà permissionem, in dictis locationibus citrà, & non vltrà factis; ideò intrà tempus concessum, & non extrà, prohibitum.

9 *Sed quid si ex beneplacito, & ex nullo contractu Alienationis, concederentur præfata bona?*

Respond. Si ex tali beneplacita concessione videretur transferri solus rei vsus, Beneficiarium non esse Reum pœnarum Paulinæ: cum hæc non sit propria Alienatio, sed commodatum: si verò dominium, Reum esse. Ratio, quia alienatur res Ecclesiæ sub titulo beneplaciti, quo titulo non cohonestatur benè actio prohibita; pro vt in Extrauag. in qua si men-

Digitized by Google

mentio facta est de Alienatione per contractum locationis vt sic; est quia solitum semper fuit ita alienare. Ita DD, apud Ricc. *decis.* 74. & 68.

10 *Sed an omnia locabilia possint alienari, & vendi?*

Respond. Negatiuè; quia positi sunt diuersi modi in dicta Extrauag. iuxtà diuersitatem rerum vendendarum, & locabilium: Alienantur enim per venditionem res, quæ seruari nō possunt, cuiusmodi sunt oleum, frumentum, caseus, mel, & similia. Locantur autem Immobilia, vt Domus, Vineæ, Agri, Prædia, Greges; Mobilia etiam non prætiosa seruabilia; modò tamen omnia fiant in vtilitatem Ecclesiæ.

11 *De casibus à iure permissis in Emphyteusi?*

Respond. Posse Episcopum dare in feudū, seù in Emphyteusim bona Ecclesiastica mobilia, vel immobilia in subscriptis casibus à iure permissis; tamē quando necessitas, Pietas, vel inutilitas, aut incommoditas Ecclesiæ, recurrerent, prout ex diuersis iuribus docuit Barbos. *dic. l. n.* 22. Apertiùs autem 1. quando vrgeret debitum, vel necessitas Ecclesiæ. 2. Si Pauperes, vel captiui, aliundè subueniri nequirent, nisi de pietate Ecclesiæ. 3. Quando res plus incommodi, & damni, quam boni esset Ecclesiæ. 4. quando ex tali alienatione facta recuperaretur res magis vtilis; his omnibus, & similibus, apud DD. potest res in feudum, vel in Emphyteusim dari, sine licentia Papæ, vel vlla solemnitate, quod totum constat ex permissione Paulinæ sub illa particula exceptiua: *Præterquam in Casibus à iure permissis.*

Dicta magis videntur habere locum in rebus stabilibus, & loco immobilib⁹, Indè vt v.g. fundus inutilis, & infructuosus per culturam, seù curam specialem redderetur vtilis Ecclesiç.

De rebus autem fundo carentibus dari solitis in Emphyteusim, hoc est per dominium vtile, dico: posse oppignorari, seù hypothecari, quæ est species alienationis impropriæ; nam ad vtilitatem Ecclesiæ actus permissus Emphyteusis fauorabiliter extēdi potest ad omnes actus, quibus dominium vtile transfertur; ita Molin. Rodriq. & Vasq. apud Bonac. *d. l. num.* 23.

12 *Sed quid nulla concurrente causa ex assignatis?*

Resp. Emphyteuticationem nullam fore absque sollemnitate, seù cōsensu Pontificis, nam datum pro causa, cessat illa cessante; adeoque prohibitio in tali casu recurrit, & non indulta permissio. Doctores supra.

13 *Sed quid de tradi solitis in Emphyteusim?*

Respond. Data Extrauag. solitum cessare; quia contra id dirigitur Paulina, ad malas consuetudines euellendas in Alienatione rerum Ecclesiasticarum per emphyteusim, seù alium alienatiuum contractum; in quo daretur dominium directum, vel aliud vti vsusfructus, aut ius quomodolibet in alium transferetur. Immò si dicta dispositio procedit contrà actū emphyteuticabilium, magis habet vim contrà solitum. Concedit tamen Molina *disp.* 369. apud Bonac. *d. l. num.* 20. Solitum hoc valēre concurrentibus causis prædictis; de quibus nō est sermo meus, quia loquor absque causis, & ante dictam extrauag. atque adeò responsio habet locum post dictam extrauag. nullis causis concurrentibus.

14 *Sed quid de rebus infructuosis?*

Respond. si sensus est de infructuosis absque solemnitate traditis, sed factis fructuosis, & Ecclesiæ redditis, num vi antiquæ causæ possint emphy-

Digitized by Google

emphyteuticari? vel necessaria sit alia causa Dico: requiri. Ratio, quia cessat causa antiqua cõtinuationem, reddita fructuosa, & vnà cum fructuosis currere debet, ideò nisi ex dictis causis, & cũ solemnitate alienari debet, ita quod si res anteà alienabantur, tanquam incommodæ, & inutiles; imposterum factæ commodæ, & vtiles debent propter euidentem Ecclesiæ necessitatem, & vtilitatem cum solemnitate alienari, tanquam res non ampliùs inutiles, sed vtiles; modo quo alienantur prætiosa vtilia. DD. citati.

15 *Sed num possit Emphyteusim perpetuam concedere?*

Respond. contra Pereira *de nominat: Emphyt. quæst.* 13. *num.* 16. negatiuè ex Constit. Vrban. 8. incipit: *Humanæ salutis Kal. Nouembris.* 1625. vbi interdicit, & prohibet etiam in euidentissimam Ecclesiæ vtilitatem, quòd est valdè notandum, quia Bulla directè opponitur perpetuitati locationum, & Emphyteusium illis verbis: *Et locorum piorum — In feudum, vel Emphyteusim concedere, aut vltrà triennium locare, aut concessiones inuestituras, & locationes huiusmodi post finitum illarum tempus, quandocunque reuocare, prorogare, vel de nouo facere, etiam ad fauorem descendentium, hæredum, vel consanguineorum illorũ, qui Ciuitates, Terras — &c. obtinuerint — etiam si in euidentẽ — immò euidẽtissimã Ecclesiæ vtilitatẽ, — audeant, vel præsumant. &c.*

16 *Sed quid de Emphyteusi solita in perpetuum concedi, iure præscripto post 40. annos?*

Respond. Estò verum sit ad præscribendas res Ecclesiasticas sufficere lapsum 40. annorum, *ex cap. illud* 8. *de præscript.* apud Ias. *consil.* 155. & *Dec. cõs.* 142. attamen semel concessio sufficit, vt hi docent, vel bina concessio requiritur, vt Rosent. voluit *tract. de Alienatione per Emphyteus. cap.* 4. 26. *num.* 7. quãuis Bulla Vrb. 8. non fauet dictis.

17 *Sed quid de rebus concedi solitis in Emphyteusim, semel impetrato Assensu Apostolico?*

Respond. Posse semper absque tali cõsensu, & beneplacito qđo reuertitur, & iterũ Emphyteuticari. Ratio, quia semel adimpleta illa conditione, seù solemnitate, quàm Paulina requirit; sufficit vt res sit Alienabilis, ita in dicta; *Ambitiosæ: ab antiquo concedi solitis*. Vide Quarant. *v. Alienatio rer. Eccles. num.* 39. & 40. Addit Barbos. ex Vela Iuris consul. *d. loc. num.* 29. etiam accedènte Iuramento de non Emphyteuticando, inconsulto Pontifice. Ratio, quia p dictũ Iuramentũ non astringeretur ad solita concedi, vel melius: iuramentum non continet solitum Alienari. *cap. ex parte de feudis.* Vide alia præmulta de dispositione rerum Ecclesiasticarum *Potest.* 172.

18 *De Mobilibus Inseruabilibus.*

Respond. Posse Episcopum ex mobilibus Inseruabilibus, inconsulto Pontifice alienare, & vendere in Ecclesiæ vtilitatem. Cuiusmodi bona sunt: fructus Immobilium, & Prçdiorum, vt vinum, oleum, lac, mel, triticum, & huiusmodi generis alia, quæ seruabilitatem excludunt, & si seruarẽtur nullius essent valoris. Vndè valère quoque quamplures aiunt Alienationem, & Venditionem caprarum, ouium, equuorum, & similium, modò non sint de mebris Gregis, nam si essent, saperent de rebus Immobilibus, vel Mobilibus prætiosis. Vide Molin. *de Iustitia disp.* 468. Bonac. *var. tract. tract.* 2. *p. vn. à num.* 3. Quod quoque procedit de prætiosis inseruabilibus, vt ex recensitis, quædam Arbores inter

immobiles numeratur; secùs si eradicarentur, vel exciderentur ad lignandam, reparandam, vel substentandam Ecclesiam; absque incursione Censuræ, sine consensu Apostolico. Si verò exciderentur in partes, ad vberiores fructus reddendos, vel aptarentur suis temporibus, licitè habent, & debent fieri; nam hæc est illorum accommodatio potiùs, quã dissipatio; legatur Sopronus *cap. 4. quæsit. 10. cum Alijs.* Si demum exciderentur in totum, ad vineam plãtandam, vel aliud faciendum, id fieri prohibetur, quia mutaretur certum, pro incerto, nisi probabiliter Experti consulerent ad meliorandum, vt ait Bonac. de oliuetis, & siluis. *d. l. num.* 8.

Ratio verò potissima positionis est, nè res inseruabilis seruata, euaderet inutilis Ecclesiæ, nam inseruabilia non astringuntur ad durationem, & disponitur de ipsis, iuxtà id, quòd de sua natura exigunt, prout praxis, & experientia dictant, vt habetur *in Clem. 1. de rebus Eccles. non Alienandis*, & notauit Vasq. *in Opusculo de Redditibus cap. 2. §. 2. dub. 13.* Quibus sub casibus alios subtexuit Barbos. *d. l. à num.* 50. ex Quarant. *v. Alien. num.* 15. & Ricc. *in Praxi decis.* 1. Suntque sequentes.

1. Inconsulto Papa: Potest Episcopus Alienare rem immobilem paruam, modicam, & exiguam; quod modicum ad summum foret valoris quinquaginta Aureorum; iuxtà qualitatem locorum, & conditionem Ecclesiarum, ex Mascard. *de probat. consil.* 25.

2. In casu Repudiationis legati, seù rei non incorporatæ: eo quia res adhùc non incorporata, non est iuris Ecclesiæ.

3. In casu permutationis cum Altera Ecclesia, quia prohibitio cadit in hoc: ne res Ecclesiæ ad profanos inseruiãt vsus; securiùs autẽ hæc permutatio fieri solet cum beneplacito requisito, vt ait Aloys. Ricc. *Resol.* 60.

4. Si Instante necessitate, difficilis esset aditus ad Pontificem, & hoc locum habet pro alendis pauperibus, & redimendis captiuis.

5. Quando Ecclesia esset incapax retinendi talia bona relicta, vel donata, vt sunt Ecclesię Fratr. Min. de Obseruantia, eorumque Reformati, & Cappuccini. quorum meminit Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 3.

6. Quando res esset restitutioni subiecta ex pacto testatoris, vel aliundè. Ratio, quia sic non esset Alienatio, nisi pœnes voluntatem donantis, & non Beneficiarij.

7. Pro remuneratione mœritorum.

8. Pro Translatione rei, cuius possessio non est pœnes Ecclesiam.

Vltimò. in Remissione caducitatis Emphyteutæ Ecclesiæ. Hæc vsque *num.* 64. Tu autem consule stylum curiæ, cui tota rei structura innititur.

19 *Sed quid de munere Episcopi in Alienandis rebus, in casibus permissis?*

Respond. Ita procedere debere: quod à Parocho, seù Rectore Ecclesię presentetur memoriale petitiuum assensus; Epus autem decernit informationes capi; quibus visis, tendentibus ad vtilitatem Ecclesiæ, interponit Decretum, exprimendo primò rem ita se habere, & deindè consensum præstabit; ita docuerunt quamplures ex Aloysio Ricc. *in praxi fori Ecclesiastici decis.* 94. *1. edit.* quod totum procedit de Alienatione, ex præfatis causis, aliarum Ecclesiarum: respectu autem suæ Ecclesiæ, quia sui Iuris est, nulllo interposito, solus consentit, & operatur.

20 *Sed quid de re donata cum conditione, vt non possit Alienari?*

Respond. Conditionem haberi pro

pro non adiectâ, quia contrà Iura præscripta pro Ecclesiis,& locis pijs; sicut è contra dicitur, si Testator cõditionem adderet, vt res possit Alienari absque solemnitate; quia conditio legatarij non restringit ius illius rei legatæ, neque Ecclesiæ iura, eiusque iurisditionalia, ita Rebuff. *de Alienatione num. 23.*

21 *Sed an hæc Extrauag. sit vsu recepta, nec ne?*

Responsio clarior habebitur, *p. post. Impot.* 13. vbi fusiùs de solemnitate, & consensu requisitis. Satis ideò hìc de Personis, Alienatione vetita, & permissa, atque pœnis cõtrà violatores Paulinæ. Cum de Alienatione facta ab Antecessore abundè dicã infrà Potest. 216. Quod reliquum est suis locis luculenter patebit.



De Episcopo alloquente Moniales in Monasterijs sui districtus, seù territorij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest alloqui Moniales in Monasterijs sui districtus, seù territorij.*

2 *Sed quid, vbi nulla sit reseruatio ab homine?*

3 *Sed quid, vbi adest per statutũ Cẽsura reseruata contrà alloquentes Moniales, sed contraria Consuetudo?*

4 *Sed quid de Monasterijs exemptis, & immediatè S. Apostolicæ subiectis?*

Potestas XXXI.

1 POtest Episcopus alloqui Moniales in Monasterijs sui districtus, seù territorii. Ita communiter. & nequid vulgare appareat posita Potestas; Inquam: strictissimam esse factam prohibitionem omnibus, tàm Secularibus, quàm Ecclesiasticis de accessu ad Monasteria Monialium, ex *Concil. 2. Hispal. & cap. Monasteria. de Vita, & honestate Clericorum.* Tùm ad vitanda innumera delicta indè scatentia, pro vt experientia compertum est; Atque ad conseruandam Monialium pudicitiam, frænandas sæculi illecebras in famulabus Deo dicatis; & Mundo præstandum odorem bonorum operum ab illis, qui sæculo renunciarũt, Deoque toto cordis affectu sese mãciparunt. Quapropter ex accessu, & frequentia frustraretur finis Monialium status, Populusque arrideret; inspiciendo illas si non effectu, affectu Mundo coniunctas; Nec errat Mundus, Basilio dicente: *Mulierem ignoro, & Virgo non sum*. Vigilat igitur S. Apostolica *d. loco*. vbi sic determinat. (*Si quisquam Clericus, sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur*: idest moneatur, *& si non destiterit ab officio Ecclesiastico reddatur immunis*: *Si Laici excommunicationi subdantur*; Hęc ibi. — Insuper pro Regularibus S. Congregatio iussu Sixti v. *nonis Maij* 1590. decreuit, & interdixit illis accessum, licentias sibi reseruãdo, quòd decretũ fuit quoad dictas licentias modificatum *ab eadem S. Congregat. sub Vrb. 8. Kal. Decembris* 1623. vt *Episcopi ad summum per quatuor vices in Anno possint concedere Regularibus alloqui Moniales sibi in primo, & secundo gradu*

du sanguine coniunctas, cum assistentia assistricium, consignata facultate in manibus Confessarij Ordinarij, quodue non sit in diebus Aduentus, Quadragesima, feria 6. Sabbatis, & Vigilijs. Atque Nouissimè Alex. 7. in sua Constit. incipit: *Sacrosancti* 30. *Martij* 1658. dictis sub prohibitionibus comprehendi voluit Abbatissam, Priorissam, aut Officialem Monasterii de Vrbe, & Superiores, omnes Confessarios, & Visitatores extrà eorum munus; prout S. Congregatio antea decreuerat 21. Feb. ann. 1617. refert Barbos. *Collectan. Concilij sess.* 25. *num.* 21. *de Confessarijs*. Subdit autem noster de Lantusca, Aliud S. Congregationis Decretum 20. *Iulij* 1640. *Superiores locales, & Prouinciales, quibus cura Monasterij incumbit non comprehendi in probibitione*. Cum literis ad Episcopum Capacij his verbis: *Non s'intende de Confessori ò Superiori de Conuenti de Frati, che han cura delli Monasterij, data in Roma in Anno.* 1641. 27 *Septembris*. Quæ quidem explicatio valère quoque iudico pro dicta nouissima emanata dispositione Alexandri 7. nam credere sub coactus, nolle Summum Pontificem priuare Superiores debita cura, & diligentia in actibus necessariis; *Vide Potest.* 127. Quibus omnibus notatis Censuris comminatoriis in dictis prohibitionibus. Placuit quibusdam Illustrissimis Episcopis in suis Diœcesibus sub censura reseruata extendere suo Edicto dictam prohibitionem ad omnes suos subditos, vt notauit Graff. *de Reseru. lib.* 2. *num* 73. asserens: ita seruari Florentiæ, Neapolim, Nolæ, Surrenti, alibique in Regno Neapolitano. Stante igitur prohibitione, seù Censura reseruata. Sequuntur duo.

1 Primum extrà omnem dubitationem Posse Episcopum Moniales, vbique degentes, etiam in locis exemptis in suo districtu, vel territorio alloqui, cum sit caput, & Superior suæ Diœcesis, cui vigilantia Monasteriorum, etiam exemptorum incumbit, pro seruanda clausura, visitandis Confessariis, Cappellanis, electione Abbatissarum, restituendo cãdore regularis disciplinę, num in eis viget cęlibatum, earumque institutum: vt possit omnia restituere, vel quando opus est corrigere. Iuuatque hoc pro Superioribus Regularibus, qui non comprehenduntur in comminatis censuris pro regimine suorum Monasteriorum, vt declarauit S. Congregat. in Alexandrina 20. *Iulij* 1640. & per literas datas Archiepiscopo Capacii Amalphitano. 22. *Nouembr.* 1641. supranotatas: quia ijs quoque erit modo, & forma prædictis inuigilare; quod factum est, indè nè Ordinarii locorum vexare audeant Superiores accedentes. Apud de Lantusca. *v. Allocutionum* 1. & 7.

Secundum, nec sub censura reseruata per edictum comprehenduntur Episcopi exteri, qui ex trà propria in eorum Diœcesim possunt absque licentia Ordinariorum loci Moniales alloqui, vt notauit in praxi Diana *dub. Regul. p.* 3. *tom.* 2. *Resol.* 48. §. *nota quinto*. Ex Graff. infrà citato, ratione ducta ex eo: quia de priuilegiis Episcoporum, hi sunt exceptione digni, ob honorem culminis, ideò nisi expresè nominati in pœnalibus, non intelliguntur. Contrà Barbosam *Summ. Apostol. decis. v.* Episcopus quòad Nuntias, & Moniales. *n.* 13.

2 *Sed quid, vbi nulla sit reseruatio ab homine?*

Respond. Eo meliùs posse Episcopos accedere, & allòqui, nec de iure videntur Censurę fulminatę *ipso facto*; sed tantum comminatoriè; non latę, sed ferendę. Apud Gratianum

tom.

Digitized by Google

tom. 2. cap. 583. num. 10. disceptatione forensium. Neuè dicta potestas inanis posita videatur; est quia nonnullorum Monasteriorum præcipuè exemptorum fuit, aliquando dubitare de licito accessu proprij Episcopi, & adhęrentes parti, seù opinioni negatiuę, dictorum Monasteriorum Matres, Ancillę, &c. sibi licitam fecerunt repulsionem; pro ut vidi tantoties pluribus in partibus, cum dedecore Pręlatorum accedêtium, & quia Mulieres quandoque gaudêt Virginum fatuum Euangelij priuilegio; proinde sæpiùs absque pœnarum iniuncto relictę.

3 *Sed quid, vbi adest per statutum Censura reseruata, sed contraria consuetudo?*

Respondent quamplures apud Gratianum *d. loco.* Consuetudine legitimè introducta, & præscripta, Alloquentes cum Monialibus non ligari dicta cêsura reseruata p statutum iniecta. Fulciuntur: tum quia dicta consuetudo vim habet contrà statutum ab homine, præualetque tanquam ius commune ad particulare, & quia meum hic non est differere de puncto Iuris, nec contextum opinantium dissoluere. Sed solum dubitationi satisfacere, quã cum probabiliter fax hodierna lucet; ideò inquam: dictam consuetudinem fortè habuisse locum, antequam tanta Bullarum, & Decretorum Turba emanasset, contrà accedentes, & alloquentes; hodiè tamen de illorum rumore tot decursis temporibus, in Christiano ambitu, cessasse quamlibet consuetudinem opinor. Pontificibus in dies clamantibus, & exclamantibus contrà accedentes, & alloquentes Moniales, ideo standum vsui, & tenoribus Bullarum, nec non edictis Episcoporum.

4 *Sed quid de Monasterijs exemptis, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectis?*

Respond. satis ex supra dictis constare; posse Episcopum ad prædicta exempta Monasteria accedere, alloqui, & ingredi, qdo opus fuerit pro clausura visitãda, tanquam sibi pleno iure ordinario, vel delegato subiecta, & in suo Territorio situata, vt clamabant iura antiqua, & voluit Trid. 25. *de Regul. cap. 7. & sess. 21. de Reform. cap. 8.* pluribus alijs in locis. Ideò.

Huic subnectere libuit pro accessu Regularium, quibus interdicta est allocutio, & accessus ad Moniales, etiam eorum curæ subiectas. (Superioribus, Prouincialibus, & localibus, Visitatoribus, & Confessariis exceptis) sub pœna priuationis officiorum, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto, *Ex Decret. S. Congregat.* de mandato Sixti V. *nonis Maij* 1590. quæ omnia debent seruari in qualibet Mundi parte. *Ex eadem* 15. *Ian.* 1597. Contrauenientes autem possunt ab Episcopo puniri, tanquam delinquentes in suo Territorio *Eadem* 13. *Iulij* 1658. Incidunt in pœnã peccati mortalis. *Eadem* S. *Congregat.* 20. *Martij* 1621. Posseque Episcopum declarare pœnas incursas à Regularibus accedentibus. *Eadem* 8. *Nouembr.* 1647. Immò eos carcerare, atque suis Superioribus consignare. *Ex eadem* 7. *Martij* 1617. notauit Barbos. *in Summ. ad Regulares quoad locutionem cum Monialibus, num.* 7. supra dicta decreta attulit noster de Lantusca *d. l. num.* 7. non tamen incidunt Regulares in censuras ab Episcopis eorum edicto positas contrà alloquentes, si ipsi fruuntur priuilegio, vt nõ possint excommunicari ab Episcopo: Aliàs contrauentores sunt absoluendi ab Episcopo, & non ab eorum Superioribus; vt afferit Barbos. *d. loco num.* 6. & Dian. *Resol. Moral. p. 3. tr. 2. resol.* 103.

De

Digitized by Google

De Episcopo Applicante fructus Parochorum non residentium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest applicare fructus Parochorum non residentium.*
2 *Sed quid de non residentibus iustis de causis, & licentijs?*
3 *Sed quid de Ecclesia, fabrica non indigente?*
4 *Sed quænam sint causæ iustæ excusantes Absentiam?*
5 *Sed quantum Abesse, indulgere possit Episcopus Parocho?*
6 *Sed quid de Absentia longiori vltrà bimestre?*
7 *Sed quid, si non resederit ad breue tempus?*
8 *Sed quid de spolijs Parochi mortui extrà suam Parochiam?*

Potestas XXXII.

1 Potest Episcopus applicare fructus Parochorum non residentium fabricæ suarum Parochialium. Ita ex Sanctione Trid. *sessione 23. de Reform. cap. 1.* his verbis, *Præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo 3. impositas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit eum, pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, sed teneri illos, per Ecclesiasticũ Superiorem fabricæ Ecclesiarum, vel Pauperibus erogare.* Sensus itaque determinati est, quia Parochi ad personalem residentiam tenentur, propter Animarum curam, quam habent, & quidem iure diuino, prò vt innuit *Trid. d. l.* Indè vt Parochiani habeant Pastorem ad Ianuam vigilantem, atque paratum, & oues faciliùs Armis spiritualibus citò munirentur. Quapropter Trid. iustè, sanctèque disposuit: fructus non residentium, quibus tanquam merces & præmium debebatur, subtrahi; & pro rata temporis absentiæ, tanquam illis indebita, applicari fabricæ Parochialis Ecclesiæ, quæ est Mater omnium Parochianorum, in qua diuina celebrantur, defunctorum Corpora sepeliuntur, Paruulorum Baptismata conficiuntur, & Sacramenta ministrantur; de hac re habet Armendar. *in recopil. legum* Nauar. *lib. 1. tit. 18. num. 160.* & notauit Barbos. *de Episcopo p. 3. alleg. 53. num. 103.*

2 *Sed quid de non Residentibus iustis de causis, & licentijs?*

Respond. Pœnas euadere, per discessum ex iusta probata causa, & legitima Episcopi licentia; in quo casù subintrat Alia Trid. dispositio *sess. &c. de prouisione Vicarij idonei* cum assignatione congruæ portionis, ità quòd fructus pro rata temporis, sicut debebantur Parocho residenti, modò debentur huic supplenti vices illius. Dixi ex iusta, & probata Causa; nam si iniusta esset, & Parochus iurasset, esse iustam; teneretur in cõscientia ad fructuum Restitutionem. Ratiò quia Trid. probari requirit legitimam absentiam, ex iusta causa, & legitima licentia, quod secundum fundatur in primo. Si igitur re verà primum erit falsum, vtique falsum quoque secundum, ita Apud Azor. *lib. 6. p. 1. cap. 10. quæst. 3.* è contra docet Zechius *de Casibus Reseruatis cas. 3. num. 3.* Si iustam, & rationabilem causam haberet, & tanquã inobediens licentiam spreuisset, non teneri ad restitutionem.

Ex

Ex quo fic: Totalis, & integra causa absentiæ debet esse vera, & iusta; licentia verò tanquam probatio de iustitia illius, quòd multis non improbatur. apud citatos.

3 *Sed quid de Ecclesia fabrica non indigente?*

Resp. Nomine fabricæ venire etiã omnia ornamenta, quibus materialiter, vel spiritualiter construitur, & ędificatur Ecclesia; ideò gratis dicitur non indigere; quia in dies, ex vsu, & consumptione ornamentorum, semper crescit necessitas, & his cessantibus; adsunt Pauperes adhùc recensiti à Trid. secundo loco post fabricam; his verbis: *illos fabricæ Ecclesiarum, aut Pauperibus loci erogare.*

4 *Sed quænam sunt Causa iusta, excusantes absentiam?*

Respond. cum Trid. ibidem Causas debere esse cognitas, & approbatas per Episcopum, vbi nil specificando illius arbitrio relinquit approbandas. Non improbatur autem, si eædem causæ forent excusantes Episcoporum Absentiam, quæ sunt; *Christiana Charitas, Vrgens Necessitas, Debita obedientia, & Ecclesia, vel Reipublicæ vtilitas.* Vel his equiualentes; etenim illæ currunt pro Episcopis, quorum præsentia magis vrget, magisque recurrere valebunt pro Parochis, immò minor subesse foret Causa pro his, quàm pro illis. Ita DD. vt suprà.

5 *Sed quantum abesse, indulgere potest Episcopus Parocho?*

Respond. Non vltrà bimestre, & nisi ex graui causa ex verb. Trid. sic *Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque cõcedendam, vltrà bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant.* quid clariùs.

6 *Sed quid de absentia longiori vltra bimestre?*

Respond. Quod si contingerit ex causa probata; purà propter inimicitias graues, vel aliud simile, posse Episcopum indulgere absentiam ad Annum, cum substentatione Vicarii idonei, & sufficienti fructuum portione, ad ratam temporis; si verò longiùs protraheretur causa absentiæ, & extiterit in culpa, tam inimicitiæ, quàm eius perseuerantiæ, Parochus erit priuandus, & Alius eius loco eligendus; vt aduertit Zerolla *in praxi Episcopi p. 1. v. priuatio* §. 4. *dub.* 1. si tandẽ non fuerit culpatus: tempus absentiæ protrahi poterit ad alterum Annum pro extintione inimicorum; apud Armendar. *in recopil. legum Nauar. d. l. num.* 134.

7 *Sed quid, si non residerit ad breue tempus?*

Respond. non incurrere pœnas, neque amittere fructus: modò Cappellanum relinquat idoneum, apud Baia *p.* 4. *cas.* 21. Ratio quia, qui parum abest, nil abesse dicitur; & statim venturus, discessisse non videtur; neque residere desinit, qui aliquantulum non residet. Neque Animum habet non residendi, qui statim reuertitur; Nam aiunt DD. Parochos in Residentia non esse in cõpedibus, vt nec parum discedere possint, pro visendis Parentibus, pro suis, ac proximorum negotiis. Quod breue spatium temporis intelligi potest ad 8. dies. Apud Pelleuin. *cap.* 1. *num.* 19. & Reginal. *in prax. fori pœnit. lib.* 1. *cap.* 6. At Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 31. *num.* 11. extendit ad spatium trium hebdomadarum, cum quampluribus. Quo temporis spatio, quia idoneum relinquit non tenetur ad fructuũ restitutionem.

Hic aduertere par est; Parochos nec excusari à Residentia illius Parochiæ, vbi essent duæ, vel tres Incolæ, vt notauit Nicol. Garc. *de Benef.*

p. 3.

Digitized by Google

p. 3. cap. 2. num. 179. & refert Barbos. *de Episcopo. alleg. 13. n. 73.* Ratio, quia Parochia non fit ex copia, vel minori numero Parochianorum, sed ex cura Animarum, quæ si defacto esset pauci de possibili plures, modò quo fuerũt initio suæ fundationis, erit vera Parochia.

8 *Sed quid de Spolijs Parochi mortui extrà suam Parochiam?*

Respond. tanquam bona Ecclesiastica acquisita ex beneficio Parochiali, pertinere ad Cameram Apostolicam, ad quam reducuntur omnia de beneficiis percepta, applicãda, prout dixi *n. 3.* & 4. Lege Navar. *cons. v. l. de Clericis non Residentibus*, & Vgol. *de Potest. Episcopi cap. 15. §. 4. num. 2.*



De Episcopo Applicante Indulgentias.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest sibi applicare Indulgentias, quas Alijs concedere potest.*

2 *Sed num eius Vicarius posset hoc facere?*

3 *Sed cur non possit Plenarias concedere?*

4 *Sed quid significent dicta Indulgentiæ?*

Potestas XXXIII.

1 POtest Episcopus sibi applicare Indulgentias, quas aliis concedere valet; ita ex D. Thom. *in addit. q. 27. art. 4.* cum Aliis innumeris; pendet hæc positio ex dicendis *Potest. 65.* vbi stat, quòd Episcopus potest concedere Indulgentias temporales suis subditis, tanquam habẽs partem sollicitudinis in Thesauro meritorum Christi, eiusque Sanctissimæ Matris, & Sanctorum. Tum quia Caput in sua Diœcesi, & dispẽsator fidelis, vt commissũ sibi gregẽ, iuuet Indulgentiis; adiuuet Absolutionibus, & Eleemosynis, vitetq; omnia noxia, cui tanquam legitimo spõso contingunt Claues aperiẽdi Thesauros, vt suos comparticipet regni Cœlestis. Non enim potest: *ex communi* DD. elargiri Indulgentias Plenarias defectu Potestatis illimitatæ, & in omni Terrarum Orbe; Quapropter non plenariam habet potestatem, iuxtà plenitudinẽ Populi Christiani, sed tantum partem sollicitudinis, ad quam fuit assumptus, pro solo Populo suæ Diœcesis. Ideo, &c.

Quod verò possit sibi applicare illas, quas aliis concedit, luce clariùs est, tum quia non est Aliorum deterior. Tum quia si Alios adiuuat sibi nocere non debet. Tum quia aperit ianuam clauibus Iurisdictionis, & insonum est, Alios ingredi, ipso non ingrediente. Demùm, qui Alios satiat, ieiunus esse non debet. Vide Lauor. *in Thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 11. num. 10.* Postremo, qui toti prodest, & parti prodesse dicitur, at caput inter partes est principalior pars; ergo tanquam communitatis caput gaudere debet Indulgentijs à se concessis. Nec benè dicitur: idem sibi ipsi non posse fauère; nam distinguendum de ipso, vel tanquam Caput, vel Pars, itaque vt Caput concedit, & vt pars communicat, aliàs caput esset à membris diuisum. Vltimò nec dicitur dãre, sed veriùs concedere, vel dispensare de Thesauro Ecclesię, aut applicare merità Christi, & Sanctorum suis fidelibus.

Quidam docuere: Episcopum lucrare posse Indulgentias, quas aliis con-

concedit, subijciendo se tamquam priuatus suo Confessario, à quo illas peteret. At hæc doctrina maximam patitur difficultatem; eo quia sic exerceret potestatē ordinariam, cōmunicādo alteri dictam facultatem; probabiliùs verò si sibi eas applicaret absque suæ authoritatis communicatione, vt dicam *Potest.* 65. *num.* 3. cum DD. ibi & meliùs infrà patebit.

2 *Sed num eius Vicarius possit hoc facere?*

Respond. negatiuè; neque posse Episcopum illi, vel alteri id committere, nisi specialiter donaretur à Sede Apostolica. Ratio, quia est actus iurisdictionis specificæ, & sequitur limites personæ elargientis, ita docuit Barbos. ex Turrebl. *lib.* 14. *cap.* 23. *num.* 37. *Alleg.* 54. *num.* 90. & *Alleg.* 88. *num.* 10. Itaque specificè delegabilis de iure Pontificio, non verò Ordinario; vt notarūnt benè Azor. Lauor. Suarez, & Alij, apud præfatos.

3 *Sed cur Episcopus non possit plenarias Indulgentias concedere?*

Respond. Defectu plenariæ, summę, & illimitatæ potestatis, qua Solus Pōtifex Romanus gaudet, vndequaq; plena, illimitata, & nullibi restricta. At Episcopus habet facultatem restrictam. Primò intrà confines suæ Diœcesis. Secundò in reseruatis à S. Apostolica. Tertiò à lege communi, & Trid. quod bona fide non asseritur de Papa, cuius Potestas in Vrbe, & Orbe diffusa est. Quapropter ista propositio: quòd Episcopus possit in sua Diœcesi tantum, quantum Papa in Orbe, est intelligenda restrictiuè, hoc est ni veniret limitatus à Superiori potestate, nam plura non potest Episcopus, vt per totum dicam *parte post. Imp.* 2. quæ tamen fieri possunt à Papa. Idcircò cum Potestas Indulgentiarum sit, & à iure restricta, vt apparebit *P. post. loc. cit.* præter taxatas, ampliùs non potest: vt habetur in cap. *Cum ex eo de Pœnit.* Conceditur itaque in Dedicatione Basilicæ Annus Indulgentiarum, & non vltrà, & in Anniuersarijs 40. dierum; prout referunt Vgol. *de Potest. Episcopi cap.* 41. Henriq. *in Summ. lib.* 7. *cap.* 42. etiam si in Dedicationibus præfatis, sint plures Episcopi, & illius valeret sola concessio, cui subiecta esset Ecclesia, vt innuit Alex. 3. & Innoc. 3. & notauit Cordub. *de Indulg. q.* 12. Si verò plures Indulgentias concederet; inualidæ essent illæ extrà numerum præscriptum; quia in rebus separabilibus per addictionem inutilem, non vitiatur vtile *Ex reg. Iuris.*

4 *Sed quid significent dictæ Indulgentiæ?*

Respond. Vel significare satisfationem pœnitentiarum à Confessarijs impositarum pro peccatis confessis; pro quib⁹ debebatur iuxtà Canones pœnitentiales pœna temporalis v. g. tot dierum, mensium, & Annorum, vt ibi speciatim præscribitur de omnibus peccatis. Vel Aliàs satisfactionem Diuinæ Iustitiæ; debitam pro peccatis commissis; iuxtà definitionem Indulgentiæ, quæ est. *Remissio temporalis pœnæ debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in Gratia, à Prælato, per applicationem Thesauri Ecclesiastici.* At quia hodiè non sunt in vsu pœnitentiæ à S. Canonibus taxatæ, propter imbecillitatem naturę, & delicatorum hominum, à Confessariis pœnitentię leues iniungūtur. Sed eorū loco dantur ieiunia, hymni, psalmi, & similia, ideò rarò dictę Indulgentiæ Episcoporum prosunt in foro externo, sed satis pro eo, quòd debebatur.

De Episcopo Approbante Reliquias, & Miracula.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest approbare Reliquias denuò inuentas, & Miracula alicuius Sancti in Sanctorum numero relati, vel per antiquam traditionem, & Ecclesiæ consensum approbati.*

2 *Sed quid, si anceps remaneret res?*

3 *Sed quid, si Episcopus esset extrà Diæcesim?*

4 *Sed quid de Reliquijs Sancti Canonizati permixtis, vnà cum Alijs, Sancti non Canonizati?*

5 *Sed quid sit publicus Cultus?*

Potestas XXXIV.

1 POtest Episcopus approbare Reliquias denuò inuentas, & Miracula alicuius Sancti in Sanctorum numero relati, vel per antiquam traditionem, & Ecclesiæ consensum approbati. Ita ex communi Doctorum infrà, Quorum potissima ratio quia huiusmodi approbatio equiualet Canonizationi; enim verò præsens forma Canonizationis, & ritus modernus, antiquitùs non fuit in vsu, vt testatur cũ multis Bonac. *de Præceptis decal, disp. 3. quæst. 1. p. 4. num. 4.* Vt autẽ casus magis, magisque pateat; relictis antiquis iuribus, *in cap. Audiuimus: de reliquijs, & Ven. Sanctorum*, & cap. *Venerabili de Testibus*, videre est quidquid Trid, *sess. 25. de Inuocatione, & Vener. Sanctor.* statuit sic: *Nulla admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem cognoscente, & approbante Episcopo*. Hæc. Deinde quamplurima emanarunt decreta à S. Congregatione dicti Concilij interprete fidelissima, inter quæ Vrb. 8. 13. *Maij 1625. & Secunda Octobris eiusdem Anni*, Iidem 20. *Nouembris* 1628. & 21. *Martij*, 1631. vt refert Turrebl. *in expos. decalogi lib. 1. cap. 9. d. 6. num. 26.* In quibus decernitur, & respondetur ad dubia emergenda, supra venerationem Sanctarum Reliquiarum, & Missarum celebrandarum, & concluditur sic: *dummodò sint ab Episcopo approbatæ*, vt videre est per extensum positus apud Barbos. *de Episcopo alleg. 97. in fine.* Nouissimè autem sub Alexandro 7. pro vt per extensum videto *p. post. Imp.* 12. Probatur autem ex sequentibus verbis Trid. d. l. *Nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & Alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati, & Pietati consentanea iudicauerit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus, sit extirpandus, aut omninò aliqua de ijs rebus grauior quæstio incidat; Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum sententiam expectet*. Quibus in verbis innuitur potestas approbatiua Reliquiarum denuò inuentarum Sanctorum Canonizatorum; nam de non hactenus Canonizatis, Sedis Apostolicæ ius est. *Ex cap. Vlt. de Reliquijs, & Ven. Sanctorum, vt* meliùs dicam *Potest. 221. & Impot. 17.* hoc est in Kalendario, vel Martyrologio Romano relatorum, per antiquã Ecclesię traditionem, aut vniuersalem Ecclesiæ consensum approbatarum; vt eadem S. Congre-

gre-

gregatio censuit: Antiquas habendas esse in illa veneratione, quæ hactenus fuerunt, hæc Bonac. l. cit. & patet ex Conc. verbis, vbi sermo est de nouo inuentis; neuè errent Episcopi datus est modus; qui est Consilium Theologorum, aliorumque virorum; quibus tantum erit consulere; Episcopo verò decidere, vel si magna suboriretur quæstio; expectanda erit sententia à Cõcilio Prouinciali, vt notauit Facundez *in v. Ecclesia precepto lib. 1. cap. 4. num. 5.* Quod totum ritè dispositum est; vt publicæ adorationi exponantur reliquiæ veræ, & nulli dubio subiectæ; vtque diligentia adhibita pro testimonia præfata, verus daretur illis cultus, & laudetur Deus in Sanctis suis.

2 *Sed quid, si Anceps remaneret res?*

Respond. vsque ad dilucidam veritatem, Reliquias seruandas esse in loco separato, & decenti. Ita multi apud Sanchez *in præcept. Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 19.* Ratio quia in re tanti momenti, ne videretur Ecclesia errare, quæ à Spiritu Sancto regitur, & gubernatur, omnes diligentiæ sunt adhibendæ ad veritatem inueniendam. Si autem veritas obscura, dubia, vel anceps, esset, omninò non debet admitti Reliquiarũ expositio; ne veneremur in Terris, quod cruciatur in tormentis.

3 *Sed quid, si Episcopus extrà Diœcesim reperiretur?*

Respond. Adhùc posse, ratio quia hæc iurisdictio non est contentiosa; quæ clauditur limitibus Diœcesis, sed voluntaria, & libera, & sequitur vbique personam Episcopi, quam sententiam docuerunt quamplures; apud Dian. *Resol. Moral. p. 2. Miscell. resol. 51.*

4 *Sed quid de Reliquijs Sancti Canonizati permixtis, vnà cum Alijs, Sancti non Canonizati?*

Respond. Modò permixtio sit, vt Reliquiæ sint separabiles ab inuicem, posset Episcopus approbare, & exponere illas tantùm Canonizati, Alias verò seruare in loco decentiori; si verò inseparabiles, eò quia non cognoscerentur, nõ poterit omnes simul exponere. Ratio, quia in rebus tanti momenti, tantęque fidei, quod exponitur publicè, integrè, & in totum debet esse verũ, & in nullo anceps, propter Idolatriæ periculum. Nec valeret excusatio: tale periculum abesse propter illas veras. Quia cultus debendus est actus Religionis per modum vnius indiuisibilis, ergo res adoranda, seù obiectum debet esse totum capax talis actus; hanc partem tenet Sanchez cum Aliis *l. cit. num. 12.*

5 *Sed quid sit publicus cultus?*

Respond. Publicum cultum esse, qui palam exhibetur in loco publico, & à qualibet persona. Ita defendit *Castell. in tract. de Canonizat. Sanctorum cap. 4. num. 22.* contrà quosdã dicentes: esse quãdo exhibetur à publica persona, puta Sacerdote, vel alio Ecclesiæ Ministro nomine Ecclesiæ. Quare ad dictas Reliquias non approbatas, & ab Ordinario non recognitas, non licet fundere preces sollemnes, vel publicas, Festa celebrare, Imagines cum diademate, seù aureolis depingere, Altaria, & Templa erigere, in Oratorio, vel Sacristia adorari, aut venerari: quæ omnia sunt cultus publici Sanctis Canonizatis, seù Beatificatis conuenientes, vt ait Card. Bellar. *de Beatitudine Sanctorum controu. 7. lib. 1. cap. 10. num. 1.* Optimè verò describit Felinus Contelor. quẽ citat Barbos. *Alleg. 97. sub. num. 14.* & Sanchez *d. l. num. 8.* Notando non licere inter alia Vestes defuncti, carnes, & capillos in frusta scin-

dere,& tamquam Reliquias asseruare, nec pedes osculari, nisi sint Sũmi Pontificis. Permittitur enim manuum osculatio, propter indifferentiam actus, non verò coronas tondere. Ita DD. neque tabellas, & alia signa gratiæ receptæ, licebit appendere; quia huiusmodi sunt Sanctuatis testimonium, & quædam publica adoratio. Inspice S. Cong. Decretum sub Vrb.8. 2. Octobris 1625. De reliquiis verò, earumque authenticis probatiuis. Vide *p. post. Impot.* 17.

De Episcopo Approbante Cõfessarios Regulares pro Monialibus etiam exemptis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest Approbare Confessarios Regulares pro Monialibus etiam exemptis.*

2 *Sed quid si Confessarij Regulares audirent confessiones Monialium sibi subditarum, absque vlla Episcopi licentia?*

3 *Sed num poterit Episcopus deputare Confessarios Regulares vnius ordinis pro Monialibus alterius ordinis exemptis?*

4 *Sed quid de Generalibus Ordinis audire volentibus Confessiones Monialium sibi subiectarum?*

Potestas XXXV.

1 POtest Episcopus Approbare Confessarios Regulares pro Monialibus etiam exemptis. & sensus est: Neminem Regularium confessiones Monialium, etiam exemptarum audire posse, si vltrà Approbationem suorum Superiorum, quibus inest illorum cura, aliam Approbationẽ ab Ordinario Diœcesis, in qua sita sunt dicta Monasteria, non obtinuerint. ex Const. Greg. 15. incipit: *Inscrutabili sub Nonis Febr.* 1622. vt testatur Barbosa *p. 2. de Episcopo alleg.* 25. *à num.* 71. Refert Ricc. & in terminis dictę Cõst. sub Vrban. 8. 1625. adiecit Sacra Congregatio: Confessarios ab Episcopo semel Approbatos pro vna vice, vel eodem Monasterio, non posse pro alia vice, seù altero Monasterio censeri approbatos: sed eorum deputationes strictè sequuntur vices, & Monasteria, pro quibus determinatum fuit. & Ratio Constitutionis sic declaratæ, est ad frenandum ius antiquum, quo poterant Regulares absque Ordinarii Approbatione deputare Cfessarios p Monialibus sibi de iure subiectis, Per *Extrauag.* Benedicti xi. incipit: *Inter cunctas*; vt notant Azor. *Inst. Moral. p. 1. lib.* 13. *cap.* 9. & Sorbo *In Comp. Mendic. Vers. quod præter.* At Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 10. Vltrà sanctionem *sess.* 23. *cap.* 15. de qua *Potest. seq.* auxit: deputationem extraordinarii quoque ab Episcopo faciendam esse, pro dictis Monialibus, ita notarunt Galleit. *in Marg. casuum Conscien.* Aloys. Ricc. *in praxi fori Eccles.* 2. *Edict. vers.* 638. & strictiùs de iure nouo Pontificio, vi dictę Const. Gregorianę; nam noua emergentia, nouis muniuntur presidiis.

2 *Sed quid, si Confessarij Regulares audirent confessiones Monialium sibi subditarum, absque vlla Episcopi licentia?*

Respond. Confessiones fore nullas, & irritas, *ex declarat. S. Cong. ad viij. sub præfata Const. Gregor. xv.*

xv, atque adeò Confessarios puniendos, vel à Prælato ad monitum Episcopi, quo deficiente ab Episcopo loci. Ratione desumpta ex tenore dictæ Const. vbi sic: *Confessores nullatenus deputari valeant, nisi priùs à Diœcesano idonei iudicentur*, vbi ly *nullatenus* indicat defectum potentiæ in Confessario, & per consequens nullitatem actus confessionis in pœnitente. Ideò.

3 *Sed num poterit Episcopus deputare Confessarios Regulares vnius ordinis, Monialibus alterius Ordinis exempti?*

Respond. Sermonem esse, vel de Extraordinariis; sicque extrà dubium esse docent Galler. *loc. cit. verbo Confessio*, & *verbo Monialis*. Aloys. Ricc. *in praxi fori Eccles. Resol.* 638. vbi habent: quem maluerit Episcopus, etiam alterius Ordinis in casu negligentiæ, vel ex causa adhùc secularem. *Ex Decr. Sacra Congregationis* 20. *Decembr*. 1631. Apud Sell. *in Select. cap.* 10. *num.* 24. Refert Barbos. *in Collect.* 108. *num.* 32. Nec obstat Trid. *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 10. vbi habetur: *Præter Ordinarium autem Confessarium, Alius extraordinarius ab Episcopo, & Alijs Superioribus, bis, aut Ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Sed fauet, quia ius Trid. vnà cum Gregorio strictiùs procedunt; videlicet: Negligentibus Superioribus, habet facultatem Episcopus vi Gregorianæ *Ex rationabili causa amouendi, quoties ipse iudicauerit.* Igitur loco ipsorum cadit in Episcopo potestas priuatiua, vt procedat tanquam delegatus S. Apostolicæ. Vel dicas meliùs de iure communi, quo poterat; quando exemptio vi negligentiæ Prælatorum non habet locum; quæ doctrina aurea in omnibus, & similibus casibus est notanda, nam quando res à suo iure discedit, defectu aliquo, restringitur ad terminos iuris communis. Si verò sermo esset de Confessariis ordinariis, magis habet locum dicta Potestas; negligentibus Prælatis, ita *de supplenda neglig. Prælat.* Aliàs secùs propter iura cautè disposita in fauorem exemptionis. Inspice tenorem Trid. & Greg. citatis locis.

Ad complementum huius Potestatis libuit subiungere tres Responsiones S. Congregationis *de anno* 1623. *sub Vrb.* 8. in terminis Gregorianæ, incipit. *Inscrutabili*. ad præsentem materiam de Confessoribus quòad moniales spectantes.

1 *Ad Dubium ix. An Regulares generaliter approbati ab Episcopo, ad confessiones Secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subditarum?*

Respond. Nequaquam; sed egère quòad hoc speciali Episcopi Approbatione.

2 *Ad Dub. x. An Regularis ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo Approbatus, confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit?*

Respond. Minimè posse confessiones Monialium alterius Monasterij audire.

3 *Ad Dub. xi. An Confessores Regulares extraordinarij Approbati ab Episcopo ad audiendas confessiones Monialium pro vna vice, possint pluries absque noua licentia Episcopi confessiones audire?*

Respond. Haud posse pluries confessiones audire, sed toties esse approbandos, quoties Casus deputationis contingerit.

4 *Sed quid de Generalibus Ordinis excipere volentibus Confessiones Monialium sibi subditarum?*

Respond. Neque licère absque Epi-

Episcopi speciali deputatione; quia Gregoriana dispositio indistinctè loquitur. Dubitationi autem satisfecit Responsio Sacr. Congr. in fauorem Episcoporum 13. *Nouembris* 1627. refert Barbos. *in Collect. S. Concilij Trid. sess.* 25. *num.* 17.

Nulli igitur fas erit dubitare Episcopum pro sibi de iure subiectis Monialibus, Ordinarios, vel extraordinarios Confessarios deputare posse, tamquam ille, cui inest cura dictarum Monialium, iure communi, & Trid. præfatis locis; procedit insuper pro Secularibus, & Regularibus deputandis. Atque adeò pro Monasteriis exemptis, etiam Regularium, dissuetudine, aut temporis decursu ad Ordinarios reuersis, quia quod de iure communi inerat reuersum est, modò quo poterat, si nunquam fuissent exempta, pro vt communiter docetur; & meliùs in sequentibus.

De Episcopo Approbante Sacerdotes Seculares, & Regulares pro audiendis confessionibus, & de triplici Approbationis genere.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest Approbare Sacerdotes idoneos Seculares, vel Regulares pro audiendis confessionibus.*

2 *Sed quid de Episcopo vidente, & tollerante Sacerdotem non Approbatum confessiones audire?*

3 *Sed à quonam Ordinario fieri oportet hac Approbatio?*

4 *Sed quid de Approbato in vna, vadente confessiones Sacras in aliena Diœcesi aud vel*

5 *Sed quid de Approbato, vnà cum Pœnitente repertis in aliena Diœcesi?*

6 *Sed num Approbatio spirat spirato, vel amoto Approbante?*

7 *Sed num semel Approbati possint reprobari?*

9 *De Triplici Approbationis genere.*

Potestas XXXVI.

1 Potest Episcopus Approbare Sacerdotes idoneos Seculares, vel Regulares pro audiendis confessionibus in sua Diœcesi, ex nouo Iure Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 15. & Antiquo, ita quod, nisi præcederet Approbatio, præuio examine, vel aliàs; inualida esset Absolutio ex Trid. *sess.* 14. *de cas. res. cap.* 7 *Nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Patet quia in ordinatione Presbiteri duæ conferuntur potestates: *Sacrificandi, & Absoluendi*, quarum secunda, actum suum habere non potest, vsque ad Approbationem Ordinarij, ex idoneitate subiecti, in illa partic. *cap.* 15. Trid. *non posse*, quæ dicit negationem Potentiæ, & consequenter nullitatem actus. Apud Valent. *tom.* 4. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 2. Suarez *tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 9. Turrebl. *in Praxi Iuris Pœnit. lib.* 14. *cap.* 1. *num.* 12. Aliosque quamplures; hoc præmanibus: Ideò Ad probationem Potestatis: Ponitur primò *Episcopus Potest.* quod verbum indicat duo: Potestatem ordinis, & Iurisdictionis, ex solò charactere Episcopali orta, vi verborum Concilij: quasi ouium Pastor in multis oc-

Digitized by Google

occupatus, non valens per se omnibus satisfacere, aliis idoneis Sacerdotibus quod suum est delegat, & committit, pro remissione criminum suarum ouium. Nomine autem *Episcopi* veniunt quoque omnes Episcopalem iurisdictionem habentes, vt sunt Capitulum S. Vacante per suum Vicarium, Abbates Seculares, & Priores magni; si Iurisdictionem erga Seculares habent; immò & ipse Episcopus electus, & confirmatus, estò non consecratus. Ratio quia hæc potestas approbatiua est actus jurisdictionis, potiùs quàm consecrationis. Apud Sotum *in 4. d.* 18. *q. 4. ar.* 2. Facundez *lib. 7. cap.* 2. *num.* 47. ex quo excluduntur Parochi, qui nullo iure Alios approbare valent pro audiendis Parochianorum confessionibus. Apud Florunum *de cas. reser. p. 1. cap. 4. §. 15.* Nugn. *in add. ad 3. p. quæst. 8. ar.* 2. Villalob. *in Sum. tom. 1. tract.* 19. *diff.* 49. & Alios. Ponitur secundo *Approbare*, quod duobus modis accidere potest. Primò vel per Beneficium curatum. Secundò per examen, ex Trid. *d. loco.*

De 1. titulo Benef. inquã: habẽs Beneficium Parochiale, seù curatũ non indigère alio examine, ad excipiendas confessiones suorum Parochianorum, sed vi curæ Animarum constituitur idoneus ad tale ministerium exercendum; quapropter si quis tale beneficium obtinèret mala fide, seù ex bullis falsis, validas confessiones exciperet, validitate desumpta ex errore communi, & bona fide Pœnitentis, qui bonæ fidei, & titulo colorato innixus, ignorans accedit, tamquam ad verum, & legitimum putatum Parochum: ita docent multi apud Molfes. *in summ. tom. 1. tract. 7. cap. 13. num. 21.* Addo: Prouisum de beneficio curato, constitutum censeri pro sua tantum Parochia, quæ approbatio sequitur restrictionem subditorum, & ouilis commissi. ex S. Congreg. apud Piasech. *in Praxi Episcopi p. 2. cap. 1. num.* 10. & Bassol. *de triplici Iubil. Priuileg. sect. 3. cas.* 2.

De secundo titulo Approbationis per examen, sufficit Episcopo cõstare idoneitatem subiecti, quæ idoneitas cognita satisfacit Concilio, requirente examen, vt probatio caderet in subiecto idoneo. Vtque Ecclesia in tàm Arcano, & occulto Pœnitentiæ Sacramento vtatur idoneis ministris, ad sanctè illud ministrandum. Quare licentiatos in S. Theologia Magistros, & Doctores Episcopus poterit absque præuio examine approbare, quia de illorum sufficientia non ambigitur. Secùs si Doctores essent pro Ciuili; quia lex ciuilis iuuat ad notitiam, sed non ad id, quod principaliter intenditur in tali Sacramento. Neque huiusmodi Approbatio est necessaria in scriptis, sed sufficit constare, quia est actus gratiæ; cum scriptura non approbat, sed approbatum ostendit, tamquam testimonium gratiæ approbationis, nec Concil. Scripturam requirit, vt notarunt Iacob. de Graff. *in Aureis decis p. 1. lib. 1. cap* 13. Lazar. Corriol. Alijque. Consultiùs est tamen in praxi dari in scriptis, in testimonium pro futuro, vtque aliis pateat. Apud Dian. *Resol. moral. p. 5. trac. 14. resol.* 41.

2 *Sed quid de Episcopo vidente, & tollerante Sacerdotem non Approbatum Confessiones audire?*

Respond. Confessiones illas inter validas reputari, quia taciturnitas Epi est tacita facultas in iure, apud Basil. Pont. *de Matrim. lib.* 5. & Sanchez *ibid. lib. 3. dup. 22. num.* 65.

3 *Sed à quonam Ordinario fieri oportet hæc Approbatio?*

Resp.

Respond. ab illo loci, vbi fit confessio, non verò confessarij, vel Pœnitentis, estque valdè notandum, quia Approbatio confessionis per examen equè currit cum Approbatione per Beneficium Parochiale, at Parochus non exercet suam Iurisdictionem extrà suam Parochiam. Tũ etiam quia Approbatio sequitur limites Iurisdictionis approbantis, at hæc clauditur Territorio, ergò, & illa. Tum denique, quia Confessio est actus iudicialis in foro occulto, at talis actus non petit Iudicem esse illius loci in quo iudicat, sed habere potestatem iudicandi ab Episcopo loci, in quo iudicat. Neque iudicium hoc sequitur personam iudicantem, vel iudicatam, sed locum, vbi confitetur delictum. *de Priuilegijs Peregrinorum*. Igitur illius debet esse approbatio, vbi facienda est confessio. Vide dicta infrà *num*. 5.

4 *Sed quid de Approbato in vna, volente confessiones Sacras audire in aliena Diœcesi?*

Respond. Indigère noua illius Ordinarii approbatione, in cuius Diœcesi confessiones audire vult. Iuxtà dicta superiùs, quia confessio sequitur locum, seù polum, igitur in nouo loco, nouaque Diœcesi, noua requiritur Approbatio. Adeò quod vi prioris approbationis, nisi inualidas confessiones exciperet in aliena Diœcesi. Cum sicut diuisus est Orbis in Imperia, Regna, Ciuitates, & Oppida. Sic Ecclesia, in Prouincias, & Diœceses, ita quod si iudices in vna, non possunt in alia absque noua Iudicatus constitutione iudicare, ita in casu: habita igitur, & obtenta approbatione, poterit tunc, tàm subditorum ordinarii loci, quàm alienigenarum, vndequaque ad se confluentium confessiones auscultare, & Absolutiones validas impendère. vt benè notarunt quàmplures. apud Rodriq. *in Bull. Cruciata* §. 11. *n*. 23.

5 *Sed quid de Approbato vnà cum Pœnitente repertis in aliena Diœcesi?*

Respondent multi apud Tolet. instructione Sacerdot. *lib*. 3. *cap*. 15. Sanchez, Molses. & Alios dicentes: Posse Confessarium repertum in aliena Diœcesi vnà cum pœnitente, eum absoluere; vigore Approbationis factæ in propria Diœcesi ab Episcopo communis loci, vbi primò extiterant. Quorum ratio fuit, quia per incolatum, & peregrinationem veram subiectionem alibi non fatetur, neè verè subtrahi à Proprio Pastore. Ita Henriq. *lib* 6. *cap*. 7. cum Sanchez *disp*. 38. *num*. 2. Ad illud autem quod dicitur: Confessionem sequi locum. Respondent verum esse; ex quo neque falsum esse: Peregrinum gaudere vtroque iure proprio, & Peregrinorum. Primum propter domicilium, secundum propter incolatum, quæ doctrina vsque ad nouam subsistit decisionem pro Cõfessariis Secularibus. Nam pro Regularibus nouiter dispositum est, nõ posse Confessarium Regularem extrà Diœcesim absolutionem impendère pœnitenti adhùc ex ero, absq; licentia Ordinarii loci: Ecce verba Clem. x. Incipit: *Superna* 11. *Kal. Iunij* 1670. *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones Secularium in sua Diœcesi audiendas Approbatos, non posse in alia Diœcesi, eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamuis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati*. Hæc.

Ponitur tertiò *Sacerdotes idoneos*. Nam præter illos, nullus non Sacerdos talis iurisdictionis est capax, quę de iure Diuino Sacerdotali dignitati annectitur. Nec obstat dicere: Prelatum, Abbatem, Cardinalem, vel Vica-

Vicarium Generalem non dum Sacerdotes posse concedere facultatem audiendi confessiones, quoniã hi nudum habent ministerium eligendi, & per examẽ approbandi Confessarios, neutiquam verò exercitium absoluendi; etenim Reges, Magnique Principes potestatem habent nominandi Episcopos. Sacerdotes verò exercendi actum Diuinæ iurisdictionis ex propria eorum consecratione Sacerdotali. In qua recipiunt potestatem sacrificandi, & absoluendi, quarum secunda potestas in eadem ordinis collatione Sacerdotali ligatur ab Episcopis vsque ad approbationem. DD. infrà.

6 *Sed num Approbatio spirat, spirato, vel amoto Approbante?*

Respond. Negatiuè. Tum quia Approbatio est de genere gratiarum; quæ dilatatur ad mentem, & non ad mortem, vel amotionem delegantis, qui si temporis definitione facultatem non astrinxit, durabit vsque ad præfinitum tempus in illa, vel vsque dum reprobetur ab Alio successore. Ita Sotus *in 4. d. 8. q. 4. nu. 3.* de Graff. *in Aureis decis. lib. 3. C. 13.* Henriq. *lib. 6. cap. 6. §. 7.* de quo clariùs in fine Potestatis.

Ponitur 4. *Seculares, & Regulares.* De primis nulli fas erit dubitare tanquam illi, qui immediatè Epi Iurisdictioni subiciuntur. De secundis verò, seù Regularibus dico: Approbatione indigere illius Episcopi in cuius Diœcesi de familia sunt collocati, pro audiendis Secularium, etiam Sacerdotum confessionibus, Nec Priuilegia eorum valent, quorum vim supprexit Trid. *sess. 23. de Reform.* & Vrb. 8. incipit: *Cum sicut accepimus.* 12. Septemb. 1628. vt refert, & docet de Franchis *in Controuersijs inter Episcopum, & Regulares. mihi pag. 272.* Neque refert Regulares esse graduatos in S. Theol. ex Constit. B. *Pij v.* vt notauit Suarez. *tom. 3. disp. 28. sect. 4.*

7 *Sed num semel Approbati possint reprobari?*

Respond. Nisi iusta ab eisdem præstita causa ad munus confessionis, vel ob non seruatum interdictum: ex S. Cong. 20. *Nou.* 1615. Apud Peyrin. *ad Const. 2. Sixti iv. §. 11. nu. 45.* relati à Barbos. *in Collect. collect. 638. n. 6.* Ratio q̃a eorũ Approbatio iuridicè videtur obtenta per publicum examen, atque publicum testimonium suæ idoneitatis ad confessiones audiendas. At testimonium verum semel datum, non potest absque iusta causa in eadem attestatione reuocari. Ita Buen. *reg. 233.* cum Villalob. *in Sum. tract. 9. diff. 75.* & Const. *B. Pij. v. infrà*; sed clariùs de hac materia *P. post. Imp. 149.*

8 *Sed num possit à successore?*

Respond. affirmatiuè: cum Decret. S. Congregationis. 30. *Febr.* 1629. refert Barbos. *in collect. d. loco. num. 6.* sic: *semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem non esse examinandos — Cæterum à Successore posse pro maiori Conscientiæ suæ quiete iterum eximinari, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum* Const. B. *Pij. v.* incipit: *Romani, 8. idus Augusti* 1581. *Ann. 6. sui Pontificatus*; quæ non fuit reuocata *à Greg. 13.* vt notauit Emanuel Rodriq. *in bull. Cruciatæ §. 9. & quæst. Regul. tom. 1. q. 59. ar. 9.*

9 *De Triplici Approbationis modo.*

Varios Approbationis modos ad tres reduxère Canonistarum turba, quibus consueuerunt Episcopi, & docet ipsa praxis vniuersorum magistra.

Primus est. Approbare *indefinitè, & illimitatè, quoad locum, tempus, & personas*, & huiusmodi Approbа-

probationis genus, iusto, rectoque Approbationis examine praecedente; dicitur irreuocabile. Nam dedecet Episcopum instabilem esse. Quapropter nostris his têporibus Clem. x. diuae memoriae, cuius verba referam Par. post. imp. 122. ait: *Generaliter idoneos repertos, generaliter quoque admittendos*; ideò nisi adueniente causa ad confessiones pertinente, poterit reuocare. Ex Sacr. Cõgregat. Decreto *sup. cit. num.* 8. puta quando Confessarius grauiter deficeret in praeiudicium facultatis receptae, vel non seruaret interdictum. Tùnc oportet Episcopum mutare consilium in meliùs. Vel, adueniente nouo Episcopo, vt dixi suprà *nu.* 7. denuò examinari possunt, ad cognoscendum, à quibus oues sibi creditae reguntur, in die nouissimo rationem Deo redditurο.

Secundus Approbationis modus est limitatus, *quoad Tempus, Personas, & loca*, quas limites regulariter seruare debet Confessarius, vltra quas non operatur facultas, & Episcopus pariter approbat, prorogat, vel confirmat, aut infirmat, cassat, & annullat, ex causa pro libito sibi praestita, iuxtà regulas recti iudicii, quo in suo munere regitur, & gubernatur, non ex odio, vel beneuolentia, quae sunt passiones animi, sed iustitia, & charitate, quib⁹ ornati sine crimine viuunt Episcopi, ex Apost. ad Titũ 1, *Oportet Episcopũ sine crimine esse*.

Tertius Approbationis modus est *Ad Beneplacitum*. Quem DD. substinent esse à supradictis distinctum, quia vel ex causa occurri potest spectante ad Sacramentum poenitentiae, vel ex solo mero libito Episcopi, cuius beneplacitum cessans, incipit maleplacitum. fundatur in Regulis iuris *in 6. Causa à qua nascitur, ab eadem & resoluitur*. Alii verò meliùs docuere. Apud Gabriel. *tom. 7. tract. de praebendis concl.* 4. & Henriq. *lib. 2. de poenit. cap. 7. num.* 7. beneplacitum durare vsque ad mortem concedentis, ex *Tex. in cap. si gratiosè de Rescriptis in 6.* & sequitur Barbos. de Episcopo. *alleg. 25. num.* 36. Immò post mortem concedentis, secundum Henriq. *lib. 2. de poenit. cap. 6. num.* 7. quia haec Approbatio est nomine dignitatis, & praetiosa, vt notauit noster de Lantusca in suo Theatro, *v. Confessarius nu.* 9. 5. *Aduerte*, & sequitur noster Brugnolus in suo speculo *tract.* 12. *cap.* 9. *Resol.* 14. docens, facultatem concessam *ad beneplacitum*, non absque magna causa reuocari posse.

Ex quibus collige in fauorem Regularium, Propositionem illam; *Semel Approbatos non posse reprobari*. Intelligi de primo approbationis genere, & generaliter; pro vt iterum declarauit Clem. x. incipit: *Superna* 21. *Kal. Iunii* 1670. Vide *post. parte imp.* 122. De secundo approbationis genere defendit cum Aliis Legana in Summ. *cap.* 19. *num.* 18. Apud Dian. *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 206. Ex *his*. Approbationem Regularibus factam limitando tempus, loca, & personas, nulla interueniente causa, non tenere, confessionesque esse validas, extrà talem limitationem. Cuius ratio est, quia non ab Episcopo, sed à Papa Regulares authoritatem recipiunt, ab Episcopo verò approbationem insignum suae idoneitatis. Ipse autem consuetudini adhaereo pro vtroque foro, nam aliqui Episcopi non stant dictis in hoc, sed ad libitum approbationem elargiuntur. Ideò pro foro saltem externo non est discedendum ab illa, sitque pro opinionibus conciliandis quamplurimis hodierna die laborantium, quidquid sit de antiquis. Vide *Potest.* 2. *in fine*



De Episcopo Approbante Cōfessarios Regulares pro audiendis confessionibus, etiã contrà prohibitionem sui Prælati.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest approbare Confessarios Regulares; pro audiendis confessionibus suorum subditorum, etiam contrà prohibitionem sui Prælati.*

2 *Sed num Sacerdos Regularis ita constitutus, possit à suo* Prælato *in locum, tempus, & personas restringi?*

3 *Sed quid, si Sacerdos Regularis fuisset excommunicatus, suspensus, vel interdictus?*

4 *Sed quid, si Sacerdos Regularis, vel Secularis approbatus ab Ordinario esset excommunicatus tolleratus?*

Potestas XXXVII.

1 Potest Episcopus Approbare Confessarios Regulares, pro audiendis confessionibus suorum subditorum in tota sua Diœcesi, etiam contrà prohibitionem suorum Superiorum. Ita apud Graffium, *aureis decis. p. 1. lib. 1. cap. 13. num. 88.* Homobonus, Lezana *in Summ. cap. 18.* & Alii citati apud eos contrà Siluestrum, Eman. Campanil. & Alios. Ratio huiusmodi est ad seruandam integram potestatem Episcopi ergà suos subditos independenter à Regularium presentatione. Pro qua estò *in Clemen. Dudum de sepulturis.* Disponitur, *quod Episcopus debet admittere ad audiendas confessiones Religiosos præsentandos à suis Prælatis:* Sensus est, quod ad requisitionem Religiosorum non admittit, nisi dicti Religiosi fuerint presentati à suis Prælatis, quorum Iurisdictio regulariter seruatur à subditis; currente autem necessitate in Populo. Vel Episcopus de sui requisitione voluisset approbare, pro suis subditis non est, cur impediri debet à Superioribus Regularium, & ita dicti Confessarii sic approbati, verè Sacramentum conficerent, vi approbationis factæ ab Episcopo. Enim verò validitas absolutionis est à potestate ordinis, & Iurisdictionis ex materia, & forma, ad integrandum Sacramentum; quæ omnia concurrunt in casu nostro. Tum etiam quia Prohibitio *in d. cap. Dudum* non est, tanquam pars integrans iurisdictionem, sed conditio quædam ad seruandam quietem, & correspondentiam inter Episcopum, & Regulares, atque adeò vt Religiosi enixè subdantur mandatis Prælatorum, in omnibus, quæ pendent ab eis, at huiusmodi respectus non intrant ad integrandum Sacramentum, quod solùm pendet à potestate ordinis, & Iurisdictionis; qua ratione moti non defuere dicentes: stante expressa prohibitione sui Prælati confessiones esse validas, sed non licitas, quia contrà præceptum Prælatorum, in constitutionibus vniuscuiusque Religionis, propter iniuriam Prælato factam in re tanti momenti, & Confessarius grauiter delinqueret. Audeo tamen contrariom cum aliis defendere, excusando dictum Confessarium à peccato Mortali.

1 Quando eius Prælatus sciret, & non contradiceret, tacitè assentiretur, in quo nil contrà prohibitionem

2 Stante dissuetudine in Religione contrà constitutiones ordinis in excipiendis confessionibus Secularium absque præsentatione prædicta.
3 Quando dicta præsentatio facienda esset per statutum obligans ad veniale, tunc enim contradiceret Superiori in re veniali; prout in mea Religione Reformata S. P. Frãcisci est statutum cum Const. Vrb. 8.
4 Ly *debet* in Clem. non sonat ita, vt si non præsentetur, nec possit licitè approbare, sed facit vt non possit Confessarius licitè confessiones audire; igitur approbatio licita, & valida; atque adeò confessiones itidem licitę stante necessitate à sola requisitione Episcopi. in quo casu licitum est Episcopo non expectare repræsentationem, sed ex se motu proprio approbare, & licitam iurisdictionem impertiri; non nego tamen aliundè confessiones dici posse illicitas. Vel ob proteruitatem subditi approbandi, & nolentis Superiorem adire, nec subiici præceptis; & tamquam inobediens ad mensuram delicti plecti debere. Rursus requirit ius Canonicum præsentationem subditi faciendam à suis Prælatis, & est sensus germanus: quod Episcopus potest, & debet admittere pręsentatos à Prelato, neutiquam verò negat posse admittere non pręsentatos, nec alibi negatur; ad differentiam quando in lege ponitur clausula irritans *non posse*. Neque pręsentatio cadit in subditos, sed in superiores per quos præsentandi erunt subditi, qui si non præsentantur, non dicuntur inobedientes, neque Prælatus deficeret, quia cederet iuri suo. Insuper si Prælatus deesset, & subditus fuisset requisitus ab Episcopo, excusaretur à culpa inobedientiæ, quia non quærit benedictioni Superioris occurrere, sed Episcopum requirentem non dedignare. Demum dictũ Clementis non restringit Episcopos, sed subditos ad eorum requisitionem, non admittendos, sed pręsentandos à Prælato, vel ad requisitionem Episcopi; ideò &c.

2 *Sed num Sacerdos Regularis ita constitutus possit à suo Prælato in locum, tempus, & personas restringi?*

Respond. Affirmatiuè, quia in signum subiectionis subest determinationi sui Prælati, qui intimiùs cognoscit eius habilitatem, sufficientiam, idoneitatem, vel litteraturam, ideò facultatem acceptam poterit limitare, qua de causa requirit dicta Clement. præsentationẽ, vt ostendatur sufficientia, & idoneitas eius: Cõformiter nec Episcopus alterius Diœcesis subditos potest ordinare, nisi à proprio Episcopo approbetur, & præsentetur; indè vt appareat, subditum aliquo iure Canonico impeditum non esse, sed liberum, sufficientem, & idoneum pro ordinibus; id ipsum de posita Potestate.

3 *Sed quid si Sacerdos Regularis fuisset excommunicatus, suspensus, vel interdictus?*

Respond. Approbationem fore nullam, ob incapacitatem subiecti, de iure impediri recipere iurisdictionem, & officium Ecclesiasticum; & Episcopus sciens esset omninò puniendus, seù arcendus pœnis à iure taxatis. Quapropter ex inualida hac collatione sequitur 1. inualidas fuisse confessiones; 2. plectendus Confessarius sciens, & exercens. hoc luce clariùs, ideò non immorandum cum citatis.

4 *Sed quid, si Sacerdos Regularis, vel Secularis esset excommunicatus tolleratus?*

Respond. cum Caet. & Sanchez *de Matrimonio lib. 3. disp. 22. nu. 19.* Confessiones esse validas, propter tollerantiam Ecclesiæ; nec obstat

stat Extrauag. *ad euitanda scandala*, vbi sermo est de excõmunicatis denunciatis, & notoriis, ipse tamen assero: verum esse quòad ignorantes excommunicationem, quorum Absolutiones solùm cohonestari possunt titulo colorato, vel errore communi, Quòad scientes autem, & habentes copiam Confessarii, est aliter dicendum, quia illum exponerent ad munus quod non potest, propter quod inualidè confiterentur. Ita cum Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 18. *à num.* 2. del Rio. *lib.* 6. *c.* 2. *sect.* 1. *q.* 2.



De Episcopo assignante determinatum stipendium pro missis celebrandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest assignare certum determinatumque stipendium pro missis celebrandis.*

2 *Sed quid de Sacerdotibus pinguiorem eleemosynam exigentibus?*

3 *Sed quid, si elargitor eleemosynarum voluisset Sacerdotem celebrare summo mane, vel aliquibus in Ecclesijs, loco à Consueto distantibus?*

4 *Sed quid de Sacerdote volente recipere minùs de taxato stipendio?*

Potestas XXXVIII.

1 Potest Episcopus assignare certum, determinatumque stipendium pro missis celebrandis, hocque per modum legis, vel statuti, secundum consuetudinem, & præscriptionem loci, nè fidei dentur pro libito minùs, vel Sacerdotes plus solito exigant. Ita multi apud Cordub. *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 4. Suarez, Reginal. & Mirand. *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 41. *tract.* 23. contrà quosdam. Ratio positionis subsistit in hoc, quia plura bona indè oriuntur, & mala vetantur. Vnum bonum est, vt fideles in illa Diœcesi sciant determinatè, quot pro missarum numero elargiri debent, vel quot missæ celebrantur pro tanta, vel alia Eleemosyna. Alterum bonum est, vt ex determinato stipendio congruo, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, possint omnes diuites, & Pauperes de valore augusto tanti sacrificii participes fieri. Mala verò, nè ex indefinito, & indeterminato stipendii numero relicto in testamentis posset Sacerdos, quot maluisset postulare, & vnica missa toti eleemosynæ satisfacere, iuxtà valorem infinitum; nam dictum Sacrificium non tantùm prodest, quantùm prodesse potest: & Alia, quamplurima indè orirentur iurgia, inter Ecclesiasticos, & Seculares; qua de causa emanarunt Decreta Sacr. Congregat. iussu Clemẽtis, & Vrb. 8. à Sacr. Congregatione *Ann.* 1625. 21. *Iunij*.

2 *Sed quid de Sacerdotibus pinguiorem eleemosynam exigentibus?*

Respond. sub mortali ad restitutionem teneri, quia de Iustitia tenentur non plus exigere, quam quod pro qualibet missa declaratum, & taxatum fuit. Vndè ad violentiam, & arrogantiam celebrantium insurgit obligatio restitutionis eleemosynæ acceptæ, suprà metam præscriptam ab Episcopo, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ; ita notarunt quidam apud Nauar. *de. Restit. lib.* 2. *c.* 329.

Excipe casum, si elargiretur spontè, vel ex deuotione, quis daret pinguiorem eleemosynam pro missis

celebrandis, tuncq; nulla foret obligatio restitutionis; quia danti, & volenti nulla fit iniuria. Neq; Sacerdos diceretur reus rei alienæ quia iustè recepit ex libera voluntate dantis, qui est dominus suæ pecuniæ, nec vlla lex impedit actus virtutum liberalitatis, & misericordiæ. legatur Reginal. *lib. 23. n. 223.* & alij apud Mirand. *tom. 2. q. 41. ar. 43.*

3 *Sed quid si elargitor eleæmosynanarum voluisset Sacerdotē celebrare summo mane, vel aliquibus in Ecclesijs, loco à consueto distantibus.*

Respond. pro rata laboris posse recipere pinguiorem eleæmosynam, nam pinguius illud stipendium, non stat pro lege statuta, sed pro adiecto labore, qui est capax recompensationis. Apud Truxinal. *sec. 3. pramoti c.* Graff. *lib. 2. c. 96. n. 34.*

4 *Sed quid de Sacerdote volente recipere minus de taxato stipendio?*

Resp. liberum esse ei, minus nilq; recipere, nam lex taxatiua cardines liberalitatis in donante, & misericordiæ in recipiente non occludit, & si præscribit eleæmosynæ pitantiam, ne de Iustitia Sacerdos plus exigat neuè donans minus donet, ideo ad frenandam Sacerdotum cupiditatē, & dantium auaritiam, stat lex taxatiua, non vero ad liberalitatem vtriusque occludendam; legatur Fr. Emanuel *cap. 252. n. 4.* & alios apud Ipsum. De equitate stipendij, & missarum, & de inequalitate P. *post impot. 124. & 125.* vbi fusius de hac materia.

B

De Episcopo Benedicente Ecclesias, & Cœmiteria.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest benedicere Ecclesias, & Cæmiteria.*
2 *Sed quid de Episcopo publicè excommunicato benedicente.*
3 *Sed quid de Cæmiterio?*
4 *Sed quid de Ecclesia ædificata ab Episcopo, in loco Alterius Diæcesis?*
5 *Sed à quo designandum erit Cæmiterium?*
6 *Sed quot Cæmiteria habere poterit vna Ecclesia?*

Potestas XXXIX.

1 POtest Episcopus benedicere Ecclesias, & Cœmiteria. ita ex *cap. consuluisti de Consecratione Ecclesiæ, & cap. Nemo ibidem dist. 1.* Apud Azor. *instit. Moral. c. 6.* Vgol. *de Potest. Episc. c. 29. à §. 8. n. 45.* & alios quamplures, vt dicam sub V. Consecrare, Reconciliare, & Recōsecrare. Benedicūtur. n. Ecclesiæ in quibus à fidelibus offeruntur orationes, & sacrificia, Audiuntur Verbum Dei, laudesq; diuinæ, ad differentiam aliarum Domorum piarum Deo, vel Sanctis dicatarum; quod dupliciter euenit, vel in nouis Ecclesijs, aut Cœmiterijs pro earum noua constructione; quo sub nomine veniunt omnes Ecclesiæ in totum collapsæ, & reedificatæ. Vel pro earum reconciliatione, vt dicam, *V. Consecrare, & Reconsecrare, à potest.*

Digitized by Google

nst. 142. Primo modo Ecclesiis est adhibenda benedictio in signum oblationis ad diuinos, & non ad profanos vsus, ibiq; diuina, & non humana peraguntur. Eo quod Christus eiecit ementes, & vendentes de templo, flagello de funiculis facto, repellendo Artifices, & Mercatores, quos ibi inhabitare noluit: illas quippe Ecclesias benedicit Episcopus in cuius Diœcesi constructas, vel construendas reperit, & non extra: *ex cap. tua fraternitas de Consecrat.* & quidem, nisi in constructione, vel saltem ante benedictionem assignata fuerit debita dos, ad decorem, & ornamentum Sponsæ Christi, quæ sufficientes sumptus, pro Curato, Oleo, & luminibus habere debet; quorum defectu viduata, & profanata relinqueretur; tamen si hæc diligētia nō fuerit adhibita, teneretur Episcopus ex se illā dotare: *ex cap. cum Sicut ibid.* vt melius dicam *V. Consecrare.* Item benedicere debet Ecclesias non nisi sub Dei vel Sanctorum Nominibus, vel Titulis, pro vt referuntur in Cathalogo Sanctorum.

2 *Sed quid de Episcopo publicè excommunicato benedicente?*

Respond. Ecclesias nō haberi pro Consecratis, defectu actus iurisdictionis impediti ex ligamine Censuræ, ita Alterius *de Cens. tom. 1. disp. 3. c. 1.* Secus dicendum si fuisset tolleratus; cuius actus tenent saltem quoad forum externum, ex priuilegio Tollerantiæ. Apud DD. agentes de excommunicatione tollerati. Addit Marc. Antonius Genuens. in Manuali Pastorum Episcopum excommunicatum, suspensum, vel interdictum consecrantem Ecclesias, Altaria, & benedicentem vestes, esse irregularem.

3 *Sed quid de Cœmeteriis?*

Respond. Cœmeterium *esse locum destinatum, & electum pro sepeliendis fidelium corporibus;* inesse convenit Ecclesijs, ne distantiis Arctitudinibus parietum, sed vltra diffusi, vt in honorem habeantur, nec longius Ecclesia leuetur, & locus ille circuiens. Dixi locum destinatum, siue contiguum siue separatum, ad commoditatem, & situm Ecclesiæ, vbi eo figatur Crux, vt cognoscatur; & in Sabbato Sancto accenditur ignis, ad ingrediendum nouum lumen in Ecclesia; De qua institutione, designatione, & benedictione ab Episcopo facienda latè habet Durand. *In Rationale diuin. l. 1. c. 5. n. 51.* Miranda *in Manual. q. 39. art. 26.* Apud quem præmulti.

4 *Sed quid de Ecclesia ædificata ab Episcopo in loco Alterius Diœcesis?*

Respond. semper illius iuris esse, cuius est Diœcesis, locus, fundus, & situs, nam iura benedictionum, & Consecrationis non sequuntur construentem, sed fundum, vel situm. *ex c. nemo c. de Consecrat.* Itaque si construens voluisset vel consecrare, vel benedicere Ecclesiam, id nisi de facultate Ordinarij loci: *ex cap. Piæ mentis ibid. & cap. 1. 16. q. 5.* Adde Potestatem hanc simplicis benedictionis esse delegabilē alteri Sacerdoti. Non vero consecrationis, nisi Episcopis quibus priuatiuè competit huiusmodi facultas DD. infra

5 *Sed A quonam designandum erit Cœmeterium?*

Respond. Constare ex dictis supra n. 3. designationem esse iuris Episcopalis, cui par erit Ecclesiam ædificare in loco, & modo sibi beneuisis, id ipsum dico de omnibus alijs locis pijs Deo dicandis, eiq; pariter erit per se, vel per alium ponere primum lapidem in tali designatione, ex mādato Conciliorum Agathens. ex Calcedonensis: vt notarunt quāplures apud Azor. *Instit. Moral. p. 2. lib. 6. c. 3. quæst. 4.* Quapropter

Vecto-

Vectoualia, & Mercatores de huiusmodi sacro Ambitu à Curato expellendi erunt nisi probari voluerint flagellum de manibus Christi, quod nemo scit si deposuerit, vel retinuerit. scriptura non loquitur.

6 *Sed quot Cœmeteria habere poterit vna Ecclesia?*

Respond. Duo ad summum, vel separata vel cōtigua iuxtà Cardines Ecclesię. Ita apud Siluestr. *V. Cæmeterium 2. q. 2. n. 3.* vbi de pollutione, & reconciliatione, de quibus fusè suo loco. Duo dixi: vt sine pęnuria habeāt, Vnde cōmodiùs sepeliantur defunctorū Corpora fideliū, vel vnum destinatum ad hoc, aliudq; ad Sepulcra Ecclesiæ expurganda, quando opus fuerit. Dixi: Separatū, sed non tam longè, vt rationabiliter dici possit esse accessorium, & ad commoditatem talis, & non alterius Ecclesiæ. Communiter tamen vnū ante Ianuam Ecclesiæ; Alterum verò à latere, vel retro designari congruit, vel meliùs ambo contigua circà Ecclesiam; vt aptiùs, & faciliùs corpora defunctorum suffragata in Ecclesia statim ad Sepulturam deferantur.



De Episcopo Benedicente Olea Sacra.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest benedicere Olea Sacra in Die Cœna Domini.*

2 *De Sacro Chrismate.*

3 *Sed quid si Episcopus Chrisma conficeret in peccato Mortali?*

4 *Sed quid de illa Ecclesia Episcopū non habente?*

5 *Sed quid necessitate urgente, si Oleum non sit factum?*

6 *Sed quid si Episcopus confirmabit oleo Infirmorum?*

7 *Sed num ab Episcopo sit delegabilis Potestas conficiendi S. Chrismatis?*

8 *Sed quid faciendum de Veteri oleo?*

9 *Sed quid, si extra Missam illud conficeretur?*

10 *Sed in quanam Ecclesia debet confici S. Chrisma?*

11 *De Sacro Oleo Catechumenorum.*

12 *De Sacro Oleo Infirmorum.*

13 *Sed an illo vngi possint Sani?*

14 *Sed quinam Infirmi Vngi debent?*

15 *Sed quid de vnctione, seu benedictione Campanarum?*

Potestas XL.

1 POtest *Episcopus* benedicere Olea Sacra in die Cœnæ Domini. *ex cap. si quis de Consecr. dist.* 4. & meminerunt *Azor. Instit. moral. p. 2. l. b. 10. c. 5.* Acuña *de Potestate Papæ q. 38.* Durand. *Rationale Diuin. lib. 6. c. 74.* Placuit Christo Domino instituere aliqua Sacramenta sub signo sensibili Olei, quia Oleum significet *Lætitiam*: Psal. 44. *Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatē, propterea Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Nitorem Conscientiæ *Math. 25. Prudentes Virgines acceperunt oleum in Vasis suis*, quibus duabus significationibus, Christus dicitur vnctus; quasi voluisset omnes fideles de illo Sacramento lætari, & gaudere in nitore conscientiæ, sub vexillo Capitis Christi Vncti; prout *Actorum* 10. *Oportet enim sub vncto capite membra deliniri*, per olei diffusionem; in assimilationem, & conformitatem membrorum cum eodem capite.

Et quia Triplici Oleorum genere vti-

vtitur Ecclesia ex antiquo more, quorum primum vocatur Chrisma, 2. Oleum Catechumenorum; & 3. Oleum infirmorum; vt videre est ex ritu, Cœremonijs, & benedictionibus diuersis in vnoquoq; illorum, ideo.

2 *De Sacro Chrismate.*

Solus Episcopus consecratus priuatiuè benedicit, & consecrat Chrisma, ex oleo oliuarum, & balsamo mixtũ, ex Trid. *sess. 7. cap. 4. de Confess.* de quo eruditè dixerũt multi apud Alzedo *p. 2. cap. 4. num. 7. ex cap. vnico de Sac. Vnctione.* Vbi de mysterio dictæ permixtionis. Rixant DD. de balsamo, num sit accidentale in S. Chrisma Apud Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 6. diff. 2. num. 2.* sed verior: vtrumq; dicitur materia Chrismatis. de præcepto. & sub Anathemate est conficiendum in die assignato ex Trid. *d. loco.* Neque alteri non Episcopo delegari potest. Ecclesia Sãcta Dei vtitur materia Chrismatis in Sacramento cõfirmationis ad muniendum Christi fideles in gratia Dei, & pugnandum contra insidias inimicorum, ad constanter fidem profitendam, quæ duo sunt effectus huius Sacramenti, eo vnguntur Baptizandi in fronte, & vertice, Episcopi in Capite, & Manibus: Pariter ex primæua atq; longæua Ecclesiæ consuetudine in Calicum, Patenarum, Ecclesiarum, Fontium baptismalium consecratione; Ac demum in confirmandis fidelibus: Episcopi tanquam veri Apostolorum successores eos confirmãt.

3 *Sed quid si Episcopus Chrisma conficeret in peccato mortali?*

Respond. Reum esse illius peccati, Non ratione sacræ benedictionis; quia Sacramentum nõ perficit, quia tantum eius materiam benedicit, sed Ratione Missæ, in qua fit talis benedictio, & tamquam celebrans in illo peccato.

4 *Sed quid de illa Ecclesia Episcopum non habente?*

Respond. Quod si Ecclesia caret Episcopo per absentationem, recurrere debet pro habendis Oleis Sacris ad Episcopum Diœcesis, Si verò Ecclesia viduata fuisset suo Pastore, adeat Viciniorem. *ex cap. si Episcopus, de suplenda Prælatorum negligentia.*

5 *Sed quid necessitate vrgente, & Oleum non sit factum.*

Respond. Quod si casus acciderit, poterit vti Veteri Chrismate; quod non esse prohibitum docet Vgol. *c. 17. q. 2. n. 2.* Nam ad casum accidentarium sequitur vsus accidẽtalis, neq; per anni reuolutionem deperditur benedictio Oleorum, & si Ecclesia velit eius renouationem. S. Congreg. 20. *Martij* 1590. *Gauan. Ebyr. v. Olea num. 12. & num. 13.* docet Oleo deficiente, guttatim infundatur Oleum non consecratum.

6 *Sed quid si Episcopus confirmaret Oleo Infirmorum?*

Respond. stante opinione præfata quorundam DD. dicentium Balsamum ingredi essentialiter in materia Chrismatis, Sacramentum non fieri, sed tamquam inualidum reputari, defectu materiæ propriæ. Stante verò contraria; quod Balsamum sit accidentarium, vna cum Sacramento adesset peccatum mortale Episcopi, eo quia non licet institutum pro vno, suis benedictionibus ad finem ordinatis, pro alio vti, quamuis ob materiam Olei in vtroq; vniuocam, esset validum Sacramentum, tamen firmior est prima opinio, cum alijs apud Bonac. *de Sacram. disp. 7. q. vn. p. 2. n. 5.*

7 *Sed Num ab Episcopo sit delegabilis Potestas conficiendi Chrisma?*

Respond. Negatiuè cum dictis supra *num. 2.* & Trid. *sess. 3. de Sacramento Confirm. can. 3.* prout aduer-

Digitized by Google

tit Caietan. 3. *p. q.* 72. *ar.* 3. & quidem de Iure Ecclesiastico est indelegabilis huiusmodi facultas ab Episcopo non verò ex natura sua, quia potest delegari à Papa; vt alibi dicam.

8 *Sed quid faciendũ de Veteri Oleo?*

Respond. Cremari debere *ex cap. literis de Consecratione*; Ita quod nouo præsente, si Episcopus Veteri oleo vteretur, esset reus peccati, tamquam contraueniens legi Ecclesiasticæ in re graui. Ita voluit Anton. Gen. *in Manual. Prælat. c.* 54. *n.* 9.

9 *Sed quid si extra Missam, illud conficeretur?*

Respond. Si id procederet ex iusta causa, Episcopum non peccare; Secùs si secùs quia contra præceptũ Ecclesiæ in re graui, & consuetudinem omnium Ecclesiarum *ex cap. Te referente extra de* Celebr. *Missarum.*

10 *Sed in quanam Ecclesia debet cõfici* S. *Chrisma.*

Respond. In Cathedrali; nisi ex iusta, & probata causa aliter expediret. *ex cap. vt supra*; Nam illa Ecclesia est in qua posita est Cathedra repræsentans omnia munia Episcopalia, & ad quam recurrunt fideles pro audiendis, videndisq; diuinis vt constat ex Cæremon.

11 *De Oleo Sacro Catechumenorum.*

Solus Episcopus potest consecrare seu benedicere hunc oleum extractum, non ex succo herbarum, vel aliarum Arborum, sed tantum Oliuarum.

Primò ad vngendum Baptizatos inter pectus, & scapulare; In signũ, ad portandum suaue iugum Christi, ipsumque dulciùs amplectendum.

Secundò, Manus Presbyterorum in eorum promotione; Nam sacra nisi à Sacris manibus tractantur.

Tertiò vnguntur Ecclesiæ, & Altaria ante Chrismationem in præparationem ad illam.

Quartò liniuntur Principes Magni, & Reges in brachio, & humero, vt cognoscant, non esse potestatem nisi à Deo, *cum Apostolo*, ad pugnandum fortiter in virtute, & fortitudine Spiritus Sancti, & Christi Vncti, contra inimicos S. Ecclesiæ; Equidem in humero ad significandum: Reges, Principes, & Imperatores Christianos, discipulos esse illius qui dixit: *& Qui non baiulat crucem suam nõ potest meus esse discipulus.* In Brachio autem, vt aggrediantur in campo certaminis contra hostes, Euangelicę legis, robore, & fortitudine Spiritus Sancti; cuius est donũ.

Solus autẽ Pontifex S. Chrismate in capite delinitur, ad differentiam Capitis, & membrorum. Apud Cæremon. & meminit Barbos. *de Episcopo p.* 2. *Alleg.* 31. *per totum.*

12 *De Sacro Oleo Infirmorum.*

Solus Episcopus hunc oleum cõsecrare potest, in materiam nouissimi Sacramenti Extremæ Vnctionis, vt meminit Trid. *sess.* 14. *de Extrem. Vnctione cap.* 1. Ita quod materia huius Sacramenti sit oleum ab Episcopo benedictum ad talem finem; Vnde ait: Mancin. *pract.* 9. *dub.* 15. Si ad alium finem, puta pro Catechumenis fuisset ab Episcopo benedictum, non esset materia huius Sacramenti extremę Vnctionis, tamquã illa supposita alteri formæ prę scriptæ ab Ecclesia. Instituit enim Christus hoc Sacramentum quando Apostolos misit vngere infirmos; Marci 6. & Iacobus Apost. c. 5. *Infirmatur quis ex vobis inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus.* Itaque Minister huius Sacramenti est Sacerdos, sed Olei Sacri Episcopus: inde vt quibus in vltimo con-

Digitized by Google

constitutis præparet oleum ad tollendas peccatorum reliquias. Vel sicut in natiuitate Pueri vtuntur à qua Baptismatis, ita in obitu oleo salutis, vt sine macula lętanter ingrediantur ad vitam. Multa mira scripta sunt de hoc oleo Sacro. Apud Martinum del Rio:

13 *Sed an illo vngi possint Sani?*

Respond. Negatiuè: quia pro his adest Sacramentum Pœnitentiæ. Etenim hoc nouissimum Sacramentũ pro infirmis institutum est. Iacob. *in Epist. & Marci* 6.

14 *Sed quinam Infirmi vngi debent?*

Respond. Infirmos Adultos, vel senio confectos, non verò Pueros, nec Amentes; aut Fræneticos; Neq: furiosos, ne fieret tanto Sacramento iniuria. Apud D. Thom. 4. *dist.* 24. & Trid. *d. l. c.* 3.

15 *Sed quid de Vnctione seu benedictione Campanarum?*

Respond. Campanas benedicendas esse de Necessitate præcepti. *in Pontificali. Rubr. de Benedictione Campana* ex Verbo *debet* quod importat necessitatem: ex Rota apud Farinacc. *p.* 1. *tit.* 2. *dec.* 27. Vngi quoq; debent tali Oleo: ex Ceremon. Roman. *pro vt dicam potest.* 232.



De Episcopo Benedicente Sacra Indumenta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest Benedicere Vestes Sacras, & Ecclesiastica indumenta.*

2 *Sed quid de indumentis Aliarum Ecclesiarum.*

3 *Sed quid pro iteratione benedictionis?*

4 *Sed quid si vsui omnino amplius aptari nequeunt?*

5 *Sed num simplici Sacerdoti liceat benedicere vestes Sacras?*

6 *Sed quid de eo qui vteretur vestibus non benedictis?*

Potestas XLI.

1 POtest Episcopus benedicere Vestes Sacras, & Ecclesiastica indumenta *ex cap. Vestimenta* 42. *de Consecratione.* & memorant Tabien. *V. Abbas n.* 12. & Vgol. *de Potest. Episcopi c.* 23. *n.* 9. Expressiùs autem in Missali Romano *Rubrica de Indumentis Sacerdot.* & in Pontificali habetur Orationes distinctę, & deprecationes Episcopales, quibus per inuocationem Spiritus Sancti benedicuntur Sacra indumenta diuino cultui dicata; de quorum mistica significatione egit nouiss. Pinell. de *Missa sacrificio cap.* 14. Septem vestes Sacræ igitur sunt. *Casula, Alba, Manipulum, Stola, Cingulũ, & Amictus,* quibus adde *Supercillicium,* ex septẽ donis Spiritus Sancti; quibus armatur Sacerdos contra septem vitia Capitalia; Alię sunt explicationes in quibus non immoror. Suntq; omnes benedicendæ singulatim iuxtà assignatas sibi deprecationes. Num autem Episcopus censura irretitus benedicendo Vestes incurrat irregularitatem vide dicta potest. 39. *n.* 2. *in fine.*

2 *Sed quid de indumentis Aliarum Ecclesiarum.*

Respond. Nonnisi pro omnibus suis Ecclesijs, sibiq; de Iure subiectis in sua Diœcesi existentibus; Ratio quia extensio Iuris sui est solùm ad metam suæ Diœcesis, & Territorij, ad differentiam iuris Metropolitę, & Summi Pastoris. Igitur non aliàs, quàm illas benedicere potest,

Digitized by Google

test, quæ vsui sacrorum Sacerdotum, & Ecclesiarum applicata sunt. Dixi omnibus in sua Diœcesi existentibus, præter Regulares, qui ex indulto possunt pro suis Ecclesijs tantum indumenta Sacra benedicere. Nisi tamen noluissent vti dicto priuilegio deferendo vestimenta ad Episcopum. Cui de iure communi competit benedicere, nec priuilegium stat contrà ius commune, sed in suffragium exemptorum. Ita communiter.

3 *Sed quid pro iteratione Benedictionis?*

Respond. Ad eundem pertinère, nam eadem est causa factiua, ac refactiua, ex illo vulgari: *Ad quem facere, ad eundem reficere spectat.* Ita *Armilla v. benedicere*, Coninch. *de Sacram. q.* 38. Dian. *p.* 2. *tract.* 1. *Miscell. res.* 4. Rebenedicuntur. n. res benedictæ ob notabilem fracturam, & resciſſionem, estque quando vsui ad quem assumptæ fuère, inutiles sunt, nam stante vsu stat benedictio, & illo elapso, euanescit. Non loquor de Casula, cui additur pars aliqua repetianda, nec de Cingulo fracto in modum, quo reliqua pars sortitur suum effectum, sed v. g. de illa Casula, Alba, Stola, & Manipulo in totum collapsis, ita vt si ex Alba fieret Amictus, de Casula Stola, & de Stola Manipulum; tunc enim aduenit noua forma, & nouus vsus, ergo indigent noua benedictione. Vide Potest. 115. *verbo consecrare.*

4 *Sed quid si vsui omninò ampliùs aptari nequeant?*

Respond. Igni tradi debere, & comburi, nè profano vsui applicentur, nam dedecet Sacra, vsui non Sacro deseruire. Ita disponitur *dist.* 1. *de Consecratione.* Nec refert dicere: benedictionem cessare, per reductionem ad illum statum, etenim in illa eadem veneratione haberi debent, ac habebantur, etiam lapides, & ligna dicata Ecclesiæ non debent ad aliud opus non sacrum inseruire; ita disponente *eodem Cap.* supra, sed omnia combustibilia in cineres reduci congruit, & in Ecclesia reponi, nè sint delubrio, quæ Dei Ecclesiæ in honores fuerunt.

5 *Sed num simplici Sacerdoti liceat benedicere vestes sacras?*

Respond. Non licère, quia proprium Episcopale munus est, adeò quod, neque delegari possit ab Episcopo, ita respondit Sacr. Congregat. apud Pelseuin. *de Officio Curati cap.* 2. *num.* 37. refert Barbos. *de Episcopo P.* 2. *Alleg.* 27. *num.* 42. Ex quo appareat, quàm stricti iuris sit, quod inter delegabilia non vindicat sibi locum ius benedicendi S. Vestimenta, & meliùs dicam *P. post. Impot.* 62.

6 *Sed quid de eo, qui vteretur vestibus non benedictis?*

Respond. Grauiter peccare, cum Siluestr. *v. Missa. nu.* 2. & *Alii* apud Zeroll. *in praxi Episcop. p.* 2. *v. Vestimenta num.* 3. Nota tamen, per vnius Missæ celebrationem in Altari non consecrato, etiam mala fide ipsum consecrari, id ipsum de Calice, & aliis Ecclesiasticis indumentis prima vice, qua Sacerdos vteretur in sacrificio Missæ, ob præsentiam Christi Authoris benedictionum. Dian. *p.* 2. *tract.* 14. *de Celebrat. Missa resol.* 69. *& p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 60. *& p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 18. apud quem Alii plures.

Ce-

Digitized by Google

C

De Episcopo celebrante Missam priuatè in aliena Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest celebrare priuatim in Diœcesi aliena absque licentia Ordinarij loci.*

2 *Sed quid de Benedictione Episcopali in Missa cum verbis illis*: Sit nomen Domini benedictum?

3 *Sed quid de Benedictione in itinere in aliena Diœcesi?*

Potestas XLII.

1 POtest Episcopus celebrare priuatim in Diœcesi aliena absq; licentia Ordinarii loci. Ita tenent quamplures apud Zeroll. *p. 1. v. Episcopus*. Patet quia Tridentina prohibitio *sess. 6. de Refor. cap.* 5. Cadit in solis Pontificalibus, quo sub nomine, non venit priuata celebratio; Tum quia nec sub generali phibitione: *Quod nemo celebret nisi de licentia Ordinarij loci*; veniunt Episcopi, ob eorum personale priuilegium, de quorum vita, & persona non ambigitur, ob qđ indigent speciali nota in prohibitione; ita Summatim, pro eo, quòd Alii diffusè. Apud Eman. Rodriq. *in Summ. tom. 4. cap. 67. num.* 2. Piasech. *in praxi Episcopi p. 2. cap. 2. num.* 3. Ricc. *in praxi aurea resol.* 203. *num.* 5.

2 *Sed quid de Benedictione Episcopali in Missa cum illis verbis*. Sit nomen Domini benedictum?

Respond. Proculdubio posse in illa Missa proferre; Ratio, quia benedictio illa sequitur ordinem Episcopalem, & non Iurisdictionem; nec videtur vndè repugnat; concessio igitur, quod possit celebrare, pariter admitti debent omnes Cæremoniæ, quæ sequuntur Missam Episcopalem priuatam.

3 *Sed quid de Benedictione in itinere in aliena Diœcesi?*

Respond. Tutiorem partem negatiuam vnà cum praxi tenendam esse: non negarem tamen si rogatus à personis deuotis benedictionem daret, absque animo exercendi Iurisdictionem. Ita apud Alzedo *p. 1. cap. 13. num.* 91. Hoc fit ad cognoscendum proprium ab alieno Pastore distinctum, cum sit verum de quolibet Patre suam benedictionem propriis filiis, & non alienis donante.

De Episcopo celebrante in Altari portatili.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest celebrare in Altari portatili.*

2 *Sed num dicto Priuilegio Episcopus vti possit extra Diœcesim?*

Po-

Potestas XLIII.

1 POtest Episcopus celebrare in Altari portatili, ita in Cap. *Quoniam de Priuileg. lib. 6.* defendunt quamplures apud Portell. *Resp. moral. P. 2. cas. 20. num. 7.* & Barbos. *de Officio, & Potest. Episc. Alleg. 23. à num. 7.* Hoc mihi probatur post quæstionem agitatam variis fluctibus inter Doctores, quorum præcipuos audiui, & perlegi, partemque affirmantem selegi, his rationibus munitam. Trid. non prohibet *sess. 22. in Decreto de obseruandis, & euitandis in sacrificio missæ.* Episcopis vti dicto Priuilegio (prout quidam dixère) sed tantùm abusum in hoc Sacrosancto sacrificio compertum per celebrationem extrà Ecclesias, & in Oratoriis priuatarum Domorũ. Ecce verba Concilii: *Neuè patiantur priuatis in domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium à Secularibus, vel Regularibus quibusdam peragi — non obstantibus priuilegiis.*

Ex quo apertè patet prohibitionem cadere in Seculares, & Regulares, quibus per antiqua indulta permissum erat sacra facere extrà Ecclesiam, & in Priuatis domibus; quorum abusum euelli, & eradicari voluit Concilium. Deindè in dicto capite prohibetur celebrare vago, & ignoto Sacerdoti, de quorum persona, vita, & ordinatione non esset notitia; ergo congruum erat locà interdicere, nè Sacrosancta sacrificia abusiuè fierent. At in his omnibus nulla est mentio de Episcopis; igitur in iis nõ cadit prohibitio, adeoque vana stat opinio contraria asserens priuilegium Episcoporum non teneri post Trid. & est sensus quamplurium apud Rodriq. *quæst. Regul. tom. 1. q. 43. ar. 1.* Deindè præcipit Episcopis: *Nè id patiantur:* hoc est, tàm perennè sacrificium extrà Ecclesiam fieri, in quo nil contrà Episcopos, sed contrà Regulares, vel Seculares diriguntur verba Concilii. Huius opinionis fuit Azor. Vgol. Fagundez, & alii, quos citat Barbosa *d. loco.* per quem absque scrupuli nota poterit Episcopus vti priuilegio citato, quando non valeret commodè ad Ecclesiam accedere, ex Gloss. *ibid.* prout præscribitur in dicto priuilegio, quòd facilitatis causa hic appono.

Quoniam Episcopi eorumque Superiores se habent diuersis ex causis, à suis Ecclesiis, & Diœcesibus absentare frequenter, nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere, pro Missa celebranda, vel audienda in in ipsis: præsenti constitutione indulgemus eisdem, vt Altare possint habere Viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari vbicunque, absq; interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire diuina.

Non audeo tamen asserere post Tridentinum posse Episcopum dare licentiam celebrandi extrà Ecclesiam, prout voluit Nauar. *consil. 15. ex cap. Concedimus de Consecrat. dist. 1.* quia tale ius correctum videtur ab illo, illis verbis: *nè patiantur.* Nec conciliatio Barbos. *de Episcopo Alleg. 23. vitat.* Valet: puta ex iusta causa posse. Nam nulli causæ summittitur Potestas, quando deest. saluo meliori iudicio.

2 *Sed num dicto Priuilegio Episcopus vti possit extrà Diœcesim?*

Respond. Affirmatiuè, quia personale, ideò sequitur personam priuilegiatam. Tu verò consule consuetudinem legitimam, quę semper laudan-

danda, & amplectenda in omnibus rebus, tanquam magistra, quæ plurima docet, Enim verò tantam vim habet consuetudo legitimè introducta, quæ nisi à Conditoribus legum excipéretur, quidquid statutum, & constitutum est nullius esset roboris, & momēti, quia tanquā Altera lex gentium contradicit legi positiuę; ideò omnes Potestates in suis legibus accuratè vtuntur illa clausula, *Non obstante consuetudine in contrarium introducta*; indè vt contrà leges non obuiamiret vis consuetudinaria, sit hoc transeunter dictum in fauorem praxis, & experientiæ in consuetudinem fundatæ.

De Episcopo celebrante Missam tempore interdicti generalis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest celebrare Missam tempore interdicti generalis, modo ipse causam non dederit.*

2 *Sed quid de Priuilegiatis tempore interdicti?*

Potestas XLIV.

1 POtest Episcopus celebrare Missam tempore interdicti generalis; modò causam non dederit, nec ipse sit personaliter interdictus. Hāc Potestatem *ex Cap. Alma Mater, & cap. final. de Priuileg. in 6.* colligunt quamplures apud Nauar. *cap.* 27. *à num.* 178. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 43. Suarez *de Cens. disp.* 34. *sect.* 3. *num.* 2. & Alios. Quorum Ratio fundatur in iuris exemptione, quia decet Episcopum quotidiè missam celebrare, vel celebrari facere, propter dignitatis eminentiam, vtque sit omnibus odor bonorum operum in ædificationem fidelium; estque doctrina communis, apud Sayr. *de Cens. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 29. Probatur meliùs, quando interdicitur generaliter Regnum, Ciuitas, Pagum, Terra, &c. non ideò intelligitur interdictus Episcopus, tùm ob Priuilegium Episcoporum, qui in pœnalibus non veniunt, nisi sint specificè nominati. Tum quoque in d. Cap. sub nomine totius non venit Caput, adeoque tanquam exemptus poterit celebrare, vel facere coram se celebrari. Ita Citati.

Dixi: *Nisi ipse sit personaliter interdictus, vel causam dederit*, quo casu non cadit exceptio, sed tam quā malorum caput, luem deferre debet in pœnam; Adam enim caput omnium hominum originale commisit fuitq; causa interdicti generalis in toto Orbe, & vnà cum alijs capitalem sententiam subijt. Ita colligitur ex dicto *Cap. Alma*, vbi ponitur exemplum de Pœnitentiæ Sacramēto, quod ministrari nequit personaliter interdictis, nisi satisfaciunt, vel cautionem præbent. Ita notauit Nauar.

2 *Sed quid de priuilegiatis tempore interdicti?*

Respond. Priuilegiatos posse, & debere sacris interesse dicto tempore. Ratio, quia per priuilegium aufertur obstaculum, vt à parisis detentis in Carcere indulgeretur die festo de pcepto, sacro interuenire, mortaliter peccarent illud omittendo, quia legitima excusatione carèrent. Auila *de Cens. p.* 5. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 6. Dicet quis: neminem cogi vti priuilegio, ideò supradicti non peccarent mortaliter, Ad quem facilis est respon-

Digitized by Google

ponsio, quia obligatio non prouenit ex priuilegio, sed eo remouetur impedimentum, quo amoto currit obligatio iuris ad quam tenebatur.

De Episcopo celebrante alternatim in duobus Episcopatibus coniunctis pro Sacris Oleis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest celebrare habens duos Episcopatus coniunctos alternatim, pro sacris oleis.*

2 *Sed quid, si Episcopatuum Alter Anterior fuerit fundatione?*

Potestas XLV.

1 POtest Episcopus celebrare, habens duos Episcopatus coniũctos, pro Oleis sacris alternatim, hoc est vno anno in vna, & altero in alia Ecclesia Diœcesum. Ita *ex cap. te referente.* notauit Gratian. *in discep. tat. forens. tom. 4. disp.* 655. cum multis. refert Barbosa *de Episcopo Alleg.* 31. *num.* 5. Ratio canonis est, quia ex coniunctione Episcopatus, vnus non dicitur alteri subordinari, sed quilibet in suo vigore, & rigore iuris persistere: ideò prouisum fuit *in d. cap.* pro Oleis sacris alternatiuam seruare, ad præiudicium alterutrius cauendum, Rumorem de medio tollendum, Pacemque in illis plantandam. Sicque Olea illa Sacra ab illa Ecclesia transmittuntur in omnibus aliis Ecclesiis intra limites duarum Diœcesum. Ideò, &c.

2 *Sed quid, si Episcopatuum Alter fuerit anterior fundatione, & dignitate?*

Respond. Dicendo: quòd si hoc clarè apparebit, & ex alia parte nullus rumor, iudico præcedentiam dandam anteriori. Si verò lis esset, vsque ad decisionem, mox seruandũ erit, provt obseruabatur, propter meliorem possidentis conditionem. Si verò lis in longum protraheretur, vel æqua esset decisio, pro ea tunc consulenda foret S. Apostolica, cui quod consonum, & iustum est, sẽper fuit decidere. Cauère autem Ecclesiastici debent certamina inania, vel iurgia scandalosa, sub iurium Ecclesiarum titulo, ex quo seditiones, & dissentiones inter Seculares oriuntur, nè vice maioritatis prętensæ, in Ecclesia peioritas peccatorum generetur. Acriter enim defendi debet ius Ecclesiasticum contrà Seculares; ita tamen, vt ipsis pateat defensionis puritas, absque dedecore status; nec desinit Inimicus homo suscitare zizaniam inter Ecclesiasticos, è contrà Pastoribus erit illam eradicare, & tempore messis, hoc est opportunè, eam igni tradere; seruando triticum iuris in horreo Christi, cuius est hoc consilium, *Matth.* 13.

De Episcopo celebrante Matrimonium tempore à iure prohibito, & cognitione causarum in fauorem Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest celebrare Matrimonia intra tempora à iure statuta,*

ta, sed maxima de causa; vt infrà.
2 *Sed quaenam sint tempora, in quibus iure prohibentur solemnitates nuptiales?*
3 *Sed quid sit haec maxima, & vrgens causa?*
4 *Sed quid de sponsalibus?*
5 *Sed quid de causis ad Matrimonium spectantibus?*
6 *Sed num Episcopus possit hanc potestatem cognoscendi causas matrimoniales alteri delegare?*

Potestas XLVI.

1 POtest Episcopus celebrare Matrimonia intra tempora à Iure prohibita, sed maxima de Causa. Ita voluerunt non pauci apud Sanchez *lib. 7. disp. 2. n. 6.* Sà *V. Matrim. impedimenta non dirimentia n. 12.* & recenset Barbos. *de Episcopo Alleg. 32. num. 194.* Ratio subsistentiæ est, quia tempus non est de Essentia Sacram. Matrimonij sed tãtum aliquo tempore prohibentur nuptiæ ad conformanda membra cum capite Christo, cuius Ecclesia tempore illo lugubris induta vel plorans mortem, vel clamans aduẽtum Christi eius Spõsi prohibet solemnitates nuptiales, Adeoq; Sacramentum validum ex hoc capite. Deinde eoquia dicta prohibitio est tãtum Ecclesiastica, quæ est lex suauis, & mitis sequens suauitatem legis diuinæ; non adeo artat, quin de iusta, & rationabili causa, saltem maxima, non possit dispensari, tanquam illa quæ vrgentia particularia non considerat; cum sit in sui gubernio prouida. Ideo emergentibus causis, ex quibus magnum imminèret damnum, ad id vitandum dispensat Episcopus non derogans legem, sed illam per iustam Epykejam glossat: pro vt ei quandoque licet. ex pluribus iuribus. *vt dicam meliùs à potest. 152.* Nec obstat Trid. dispositio *sess. 24. de Ref. matrim. c. 10.* vbi prohibentur solemnitates nuptiarum, vt sunt traductio sponsę ad domum, Conuiuia, Benedictio, &c. non vero nuptiæ; idcirco habetur pro consulto *in cap. Cappellanus. de Ferijs*; quando lex prohibet actum, eius prohibitio cadit in id ad quod cadunt termini prohibitionis illius actus: cum igitur in dictis temporibus prohibentur solemnitates nuptiales, non videntur prohibere nuptiæ, prout patet de Sponsalibus, quæ nunquam prohibentur, & si nuptiæ quandoque sint prohibitæ. Neq; valet dictum contrariorum dicentium: Prohibito principali prohiberi quoq; accessorium. Inquam hoc habere locum in accessorio connexo, cuiusmodi non sunt nuptiarũ solemnitates, solùm temporaliter interdictæ, quia Christus instituit hoc Sacramentum à temporibus liberũ. Vide Vgol. *de Cens. lib. 5. c. 7.* vbi de tempore interdicti; Ex quo maiori argumento ducitur ad tempus Aduentus, & Quadragesimæ.

2 *Sed quaenam sunt Tempora in quibus Iure prohibentur solemnitates nuptiales?*

Respond. à feria 4. Cinerum vsq: ad octauam Paschę inclusiuè, & à prima die Aduentus vsq; ad diem Epiphaniæ. ex S. Synodo Trid. *d. l.* In alijs verò temporibus, nuptias solemniter Ecclesia celebrari permittit. DD. autem explicant dies inceptionis, vel desitionis esse de media, vsque ad mediam noctem, more Romano. In qua autem hora cadunt dictę medietates? nil firmiùs assignari potest ob varietatem lunarem, & festorum mobilium, sed consulendũ, pro vt in dictis temporibus, in quibus si media nox caderet in medietate horę, vel minutorum tota illa

hora incepta currit in fauorem nuptiarum, & non prohibitionis, quia lex prohibens est odiosa, & restrictiua, neque prohibitio, & nuptię sunt more Astrologorum per minuta, & medietates strictiùs interpretandæ: sed more Ecclesiastico, & suauiter considerandæ, seu disponendæ.

3 *Sed quid sit hac maxima, & urgens causa?*

Respond. illam esse, qua non admissa, maximum imminèret periculum inter fideles, puta si quis concubinam non duceret in maxima, & periculosa Mortis infirmitate, periret Anima illius; tunc poterit matrimonium celebrari quolibet Anni tẽpore de licentia Episcopi; vel illo absente de sola licentia Parochi; qui in hoc casu dicitur tacitus delegatus à lege. Vel si Magnus Princeps ex multi numero negotiorum, occupatus dilationem temporis non haberet; & similibus apud Gallett. *Margarita casuum conscient. V. Matrimonium*. Ratio quia his casibus fauet ratio excusatiua, vt possint cõtrahi matrimonia de licentia Epi tempore vetito. Tandẽ si absq; causa, & licentia prædictis, validè, sed illicitè contraheretur matrimonium quia tantùm contra solam prohibitionem solemnitatis; concurrentibus ergo necessitate, & licentia, quæ integrant causam excusatiuam, poterit etiam licitè contrahi. Traductio autem ad domum conuiuia, & benedictiones sunt solẽnitates, à quibus erit abstinendum, & cuncta fieri secreto; & absq; Populi pompa, & frequentia; quia hæc letitiæ signa vetuit Ecclesia tunc temporis lucubris intenta. Quapropter debent Sponsi, ambo sistere ad præsentiam Parochi (nec clandestinè contrahi, & inualidè dicerentur) & ab eo benedictionem nuptialem de plurium testimonio recipere: secretoq; discedere ab Ecclesia. Lege Bonac. *d. l.* quem sequuntur multi.

4 *Sed quid de Sponsalibus?*

Respond. Sponsalia vllo vmquam tempore prohibita esse, nec cadere sub sollemnitatum prohibitione; ob diuersa munia, & nulla inter se connexione; ideo nulla illatio ex eorum altera. Ita colligitur *ex cap. Cappellanus* per citatos supra; intelligo equidem Sponsalia esse: Promissiones illas futuras inter Sponsum, & Sponsam, medio contractu.

5 *Sed quid de causis ad matrimonium spectantibus?*

Respond. Posse quoque Episcopũ cognoscere causas matrimoniales, natalitia, & hæreditates in fauorem matrimonij. Ita colligitur pluribus ex capitibus apud Barbos. *de Episcopo Alleg. 84. à n. 19.* Probatur itaque rationibus validioribus; Quilibet Iudex potest cognoscere de Causis in suo foro, & Tribunali deductis, tamquam legitimus, & cõpetens; tamquam verò incompetẽs, cognoscere incidenter, hoc est de causis non sibi competentibus, sed incidentibus, & per accidens ad suũ forum ductis in ordine ad principalem finem. Ita sentit Menoch. *de Arbitrar. lib. 1. q. 91. num. 8.* ergò iuxta hoc poterit Episcopus tamquã Iudex Ecclesiasticus cognoscere in fauorem Sacramenti Matrimonij de hæreditate, Dotis, & Alimentis, vt decernitur. ex cap. *Mulieri de Iureiurando, & cap. Nuper; & cap. cum ad veram. 86. dist.* Conformiter cognoscere quoque valet causas Natiuitatis *v.g.* si legitimo matrimonio; si tempore à Iure prohibito; nec ne si inter affines, aut sanguine coniunctos celebratur; vel celebratum sit matrimonium; eique erit decidere ex præcognitis causis legitimè, & incidenter. iudico tamen de solum inci-

incidenter cognitis, non poſſe decidere, vel definire. vt dicam meliùs P. *poſt*. *Imp*. 23. quia Iudex incompetens eſt, niſi per modum cõducentium. Idem recurrit ſermo pro Iudicibus ſecularibus reſpectu cauſarum ad forum Eccleſiaſticum pertinentium *v.g.* cognoſcendo de cauſa ciuili hęreditatis, poſſet cognoſcere quæſtionem natiuitatis; quod limita ni cauſę fuiſſent omnino vetitę; etenim reſpectu eorum, nec propriè nec incidenter pronunciare, & cognoſcere valent, ſed debent omnino abſtinere, & ad forum Eccleſiaſticũ remittere. *ex cap. later.* & *cap. luam*, adeo quod nec Arbitri eſſe poſſunt. ſi velint excommunicationis gladiũ diffugere in Bulla Cœnæ. Quò circa aliter eſt dicẽdum de Iudice Eccleſiaſtico, cui cauſę ſeculares non ſunt vitite, ideo reſpectu earum eſt tantum incompetens, & non vetitus. Prorogabilis, ad differentiam iudicatus ſecularis, qui reſpectu cauſarum Eccleſiaſticarum dicitur incõpetens, vetitus, & improrogabilis id ob Excellentiam iudicatus Eccleſię.

6 *Sed nùm Epiſcopus poſsit hanc poteſtatem cognoſcendi cauſas matrimoniales alteri delegare?*

Reſpond. Affirmatiuè de Iure proprio, & Ordinario ei competit *ex cap. Multorum* apud Sanchez. Quapropter eius Vicarius generalis de Iure proprio poſſet dictas cauſas cognoſcere quia facit vnum Tribunal cum Epiſcopo, ad differentiam Iuris delegati à Sede Apoſtolica eſtque adeo verum quod ne dum Vicario ſuo, verum, & Doctoribus atque Peritis in S. Canonibus diſcutiendas dictas cauſas tradere poteſt, hoc propter grauitatem, qnam præſeferunt dictæ cauſæ Matrimoniales, Taleſq; Iudices dicuntur diſcreti Epiſcopales. Apud Couar. *de Spõſal. p.* 2. *c.* 8. Sanchez Alioſque citatos.

De Epiſcopo cognoſcente Poſſeſſorium inter virum, & Mulierem, vt de cauſa Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt cognoſcere de Poſſeſſorio inter virum, & Mulierem in fauorem Matrimonij.*

2 *Sed quid de deferente cauſas poſſeſſorij ad Iudicem Eccleſiaſticum?*

Poteſtas XLVII.

1 POteſt Epiſcopus cognoſcere de Poſſeſſorio inter virum, & Mulierem, vt de cauſa Matrimonii. Hęc reſolutio habetur apud Afflictum *in Conſt. Siciliæ lib.* 8. *rubr.* 48. Couar. *in Pract. cap.* 53. *num.* 2. Valaſquez *concl.* 93. Apud quos referuntur Deciſiones S. *Congregationis relatæ* à Farinac. *p.* 1. *reſol.* 148. & docuit Barbol. *de Epiſcopo Alleg* 84. in fine, & quia legalis eſt, ad Iuris conſultos erit recurrendum; Apud quos: Poſſeſſorium eſt triplex, rei poſſidendæ, retinendæ, & recuperandę, in quibus formatur quoque triplex Iudicium *ex cap. Paſtoralis gloſſ.* 3. *de Cauſis*, quorum omnium cauſas cognoſcit Iudex laicus, modò pro Matrimonio in iudicium non adducantur; enim verò quoties alter coniugum aduerſus alterum ſpontè diuertentem à poſſeſſione rerum, tunc pro tali cauſa recurri oportet ad Iudicem Eccleſiaſticum Epiſcopum, qui eſt ſupremus Iudex iure ordinario procedens pro cauſis Sacramentorum, Sacramentalium, & aliarum

Digitized by Google

rerum ſpiritualium; cum igitur hoc poſſeſſorium factum ſit intuitu, iure, & titulo Sacramenti Matrimonij, habet admixtũ ſpirituale ius, vt cognoſcatur, & adducatur ante proprium Iudicem Eccleſiaſticum. Nec obſtat dicere: Iudicem Laicum poſſe cognoſcere de titulo poſſeſſorij; cum & ſi verum ſit de titulo Abſoluto, attamen falſum eſt de poſſeſſorio, cauſæ Matrimoniali admixto, Apud Barol. *in cap. litteras de Iuramento Calumn.* quodque de illo titulo, Iudex laicus non poteſt cognoſcere, apertè docet Couar. *d. l. cap.* 35. Nec itidem dicas: Iudicem laicum aliquibus in caſibus cognoſcere de beneficiis, decimis, & oblationibus. ergo & dictas cauſas. Non inquam benè infertur, quia nulla illatio vbi nulla connexio, Cum ratione Sacramenti, Epiſcopo erit cognoſcere omnia acceſſoria, & connexa. Ita defendunt Camill. Borrell. *in Sũm. omnium deciſ. tom.* 1. *cap.* 43. *num.* 104. & Renat. Chopin. *de Sacra Polit. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 14. Nec demum dicas: Epiſcopum poſſeſſoria incidenter non poſſe cognoſcere, tum quia ſibi propriè competit videre, & examinare omnia Sacramentorum, & Sacramentalium acceſſoria, tum etiam quia nullus laicus id cognoſcere poteſt, At ea omnia, quæ non competunt laico, directè, vel indirectè dicuntur propriè competere Eccleſiaſtico, ita apud DD. citatos.

2 *Sed quid de deferente cauſas poſſeſſorij ad Iudicem Eccleſiaſticum?*

Reſpond. Ipſi fore probare, Epiſcopo autem videre de diſpenſatione, copula, & aliis de iure requiſitis ad Sacramentum Matrimonii, vigore cuius delata fuit cauſa poſſeſſorii, vt pronuncietur, ſententietur, & declaretur; hinc apertè conſtat, poſſeſſorium hoc nõ debere eſſe ad ſolum titulum, prout ſufficit in cæteris poſſeſſoriis, ſed verum; vt poſſit à Iudice Eccleſiaſtico verificari; ne dicerētur procedere ad cauſas non competentes, ſed ad illas, quarum cauſa fuit Matrimonium.



De Epiſcopo cognoſcente profeſſionem nullam Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt cognoſcere nullitatem profeſſionis Regularium.*
2 *Sed quid, ſi Superior Monaſterij fuerit Epiſcopus?*
3 *Sed quinam Epiſcopus, & Superior debent aſſumi in Iudices competentes?*
4 *Sed quid, ſi diſcordes fuerint?*
5 *Sed quid, ſi ſolus Superior declararet profeſſionem nullam?*
6 *Sed quid de Superiore proponente cauſam profeſſionis Titij coram Ordinario?*
7 *Sed quid de Reclamante dimiſſo habitu ex iuſta cauſa?*
8 *Sed quid de tacitè Profeſſo?*
9 *Sed quid de Reclamatione poſt quinquennium?*

Poteſtas XLVIII.

1 Poteſt Epiſcopus cognoſcere nullitatem profeſſionis Regularium. de iure Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. cui acceſſerunt conſtit. Greg. 13. *Clem. & Vrb.* 8. 18. *Decembris* 1635. Ita recenſent Lezana *in Summ. quæſt. Regul. cap.* 2. *à nu.*

num. 7. Rodriq. *quæst.* *Regul.* *tom.* 3. *q.* 17. *art.* 16. Bonac. *de Clauf. Regul. q.* 2. *p.* 10. Dian. *Resol. Moral. p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 62. & Alii præmulti apud eosdem. Itaque Regularis prætendens nullitatem suæ professionis factæ non liberè, sed metu, terrore, minis, blanditiis, vel ante legitimam ætatem, vel quia requisita *Sixti* v. non habuit, & simile, pro Iudice competente, apud quem deferenda erit hæc causa, est Episcopus, vnà cum Superiore assignati *à Trid. d. loco*, qui simul cognoscere possunt causas, rescripta, scripturas, si ad apicem iuris concordant, & Sententiare ex auditis, & probatis rationibus, pro, vel contrà reclamantem secundum iustitiam, & non ad minas, vel aliorum preces.

Plura requirit Trid. *d. cap.* in Reclamantem 1. *Non debere audiri habitu dimisso, vel eo retento discedere sine licentia Superiorum.* 2. *Intrà quinquennium tantùm à die professionis.* 3. *Coram Ordinario, & Superiore suo causas, quas prætenderit deducat.* 4. *Quod si anteà habitum sponte dimiserit, nullatenus ad alligandum admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquā Apostata puniatur, &c.* Quibus addidit Clem. 7. *Non posse post lapsum quinquennium, à die professionis, audiri.* Voluitque hoc Decreto *Milites S. Ioannis* comprehendi. Quæ omnia fuerunt declarata, & confirmata sub Vrb. 8. *die, & Ann. citatis*, pro effrænanda facilitate ad sæculum conuolandi. Lege Tamb. *de Iure Abbatis. decis.* 3. *num.* 167. Ex dictis oriuntur quædam dubia, & sunt sequentia.

2 *Sed quid si Superior Monasterij fuerit Episcopus?*

Respond. Ipsum solum esse Iudicem competentem, ex Supposito Concilii, quod duo adesse, vnum ex parte Ecclesiæ, & alterum ex parte Religionis, distinta, & separata requirit, at in casu Episcopus stat ex parte vtriusque, igitur solus iudicabit. Ita probauit in terminis Barbos. ex multis iuribus *d. l. Alleg.* 104. *n.* 11.

3 *Sed quinam Episcopus, & Superior debent assumi in iudices competentes?*

Respond. Episcopum loci, in quo situm est Monasterium vbi professus fuit. Ità apud Nouarin. *in lucerna Regul. v. Nullitas*, & affert sic esse decisum; ratio, quia ex tali actu ibi emisso sumpsit ius Episcopus loci, tamquam casus in suo territorio euentus, & quod antea erat de iure communi, modo de iure Tridentino *d. l.* Superior autem erit ille pro tempore èxistens in reclamatione, qui debet iura sui Conuentus tueri, & quasi defensor sui Monasterii de validitate, vel nullitate professionis acriter defendere. Dixi pro tempore existens in reclamatione; non verò professionis, quia supponitur, vel mortuus, vel absens, ille igitur tempore litis præsens est substitutus repræsentans iura acquisita à suis prædecessoribus.

4 *Sed quid si discordes fuerint?*

Respond. Arbitros eligi posse ex vtraque parte, ad videndum Opinantium conflictum, & decidendū, vt iuris erit, vel appellationem admittendam in forma iuris; aut melius recurrendum ad Sacram Congregationem Concilii, & est via tutior, & melior, standumque illi.

5 *Sed quid, si solus Superior declararet professionem nullam.*

Respond. Vi talis declarationis, non posse Religiosum eiici è Monasterio, qđ si eiectus fuerit reuocandus erit, tanquam nulliter eiectus cumquia non à causa adæquata eiectus,

ctus, quia contrà formam diſpoſitionis Concilii, vbi cumulatiuè pro huiuſmodi cauſa aſſignati fuere Ordinarius, & Superior loci ſimul in Iudicem competentem. Excipe tamen caſum negligentiæ vnius, in quo valeret ſola ſententia alterius, vt dicam fuſiùs *Poteſt*. 126.

6 *Sed quid de Superiore proponente cauſam profeſſionis Titij coram Ordinario?*

Reſpond. Actum eſſe nullum. 1. Quia ſolus Ordinarius nō eſt Iudex. 2. Quia Superior non debet proponere, ſed propoſitam cauſam decidere. 3. Quia propter ordinis inuerſionem inuerteretur ſubſtātia actus; quare vigore actus nulliter validi, nulliter eiiceretur profeſſus; & habet locum etiam ſi ſubditus ſciret, & conſentiret etenim Superior Iudex non poteſt munus delatoris abire, pro contraria diuerſitate munium, quàm præſeferunt, delator cauſarum, & Iudex acceptator. Demum ſi diſpoſitum eſt Superiorem eſſe Iudicem, incidenter excluditur à munere Accuſatoris. Saluo meliori iudicio. Legatur Barboſ. *l.c. num.* 15. *in fine.*

7 *Sed quid de Reclamante dimiſſo habitu ex iuſta cauſa?*

Reſpond. Ceſſante ſcandalo, & alterius præiudicio, nec peccare mortaliter, neque ſubire debet pœnas Concilii. Ratio, quia iuſta illa cauſa, puta ſi detineretur in Carcere, vel Superior renuerit dare licentiam reclamandi, non eſt cur ipſe non poſſit ſibi aperire ianuam ad reclamandum, nam reclamatio licita, facit ſibi licitè amouère omnia obſtacula. Neque dicendum tamquam Apoſtata puniri: quia Concilium dirigitur contra temerè deponentes habitum, quæ temeritas ceſſat in petente, & non obtinente; atque fortiùs ſi detinebatur, nè progredi poſſet in cauſam reclamationis, in quo temeritas notanda potiùs in Superioribus renuentibus conformari iuſtis inſtitutis, quàm in ſubditis iuſtè reclamantibus ante quinquennium. Meliùs autem ſi habitum in fuga dimiſſum reaſſumeret in reclamatione: ſic enim propriè & abſque gloſſa adimpleretur mens Concilii, & benigniùs exaudiretur, prout aduertit Barboſ. *d. l. ſub. num.* 14. Suntque Alii caſus in praxi, quos recenſet Campanil. *in diuerſorio Iuris Canon. rub.* 12. *cap.* 11. *nu.* 18. Portell. *dub. Regul. v. Profeſſionis Nullitas num.* 45. & Dian. *p.* 3. *trat.* 2. *reſol.* 53.

8 *Sed quid de tacitè profeſſo?*

Reſpond. Profeſſionem tacitam, validam, etiam poſt Trid. defendūt infrà citati DD. adeoque eius reclamatio infrà quinquennium admittenda in iudicio, & ſumit exordium ſui quinquennii à die quando actus proprios, & communes Religioſis profeſſis exercuit; ſicut de profeſſione expreſſa diximus, à die qua emiſit illam. Ratio, quia tacitè profeſſus cenſetur verè, quando cum profeſſis communicat in actibus propriis Religioſorum, vt docuit Bordon. *Controu. xx. num.* 10. vbi ſic: Actus proprios eſſe: geſtare habitum profeſſis proprium, habuiſſe actus ſuffragandi in electionibus, tàm actiuis, quàm paſſiuis, quòd propriè Profeſſorum eſt; & *num.* 11. ſubdit prærequiri ad tacitam profeſſionem, (quam non annullat Trid. quia nullam de ea facit mentionem, ſed indefinitè loquitur de profeſſione) omnia requiſita ad expreſſam, videlicet 1. Præuius Annus integer Nouitiatus in locis deputatis. 2. exceſſus 16. annorum. 3. Conſenſus Superioris, & Conuentus. 4. quòd ſponte, & liberè habitum recepit actuſque proprios fecit, & vltimò,

quòd

Digitized by Google

quod habeat poſitiuam voluntatem profitendi, & non ſufficit negatiua, cum de valore vtriuſque profeſſionis ſit libertas. Hæc ibi cum aliis quampluribus. Si vtique dicta valent pro Monialibus. Lege Barboſ. *v. Profeſſ. Regul. à n.* 14.

9 *Sed quid de Reclamãte poſt quinquennium?*

Reſpond. 1. Abſolutè admittendum non eſſe poſt Conſt. *Clement. & Vrb.* 8. Per quos, actus formabiles in iudicio eſsẽt inualidi, ipſique Iudices inualidè iudicarent, quia ſunt competentes pro ſolo quinquẽnio, & non extrà, ad dictam cauſam prout conſtat de tenore Concilii, & dictarum Conſtitutionum, limitanda tamen eſt reſponſio in illo caſu, quando Regularis intra quintum annum non potuit, vel ignorauit profeſſionem ſuam irritam, ſciuit autem elapſo quinquennio. Tunc enim probare poterit impedimentum, vel cauſam legitimam, vt reſtituatur in iure reclamationis. Quomodo autem, & à quo debet reſtitui, docet Aloys. Ricc. *reſol.* 550. *num. 6.* non ab Ordinario, ſed vel à Sanctiſſimo, vel à Sacr. Congregatione, apud quos probato iuſto impedimento, poteſt concedi reſtitutio iuris reclamandi in integrum, ſicque habebit locum reclamatio facta coram Ordinario, & ſuo Superiore. Ita notarunt Nauar. *d. l. v. Profeſſio. nu.* 31. Hyeron. Rodriq. *d. l. nu.* 71. & Bonac. *de Clauſ. q. 2. p.* 10. *diff.* 4. *nu.* 4. ſed tu Inſpice meliùs *Poteſt.* 126.

Accedunt in fauorem Concilii de quinquennio, Conſtitutiones Clem. 8. incipit *Regularis diſciplina.* 12. *Martij* 1596. de Nouitijs ad habitum regularem non admittendis, niſi in locis deſignandis, & Vrb. 8. incipit: *Religioſos viros* 2. *Aprilis* 1631. & iterum occurrit motibus in Religioſis oriri ſolitis *die* 5. *Iunij* 1636. ita decernit: *Audita ſententia Sacræ Congregationis Concilij declarauit, & decreuit huiuſmodi receptos, & profeſſos contrà formam dictorum Decretorum, allegantes nullitatem præceptionis non poſſe ſuper huiuſmodi nullitate poſt lapſum quinquennij quoquomodo audiri.* Alia dicam de ſententia declaratiua nullitatis profeſſionis *Poteſt.* 126. ibi videto.



De Epiſcopo cognoſcente executionem teſtamentorum ad pias cauſas.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt cognoſcere executionem teſtamenti pro legatis ad pias cauſas.*

2 *Sed quid, ſi legata pia ſint pro exemptis Religioſis?*

3 *Sed quid ſi Regulares fuerint executores legatorum ad pias cauſas?*

4 *Sed num ſtatim, numuè poſt aliquod temporis ſpatium Epiſcopus poſſit cogere executores ad ſoluenda legata pia?*

5 *Sed cui Epiſcoporum erit id exequi, ſi teſtator moreretur in vna, & ſepelliretur in alia Diœceſi?*

6 *Sed quid data clauſula in teſtamentis, vt ad pias cauſas executores non valeant ab Epiſcopo arceri?*

Poteſtas XLIX.

1 POteſt Epiſcop. cognoſcere executionem teſtamentorũ pro legatis ad pias cauſas. Ita *ex cap. Nos quidem de Teſtam.* Eſtq; adeò iuris

ſui

ſui Ordinarii, vt tranſitum habet ad Capitulum, prout notarunt Couar. *de Teſtam. num.* 2. & Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *quaeſt.* 6. ex Trid. *ſeſſ.* 22. *de Refor. cap.* 8. *& ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 8. *&* 9. vbi notetur illud particulare: *Etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati*. Nota ly *Etiam*, in quo oſtenditur: nè dum Ordinaria, verum, & delegata, poſſe Epiſcopos procedere ad oſtendendam Eccleſiæ efficaciam, quæ vult omnibus viis occurrere executoribus teſtamẽtorum ad ſoluendas pias cauſas miſerabilium Defunctorum, quorum Pater, & Paſtor vigilat pro adimplenda illorum voluntate, idcircò de iure charitatis procedit ad ſubleuandam eorum miſeriam, ſuffragiis à ſe relictis. & Iuſtitiæ, qua tenetur ex citatis iuribus ſubuenire Animabus ægris, & clamantibus. *Saltem vos amici*. Sicut nos tenemur de bonis corporis, Animabus proximorũ in periculo ſubuenire.

Vigor Poteſtatis deſumi quoque poteſt ex priuilegiis teſtamentorum ad pias cauſas; Quorum 1. eſt ſi legatum eſt ad pias Cauſas, & teſtamentum inualidum. 2. Si teſtator reliquerit inſtabilitum hæredem. 3. quando inſtitutio fuerit voluntati alterius commiſſa. 4. Quando inſtituerentur hæredes, vt Religioſi de iure impotentes inſtitui. 5. Si adiecta cõditione, *vt non exeat perſonam*, poteſt in aliam transferri, vel alteri vſui pio applicari. 6. Quando ſi hæres repudiaret hæreditatem, teneretur legata pia ſoluere. 7. De legatis piis non eſt detrahenda falcidia, ſeù pars Trebellianica. 8. Quando factum fuerit pro loco conſtruendo in fauorem piæ cauſæ. 9. Quando non ſummitteretur ſolemnitatibus iuris, ſicut cætera legata profana, & donationes. Ita apud Sanctarell. *lib. variar. reſol. q.* 69. *à num.* 2. & recitauit Barbol. *de Epiſcopo Alleg.* 82. *à n.* 33. Quorum omnium priuilegiorum nota ſufficienter docet, vt poſſit Epiſcopus cognoſcere dicta teſtamenta, cogendo hæredes ad ſolutionem, prout Iuris eſt. DD. citati.

2 *Sed quid, ſi legata pia ſint pro Exemptis Religioſis?*

Reſpond. Adhuc poſſe, ad ſubueniendam voluntariam paupertatem, quam Religioſi vouerunt, & exequẽdam teſtatorum piam voluntatem, qua voluerunt ſuffragiis, & orationibus in illorum domibus, & Eccleſiis factis ſuffragari, & valet pro omnibus Regularibus altiſſimã paupertatem profitentibus, qui eſtò petere nequeât in iudicio. *Ex Clem. exiui de Paradiſo*, tamen nè pereant piæ teſtantium voluntates cogendi ſunt eorum executores ad ſoluendum, vel ipſis regularibus ſi capaces fuerint, aut ſi incapaces præuia proteſtatione facta, fugiendi formam iudicii, ſed tantùm eleemoſynaliter recipiendi ex variis Sacr. Congregat. deciſionibus, vel demum alio loco pio, vt par erit. DD. apud Sanctarellum, & Barbol. *d. locis*.

3 *Sed quid, ſi Regulares fuerint Executores legatorum ad pias cauſas?*

Reſpond. Authoritate Trident. *d. l.* poſſe Epiſcopum illos compellere ad ſoluendum, tamquam delegatum Apoſtolicum, & procedere contrà exemptos. Fr. Emanuel. *q. Reg. to.* 3. *q.* 70. *ar.* 5. excuſat ſpecialiter exemptos, qui nec ab Ordinario puniri, nec rationem reddere cogi poſſunt. Tu verò cogita Tridentinum, apud quem etiam laici ſubduntur fabricæ cauſa, vi teſtamenti Eccleſiarum, vel locorum piorum. Ita *ſeſſ.* 22. *cap.* 9. cum clauſula reuocatoria conſuetudinis, & priuilegiorum; conformiter ſcripſit Menoch. *conſ.* 322. *num.* 14. aſſerens: fabricam Eccle-

clesiæ trahere laicum ad forum Ecclesiasticum?

4 *Sed num statim, numnè post aliquod temporis spatiũ Episcopus possit cogere executores ad soluenda legata pia?*

Respond. Statim sequuta Morte, nisi quando in testamento adiecta sit clausula cum temporis prædefinitione, quia tunc seruanda erit clausula. Ratio, quia contractus, & dispositio testatoris stat in suffragium eius Animæ, & pauperum legatariorum, qui statim debent suffragari, adeoque currit obligatio hæredum, seù executorum ab Acquisitione dominii, & hoc incipit immediatè post mortem testatoris. Quamuis quorundam opinio fuit: Executores teneri infrà annũ apud Vela, *dissert.* 14. *n.* 46. Nec desunt pariter dicentes: esse mixti fori, & dari locum præuentioni; quod quidem cautum est ex nouo Iure Trid. propterquod dilatio facienda est ab Episcopo, apud quem residet ius faciendi exequi, ob negligentiam executorum. Dixi ob negligentiam: quia iura præfata constituunt Episcopos sollicitatores, & compulsores executorum, quorum primo interest soluere, & probata negligentia, vnica monitione, poterit Episcopus confiscare voluntatem Executorum. Addit Caned. *ad Decret. collectan.* 114. *num.* 3. Citationem faciendam esse personaliter, & non per Nuncium, aut per Epistolam; apud Barbos. *d. loco num.* 25. in quo adhùc notatur deuolutio iuris ad Episcopum, exequendi, quando alicui commissa est electio pupillorum, vel pauperum, ob negligentiam Executorũ. ita innumeri DD. quos citare pre multitudine taceo, & satis.

5 *Sed cui Episcoporum erit exequi, si Testatur moreretur in vna, & sepeliretur in alia Diœcesi?*

Respond. cum Pereria *de manu Regia cap.* 16. *num.* 40. Episcopo testamenti, propter contractum celebratum in sua iurisdictione, & sub illa consumato per Mortem testantis; nec obstat sepultura in aliena Diœcesi, quia per illam nulla subiectio. Sumus equidem in examine testamenti, non verò corporis Defuncti, considerando statum testatoris, quando testatus fuit sub regimine, & domicilio, quod viuens, seù testator tenebat in actu testamenti; ergo vbilibet sepultus examinatur eius causa ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi testatus, & mortuus fuit.

6 *Sed quid data clausula in testamentis, vt ad pias causas Executores non valeant ab Episcopo arceri?*

Respond. cum veriori sententia: Clausulam illam tamquam non appositam reputari, quia repugnat determinationi factæ per noua Iura, & ligaret manus Episcopi in fraudem legis, & damnum Animæ testatoris, cuius interesse videt Episcopus. Ita in *Cap. Tua nos. de Testam.* & Couar. *ibidem num.* 8. quidquid Alii sensiere ante prouisionem noui Iuris; & roboratur propositio facta cum doctrina *De Clausulis non apponendis, vel Pro non appositis. De testamentis.*



De Episcopo recognoscente libros prohibitos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cognoscere causas librorum prohibitorum non sapientium manifestã hæresi.*

2 *Sed num ipsi Episcopi possint legere, vel liceat iam impertiri, vt legantur libri prohibiti?*

3 *Sed num sermo factus sit adhùc pro Manuscriptis?*

4 *Sed quinam sint hi dicti libri prohibiti?*

Potestas L.

1 POtest Episcopus cognoscere causas librorum prohibitorum, qui non sapiunt manifestã hæresi, habetur in Directorio Inquisitorum. *q.42. ex cap. Accusatus de Hæreticis*, & Barbos. *in Summ. Apost. decis. collect.* 301. *& de Episc. Alleg.* 90. *num.* 8. affert Decret. S. Congreg. vniuersalis Inquisitionis, 2. *Decembris.* 1612. & cognoscendo posse decidere, & terminare causam illorum, apud quos reperiuntur dicti libri prohibiti, ad differentiam librorum hæreticorum; quorum cognitio spectat ad DD. Inquisitores ad id specialiter deputatos; Claritatis autem gratia, ad duas classes reducuntur dicti libri, ex indice librorum prohibitorum *Alex.* 7. *iussu nuper editum Ann.* 1664. Ad primum genus ascribuntur omnes sapientes hæresi, vel de hæretica prauitate Suspecti, Quorumq; Iudices, ad quos deferendi sunt dicti libri, sunt DD. Inquisitores. Ad secundum verò genus, omnes libri pietati Christianæ, morumq; honestati discordes, & nociui, quique res lasciuas, & obscenas tractant, cuiusmodi legentes, detinentes, & asportantes apud Episcopum sunt denunciandi, tamquam Iudices constituti. *Ex Bulla* Pij. 4. incipit: *Dominici gregis.* 24. *Martij* 1564. & notauit noster Ignatius Lupus. *p.* 4 *lib.* 25. *disp.* 2. *ar.* 3. *diff. vn. vigore dicta* Bullæ. Legentes, & retinentes libros primi generis excommunicantur excommunicat. Papæ reseruata, secundi generis verò excommunicantur non reseruata, ex 2 *Trid. sess.* 4. vbi iniuncta fuit causa Episcopis, vt possint iudicare, definire, & terminare, quid agendum de libris secundi generis? Relinquere, vel permittere, suspendere, aut euellere, si multum, parumuè nociui, vel contrà bonos mores, aut Rempublicam, si lasciui, vel obscena tractantes, aut fidei humanæ, & Christianæ repugnãt. Sæpènumero n. videntur huiusmodi libri gignere risus, iurgia, & contentiones, docentes Iuuenes, quomodò sit aliis nocendum, & perpetranda faciliùs atrociora peccata; ad quæ omnia vitanda, Pastori ouium interest aditum occludere, ex citatis iuribus, coercendo petulantia ingenia, cognoscendo causas dictorum librorum, ad delinquentium punitionem. Ecce Verba Trid. *d. loco sess.* 4. sic: *Qui contrauenerint, per Ordinarios declarantur, & pœnis à iure statutis puniantur — nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario: sub pœna anathematis, & pecuniæ in canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita — iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.* Ex Concil. Later. sub Leone x. *sess.* 10. sic: *Si in Alma Vrbe Roma, liber aliquis sit imprimendus per Vicarium S. Pontif. & S. Palatij Magistrum, vel personam à SS. D. N. deputandã, priùs examinetur. In alijs verò locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ prauitatis, eius Ciuitatis, vel Diœcesis, in qua impressio fiet, eius approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum, propriã subscriptione gratis, & sine dilatione imponendam, sub pœnis, & cen-*

censuris in eodem Decreto contentis, approbetur: hac lege, & conditione addita, vt exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Auctoris subscriptum, apud Examinatorem remaneat. Accedit eiusdem Pontificis Leon. x. Constitutio 12. incipit: *Inter sollicitudines*, *Ann.* 1515. vbi cum supra allatis iuribus duplex mentio fit, 1. de licentia librorum imprimendorum. 2. De reuisione impressorum, necnè Typis mittenda, & emissa bonis moribus respondeant? quorum omnium iudicium, Episcoporum arbitrio, & examini remissum est. Igitur dicta posita Potestas, viget tot iuribus aggregata, & Confirmatur ex subiectis apertis, clarisque verbis Concilii Trid. *Reg.* 7. tenoris sequentis.

Libri, qui res lasciuas, seù obscanas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed & morum, qui huiusmodi librorum lectione, facilè corrumpi solent, Ratio habenda sit, omninò prohibētur, & qui eos habuerint seuerè ab Episcopis puniantur.

Postremò suadet ipsa ratio, qua regimur, & regulamur; enim verò quilibet Episcopus in sua Diœcesi, est Pater bonorum morum, & odor bonorum operum; igitur ipsis omninò fuit impertienda facultas rescindendi, cassandi, annullandi, vel suspendendi libros, quorum tenor, & lectura, bonos mores obnubilant, & corrumpunt, quorumqe species, tanquam Aspidum oua in mente legentium aspides, & basiliscos procreant ex D. Greg. Nazian. *orat.* 2. *de Fide*. Cum ergo tenetur Episcopus bonæ doctrinę medelam suis impendere, & obnoxiam impedire; qua que instructi, vel expurgati fideles, ad salutem dirigantur sempiternam.

2 *Sed num Episcopi possint legere, vel licentiam Alijs impertiri, vt legantur libri prohibiti?*

Respond. 1. quòad lecturam. Si sensus est de prohibitis primi generis puta librorum sapientium manifesta hæresi, seù illorum, qui tractãt ex professo de Religione, vel aliis omninò damnatis in indice Congregationis S. Officii, neutiquam fas erit Episcopis, immò nec Inquisitoribus legere, illosque retinere, nisi desuper à S. Apostolica datum esset ex variis Sum. Pontif. constitutionibus. Iulii 3. incipit. *Cum meditatio Cordis*. Cuius verba: *Etiam si Episcopali, vel alia maiori dignitate fulgeant*. Pii 4. incipit: *Qui in futurorum euentibus*. Greg. 15. incipit: *Apostolatus* 30. *Decembris* 1623. & nouissimè Vrb. 8. incipit: *Apostolatus officium* 2. *Aprilis* 1631. cassat, annullat, & abrogat: *Omnes licentias legendi, & habendi libros, quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, etiam ratione Astrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscunque Laicis, & Ecclesiasticis, — ac quacunque dignitate fulgentibus, ac speciali nota dignis*. Ex quibus patet impotentia legendi libros primi generis; tanto qđ legentes incurrũt excommunicationem, vltrà peccati mortalis reatum, vt clariùs habuit Pius 4. incipit. *Dominici*. 24. *Martij* 1564. & ab Episcopo puniuntur.

Si verò est sensus de aliis libris, quos voco secundi generis, quomodolibet prohibitis, estò verum sit nullum sub pœna peccati mortalis posse legere, vel retinere dictos libros ex Const. præfata Pii 5. *Dominici*. Attamen ad corrigendum expurgandum, examinandum, propositiones dictorum librorum, & terminandas eorum causas, vnà cum censoribus puniri, nulli dubium sub esse potest, quin Episcopus legere possit præfatos libros. *De Corre-*

Digitized by Google

ctione librorum Probibitorum. §. 1. *in indice Expurgatorio* sic: *Habeant Episcopi — facultatē expurgandi — vbi emendatio confecta erit — subscripta, reddatur Episcopis, & Inquisitoribus — qui si emendationē approbauerint, tunc liber permittatur id ipsum* §. 5. *versu Postquam.*

Quoad 2. verò, de licentia cæteris præstanda, ad lecturam eorundē librorū quomodolibet prohibitorum, in Vrbe consueuit obtineri à Reuer. P. Magistro S. Palatii. Extrà verò non potest hodiè obtineri ab Episcopis (quidquid antiquitus erat) vigore præfatarum constitutionum, sed ab Eminentissimis DD. Cardinalibus Inquisitoribus in plena congregatione, vt notauit cum multis Barbos. *de Episcopo d. loco. à n.* 5.

3 *Sed num sermo factus, sit adhùc de manuscriptis?*

Respond. Negatiuè; nam dicta vim habent de libris typis missis, & mittendis, pro eorum impressione, & correctione, in quibus stat clauis, & finalis ratio constitutionum, & Cōciliorum, præmentium in populo Christiano; nè vagent, & diuulgentur libri hæreticorum, vel aliorum, Christianos mores corrumpentes, at diuulgatio, & communicatio habetur per libros excussos, vel excudendos: ergo manuscripta non videntur comprehendi sub dictis prohibitionibus. Recurrit tamen sermo pro annotationibus, conclusionibus, aliisuè foliis typis missis, vel emittēdis, pro quibus adhùc requiritur Tridentina solemnitas; videlicet Reuisio, Ordinariorumque licentia pro illorum impressione vt supra dixi. Romæ verò nisi de licentia Vicarii, nec non Reuer. P. Magistri Sacri Apostolici Palatii. Pro correctione autem Impressorum, currit facultas Trid. pro Episcopis, & Inquisitoribus, iuxtà regulas Indicis expurgatorii. Ecce verba Concilii Lateran. *Quicunque liber, aut alia scriptura*, & in Indice librorum prohibitorum Regula 10. *in librorum, aliarumuè scripturarum Impressione*. Apud Bonac. *de Censuris extrà bull. Cœnæ Domini, disp. 2. q. 2. punt. 16. num.* 11.

4 *Sed quinam sint hi dicti libri prohibiti?*

Respond. Recurrendum esse ad Indicem librorū prohibitorum, *Iussu Alex. 7. nouissimè editū An.* 1664. quorum nomina, Auctores, & tractatus in tres classes sunt diuisa, prout *in Indice Trid.* paritèr ad Indicem Hyspanicum *de Ann.* 1627. & 1640. in suprema Hyspanica Inquisitione, ex quibus crassa, & copiosa cognitio dictorum librorum habetur.



De Episcopo cogente ad fidei professionem Curatos, & Canonicos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cogere curatos, & Canonicos Cathedrales ad fidei professionem.*

2 *Sed quando nam facienda erit hæc professio?*

3 *Sed quid, si ignorauerint?*

4 *Sed quanam est hæc fidei professio?*

5 *Sed quid de fructibus non suis, per omissionem professionis fidei?*

6 *Sed cui restituendi erunt tales fructus?*

7 *Sed num tales fructus possint condonari, vel componi?*

8 *Sed quid de possessione, quæ non suffragatur?*

9 *Sed quid de distributionibus?*

10 Sed

10 *Sed quid de fructibus tempore quo adhùc nõ facta sit professio fidei?*

Potestas LI.

1 POtest Episcopus cogere Curatos, & Canonicos Cathedrales ad fidei professionem, vt notauit cum multis Barbosa *de Episcopo Alleg.* 61: ita disponente Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. versu *Prouisi* vbi sic. *De Beneficijs quibuscunque, curam Animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intrà duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coràm Generali eius Vicario, seù, Officiali Ortdodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesia obedientia se permansuros spondeant, ac iurent.*

Ex quo si teneutur Parochi residère, in Episcopo inest Potestas arcendi, seù cogendi de iure ordinario omnes Subalternas personas, nõ facientes id ad quod tenentur, nè dicerentur subditi absque Iudice. Vel meliùs obligationi in Parochis respondet, in casu negligentiæ, dicta Potestas in Episcopis. Ita *de supplenda neglig. Prælat.* subdit postremò Concilium.

Prouisi autem de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seù eius officiali, sed etiam in Capitulo id facere teneantur: Alioquin prædicti omnes prouisi, vt supra fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

Notarunt quamplures apud Garciam de beneficijs *part.* 4 *cap.* 5. & Barbos. *de Episcopo Alleg.* 61. Fidei professionẽ faciendam esse à Curatis coram Episcopo, vel eius Vicario, à Canonicis autem, etiam coram Capitulo. Quod intellige de Canonicis Cathedralibus. Contrafacientes autem faciunt fructus non suos, applicabiles Ecclesiæ ab Episcopo, vt dixi *Potest.* 32. *n.* 4.

Tenẽtur deniq; ex notatis DD. ad fidei professionem omnes, quæ sequuntur, ex variis Iuribus, apud Garcia *de Beneficijs*, Barbosa *de Episcopo Alleg.* 61. ex Trid. *sess.* 24. *c.* 12.

1 *Omnes Curati beneficiati.*

2 *Canonici Cathedrales.*

3 *Promouendi ad Episcopale munus, vt in Pontificali Romano fol.* 79. Iussu Greg. 14. incipit: *Onus Apostolicæ* 15. *Martij* 1591.

4 *Canonici exempti.* Vt notauit Nauarr. *cons.* 9. *de Iuramentis.*

5 *Canonici Regulares Cathedralium*, apud Eman. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 19. *à num.* 7.

6 *Prælati Regulares, ex Const. Pij* 4. *Iniunctum nobis. idibus Nou.* 1564. *& Omnes promouendi ad Doctoratum, vel lecturam alicuius scientiæ, vel artis in publicis Gymnasijs, & vniuersitatibus.* Ita in dicta bulla.

7 *Commendatarij Ecclesiarum; Coadiutores autem Canonicorum non tenentur; nisi post obitum Canonici, & possessione Canonicatus.* Ita Garcia *de Benef. p.* 4. *cap.* 5. *nu.* 76. Neque Canonici Colligiatarum, & minus habentes beneficia simplicia, quia de his non disponit Trid.

Dubium autem quod emergit circa præsentem materiam est sequens apud quem Prælati Regulares debẽt emittere fidei professionem?

Respond. Ipsos teneri apud suos Prælatos ex const. *Pij. iv. iniunctũ idibus Nou.* 1594 ratione exemptionis, ob quam ius antiquum in Episcopis cadit in manibus Prælatorum, quasi Episcopalem iurisdictionem habentium; re vera autem rigor dictæ constitutionis *Pij.* 4. per nonvsum obijsse videtur, quòad dictos Præ-

Prælatos, & lectores Regulares, vt tenet Sorbo *in compend. Priuileg. v. Professio fidei num.* 3. & Dian. afferens quamdam declarationem, Sacr. Congregat. *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 78. adeoque extensio Concilii facta à *Pio* 4. denuò restringitur in Regularibus.

2 *Sed quando nam facienda erit hac professio?*

Respond. Intrà duos Menses à die Possessionis, ex verbis Trid. *d. loco.* Quod tempus prædefinitum à Concilio non est ad finiendam obligationem, sed nè differatur executio. Itidem verba illa sapiunt determinatione, & restrictione. Itaque posteriori non seruato, seruatur priùs, idest Professionis emissio, etiamsi ex obliuione, vel negligentia intrà tempus bimestre emissa non fuisset, quo casu intrat Potestas coercitiua in Episcopis ad seruandum iniunctum à Trid. in fauorem Prouisorum, vt faciant fructus suos; adeoque positio nostra est in obseruantiam Concilii, & fauorem profitentium.

3 *Sed quid, si ignorauerint?*

Respond. In foro exteriori non excusari, quia Iuris clarissimi, at in foro Conscientiæ poterint fructus suos reputare, quia de possibili poterant id non excogitare, seù ignorare, atvbi nulla culpa, ibi nulla pœna. Ita apud Rodriq. *in Summ. p.* 1. *c.* 119. *num.* 7. 2. *edict.* Nulla tamen ignorantia præcedente, professionem omittens peccaret lætaliter, violans rigorem legis, grauem obligationem inducentis, & tanti ponderis, quanti est ipsa obligatio. Apud Homobon. *p.* 1. *respon.* 16.

4 *Sed quænam est hæc fidei professio?*

Resp. Illam esse verbatim, quam ponit *Pius* 4. in Concilio Trid. super forma iuramenti professionis fidei, post confirmationem dicti Concilii. incipit: *Iniunctum nobis.* In qua adsunt omnia requisita ad iurandum in fauorem, & defensionem S. Fidei nostræ, vt cum vinculo iuramenti omnia Diœcesum, & Ecclesiarum Capita, Ecclesiæ mandatis, & præceptis obediant. Eo quia valdè inuersum est: videre dictos homines Ecclesiastica dignitate fulgentes, & declinantes à via fidei, & veritatis. Contradictoribus in hac sancta constitutione iurata, occurritur pœnis adiectis.

5 *Sed quid de fructibus non suis, per omissionem professionis fidei?*

Respond. Teneri in conscientia ad restitutionem, etiam ante quamcunque sententiam; ob carentiam veri dominii, ex verbis Concilii, *Qui eam emittunt fructus non facere suos.* In foro autem poli probabile est non teneri vsque ad sententiam declaratiuam, cum nemo sui ipsius sit Iudex. Vide Rodriq. *quæst. Regul. tom.* 2. *q.* 47. *art.* 3.

6 *Sed cui restituendi erunt tales fructus?*

Respond. ex Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. Fabricæ Ecclesiæ, vel Pauperibus, prout dixi supra *Potest.* 32. & concordant multi apud Azor. *Inst. Moral. p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 3.

7 *Sed num tales fructus possint condonari, vel componi?*

Respond. negatiuè; docet Garcia *d. loco cap.* 3. *num.* 53. afferens sic decidisse S. Congreg. id ipsum habet Trull. *in Expositione Decalogi lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 15.

8 *Sed quid de Possessione, quæ non suffragatur?*

Respond. Intelligi, vt ex sola professionis fidei omissione, non admittitur beneficiarius ad illa munia, quę verè possessionem tangunt; vt dare voces in Capitulo, alios præcedere, & similia. Neque quòad fructus, qui expressè habentur prohibiti, vnà cũ in-

Digitized by Google

in suffragatione possessionis. Secùs de alijs iuribus, si quæ haberet, neque priuat ipsa possessione, sed de fructibus, & suffragiis eius. Itaque inutiliter quidam dixere: illos non esse verè Canonicos, vel beneficiatos, Cum expressè Trid. priuat tantum suffragio fructuum. Ita apud Doctores citatos.

9 *Sed quid de distributionibus?*

Respond. eas non comprehendi, quia earum nulla mentio, in illo stricto, & pœnali Cap. Trid; quapropter non debet dilatari. Neque illæ dantur ratione beneficiatus, sed officii ministerialis, & personalis, ideò tamquam opera personalia restant priuilegiata; ita Gratian. *in discept. forensium cap. 166.* & Alii apud Trull. *d. loco num. 9.*

10 *Sed quid de fructibus tempore quo adhuc nō facta sit professio fidei?*

Respond. Dicendo: si sensus est de illo bimestri, fructus currere in fauorem Prouisorum; secùs de illo post dictos bimenses. Ratio quia Tridentinum disponit de illo, elapso bimestri, ecce verba Concilii. *Teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intrà duos menses — Alioquin Prouisi fructus non faciant suos*; igitur pro decurrendis, futurisq; temporibus disponit fructus; non verò de illis intrà bimestre. Aliàs diceret: faciunt, vel fecerunt, quod est falsum; nisi dicamus: intra duos menses, adhùc non habuisse residentiam; & ita fructus non sunt sui, sed aliorum in pœnam non residentium. *Ita* quamplures apud Barbos. *d. loco nu. 23.*

Collige ex hactenus dictis legem pœnalem Trid. tantùm disponere de fructibus, & possessione, in pœnam inobedientiæ, vel negligentiæ, ob fidei professionem non emissam, non verò de titulo, distributionibus, vel nullitate possessionis; quod est valdè notandum. Collige quoque longam possessionem non sufficere absque Professione, ad licitam fructuũ perceptionem, vt cum S. Congreg. recenset Barbos. *d. l. num. 26.* sed possessores teneri ad restitutionem, vt supra dixi.

De Episcopo cogente Laicos ad Eleemosynam dandam Prædicatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cogere Laicos ad dandam Prædicatoribus Eleemosynam.*

2 *Sed quinam sunt, qui soluere teneantur?*

Potestas LII.

1 POtest Episcopus cogere Laicos ad dandam Prædicatoribus Eleemosynam. Non pauci apud Barbos. *de Episcopo Alleg. 82. à num 7.* Ducitur ex Trid. *sess. 24. de Refor. c. 4.* Vbi propriũ Episcoporũ dicitur prædicationis munus, & quod eorum est, & in casu legitimi impedimenti assumerẽt alios idoneos ad satisfaciendum pro ipsis. *Impensis eorum, qui eas præstare tenentur, vel solent.* In qua dispositione plura notantur. 1. Vigilantia Pastoris, vt oues audiant verbum Dei, diebus Dominicis, festiuis, & Ieiunorum. 2. *In* casu legitimi impedimenti debent alios assumere, vt omnino Animæ sibi subiectæ sacri pabuli fame, nè pereant, neuè tamquam paruuli clamitent panem, & non sit qui frangat eis. 3 Nō

Epi-

Episcopi, sed illi, quibus elargitur diuina loquutio soluere tenentur; iustè enim ali debet concionator ab illis, quos Sacræ doctrinæ pabulo pascit, & nutrit; idque de Iustitia, quam si adimplere renuerint cogi debent ab Episcopo Iudice compe- tente in causis spiritualibus, nè irremuneratæ sudores Prædicantium, essent, & Verbi Dei fructus decrescant inculti. Quapropter, si prædicantium virtutes dedignarētur, quilibet ab hoc munere recederet, & fideles famē perirent; neq; hoc præstatur in præmium, sed ad laborem personalem restaurandum. Neque id symoniæ labe notatur, quia non venditur Dominica Prædicatio, sed sudor reficitur personalis. Pariter vt de Missa. Vide fusiùs *Potest.* 94.

Sed quinam sunt, qui soluere tenentur?

Respond. Vniuersitates, quibus Concionatores deseruiunt soluere teneri; cum solius Episcopi muneri sit Eligere; ideo à Trid. dicitur *in casu legitimi impedimenti alios assument*; assumptio enim est electio, & electo tenentur populi soluere, ad quos inseruiēdos fuerūt electi. Quapropter eorum capita sunt cogenda ad solutionem. Contra dicentes cōpetere soluere, quibus eligere, quod pugnat S. determinationi Concilii; ità statuentis. *Impensis eorum, qui præstare tenentur, & solent*, non verò dicit impensis ipsorum. Item si solutio spectaret ad Episcopos, nulla erat necessitas diuidere assumptionem ab Impēsis. Ait enim Concilium *Tenentur, & solent*, quæ verba auferunt dissidias de medio, & si solent Principes, vel alii; sciant eis non esse interdictum, sed approbatum à Concilio Igitur laudanda Ciuitatum, & Oppidorum consuetudo, quorum capita, vel alii solentes soluere, coguntur. Conformiter sunt tria *Sacr. Congregat. Decreta de Ann.* 1618. 1610. & 1617. Apud Barbos. *in Collectan.* quæ si authentica sint, erit prēstanda fides, aliàs standum prēdictis. & *tract. de Episcopo d. loco.*



De Episcopo cogente Laicos ad vendendam propriam eorum domum pro construendis Ecclesia, vel Monasterio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cogere Laicos ad vendēdam propriam eorum domum pro Monasterio, vel Ecclesia construendis.*

Potestas LIII.

1 POtest Episcopus cogere Laicos ad vendendam eorum propriam domum (si opus est) pro Ecclesia, aut Monasterio construendis. Ita variis ex iuribus notarunt Lezana *in Summ. v. Monasteria.* De Franchis *decis.* 223. Velasquez, & Alii. Ratio legalis, & Canonica hęc est. Quia Ecclesię, & Monasteria sunt priuilegiata, in quibus inhabitat Deus cum Sanctis suis, aut in quo funduntur prēces, & orationes fidelium populorum, ergo his cedere debet quęlibet profana domus, in qua inhabitant homines. Quod etiam habet locum in ampliatione dictę Ecclesię, & Monasterii; nam amplitudines sunt accessoria, & sequuntur na-

natură Principalis. Marth. *de iurisd. p.4. cent. 2. cas.* 21. aliiq; apud Lezã. *d. l. n.* 23. extendunt ad Officina, & Viridaria, eadem ratione, indè vt nostrũ, & non Dei palatiũ spatio careat, & si hoc quandoque fit pro magnatibus, virisq; potentibus quãto meliùs cęlesti quadam politica congruit fieri cum Rege Regum, & Domino dominantium. In quo si durities quorumdam fuerit; Episcopo erit tunc illã infringere. Nec dicas: officinas, & viridaria Monasteriorum, & Conuentuum non esse Ecclesiam, quia satis, vt sint Ecclesię, & eius necessaria, cuius iura pariter currunt cum principali. Consulo laicos priùs timere, quàm iram Dei probare, vt de quampluribus legi in speculo Vincentii, & P. N. Seraficus voluit Fratres suos Ecclesiam, eiusque Ministros prę cunctis reuereri.



De Episcopo cogente hæredes pro satisfactione Missarũ iuxtà mentem Testatoris.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cogere hæredes ad satisfaciendum tot Missas, quot Testator reliquit in Testamento.*

Potestas LIV.

1 POtest Episcopus cõgere hæredes ad satisfaciendum tot Missas, quot Testator reliquit in suo Testa mento. Ità Barbos. *vt infrà.* Sensus huius casus, & Potestatis est, si v. g. Testator reliquit hæreditatem sufficientem suis hæredibus, & 100. Aureos, vt in suffragium Animæ suę celebrentur 100. Missæ. Euolato ad alteram vitam testatore, crescit per Synodi celebrationem, vel aliàs, stipendium Missarum celebrandarum, videlicet si debebatur Aureum vnum pro singula Missa, modò decretum est, duos aureos deberi: quo casu supposita hæreditate sufifectura, debent hæredes adimplere voluntatem defuncti, cùm diminutione etiam suæ hæreditatis; aliàs Episcopus cogere eos potest. Ita subscribunt plures apud Dian. P. 1. *tract.* 14. *resol* 17. vbi notantur Ricc. de Bonis, Genuensis, & Alii, & sequitur Barbosa *de Episcopo Alleg.* 29. *num.* 7. Ratio viget in fauorem Animæ defuncti, nam dato incremento stipendii Missarum celebrandarum, potiùs minui debet hæreditas, quam numerus Missarum, quia verisimiliùs est, Testatorem aucturum stipendium si sciret; defectu ergo scientiæ id fecit. plus enim se, quam alios amare, Animamque suam suffragari, excogitare cogimur; & meliùs si legauit simpliciter, determinando numerum Missarum, absque determinatione Eleemosynæ, vt vlt de sua hæreditate soluantur; ex aperta ratione, quæ dictat præiudicium (si quod sit in hoc casu) cadere potiùs ad minorandam hęreditatem, quam numerum Missarum. In dubio tutior pars est eligenda in fauorem, & suffragium Animæ testantis. Episcopus enim Iudex, & Pater miserabilium personarum pręcipuè Defunctorum causas iudicare potest in fauorem illorum, & respondere pro Defunctis, quorum voluntatem scrutinat in subleuandis Animabus, quas in vita rexit, in morte non de-

Digitized by Google

relinquit. De numero determinato stipendii missarum, Vide *Potest.* 38.

De Episcopo validè confirmante, si fortè ipse Sacraméto confirmationis carèret.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dici validè confirmare Baptizatos, estò ipse confirmatione carèret.*
2 *Sed quid, si Episcopus esset electus, & non consecratus?*
3 *Sed, an id licitè faceret?*

Potestas LV.

1 POtest Episcopus dici validè cõfirmare Baptizatos, estò ipse confirmatione carèret. Communiter apud Bonac. *de Sacram. disp.* 3. *p.* 2. *num.* 9. Henriquez, Suarez, & alii, & sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 30. *num.* 3. quorum ratio hæc est: habet charactèrem Episcopalem, in quo virtualiter reperiuntur omnes potestates *Episcopi*. Vt à simili de excommunicato degradato Sacerdote, cuius facinora non impediunt Potestatem validè Sacramenta conficiendi, & de Episcopo non habente ordines minores eos cõferente, vt *dicã Potest.* 84. Vi solius charactèris Episcopalis, in quo radicitùs fundatur hæc Potestas validè confirmandi. Dicet quis: Sacerdotem degradatum habentem potestatem absoluendi inualidè absolueret, ergo ex sola vi charactèris non potest inferri validitas actus, præsertim in illis, in quibus potestas est separabilis ab vsu. At contrà, si vis esset in hoc dictu, conuinceret de Sacerdote excommunicato conficiente validè quod est falsum. Igitur vis illatiua de inualida absolutione non est vniuersalis, sed particularis, fundata in separabilitate actus à potentia. Iura enim illa, quæ inualidant hunc actum absolutionis, non militant de actu conficiendi validè Eucharistiam per Sacerdotem degradatum; idipsum cum non habeatur Canon, seù Ius inualidans actum confirmationis valida erit confirmatio facta, sola vi charactèris.

Si quæras autem cur actus absoluendi est separabilis, Sacrificandi verò, & confirmandi non?

Respond. quia actus absoluendi non fundatur radicitùs in sola Potestate ordinis, sed Iurisdictionis, quæ secunda non habetur in degradato, seù excommunicato. Ergo cogimur dicere: actum esse inualidum defectu potestatis, seù iurisdictionis. vel melius, neque valet dicere: in excommunicato actum esse separabilem à potentia absoluendi, cum in eo, neque actus, neque potentia sunt: nisi loquamur de potentia ordinis, in qua sola non fundatur actus absoluendi, & iudicandi, vt dixi, igitur, &c. Neque refert dicere Episcopum non esse confirmatum, quia sat erit fuisse electum, & consecratum in tali ordine Episcopali, vi cuius validè exercet omnia munia Episcopalia, prouenientia à sui consecratione: inter quæ tamquam munus proprium principem locum habet confirmatio fidelium Baptizatorum; quos non de sui confirmatione formali confirmat, sed propter dignitatem, & charactèrem Episcopalem; exemplo Solis, qui non de calore proprio, sed de virtute

quam

quam possidet, calefacit.

2 *Sed quid, si Episcopus esset electus, & non consecratus?*

Respond. Non posse confirmare: quia esto posset electus iurisditionem exercere, non tamen illam ab ordine, & consecratione pendentem: puta ordinare, cōficere Chrisma, confirmare, &c. ita communiter apud omnes. Electio enim non facit totum Episcopum, sed tantum nominat, vt possit consecrari, de quo meliùs dicam. *Potest.* 81. & de ordinibus *Potest.* 84.

3 *Sed num id licitè faceret?*

Respond. Episcopum post Baptismum fortè S. Chrismate non delinitum, seu confirmatum; Aliis validè, sed illicitè confirmationis Sacramentum impendere. *Ita* citati initio Potestatis, ratio illicitiei est, Ipsa ordinis inuersio; ordinariè enim nullus assumitur ad culmē dignitatis Episcopalis, nisi post cōfirmationem, & ordinem Sacerdotalem; igitur propter non seruatum ordinem, illicitè confirmaret. Ipse autem excusarem à Mortali, in casu ignorantiæ, vt quando non constaret. *In* casu autem scientiæ consulerem Episcopum non confirmare alios, nisi priùs confirmationem reciperet, vt de ordinatis per saltum alibi dicam *v. Ordinare.* Ratio, quia si ordinatus per saltum, ad ordinem Presbyteratus, absque Diaconatu, validè consecraret, & tamen sub pœna suspensionis cogitur ad recipiendum ordinem prætermissū, vt validè, & licitè consecraret. Ita in casu. Saluo meliori Iudicio.

De Episcopo commutante voluntatem Testatoris Defuncti, iusta de causa.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest commutare vltimam Defunctorum voluntatem iusta de causa.*

2 *Sed quanam sit hæc iusta causa?*

Potestas LVI.

1 Potest Episcopus commutare vltimam Defunctorum voluntatem, iustis de causis, & consensu hæredis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, & constitutus à Trid. *sess.* 22. *de Ref. cap.* 6 his verbis.

In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta, & necessaria causa fieri debent, Episcopi tamquam delegati S. Apostolicæ Summariè, & extraiudicialiter cognoscant.

Id ipsum *sess.* 25. *de Refor. cap.* 4. vt notauit Perez de lara, *lib.* 1. *cap.* 12. *à num.* 39. Quapropter commutat Episcopus legatum pium relictum ad certum vsum, in alium similem, iusta causa, & consensu partium concurrentibus, & si hæres nollet iniustè consentire; tunc de sola iusta causa poterit id efficere solus Episcopus, secundum Vbald. *in l. legatum ff. vsufructum*, & §. *de Administratione rerum ad Ciuit. pertinentium*; estque Regula: si hæres contradicit, & Ecclesia consentit, præualebit Ecclesiæ consensus. Apud Genuens. *cap.* 19. *à num.* 3. *in sua praxi Archiep.* Duo itaque ponuntur in munimen huius Potestatis, quibus deficientibus, euanescit, causa rationabilis, & consensus partis. Enimuerò soli Sūmo Pontifi-

ci reseruatum est iudicium commutandi vltimam voluntatem; de cuius delegatione sunt constituti executores Episcopi, pro exacta obseruantia Defuncti voluntatis adimplendæ; hæc sola differentia quod si commutaret S. Sedes; sibi solum arbitrium; incommodumq; Ecclesiæ sufficeret; Episcopo verò nisi de iusta, & rationabili causa: puta si legatum de se non posset adimpleri, & ex consensu partis; ex quo apparet, quòd hæc sit potiùs accommodatiua, quàm commutatiua voluntatis Defuncti, & hic est germanus nostræ positionis sensus, cum DD. supra.

2 *Sed quænam sit hæc iusta causa?*

Respond. Præcipuè hanc causam oriri solere ex parte legati. Puta 1. Quando pecunia ad vsum, pro quo fuit relicta, esset insufficiens, & ideò in alium vsum similem conuertitur. Apud Aloys. Ricc. *decis. p. 3. collect.* 558 2. Quando vsus legati nō potest adimpleri. *ibid. versu prima.* 3. Quādo res legata ex impedimēto iuris, vel facti deseruire nequiret vsui destinato. *in Cap. cū dilectus de vita, & honestate Clericor.* Apud Petrum de Vbald. *de Canonic. Episcopi in 7. cap.* 4. Si legatum esset pro construendo Monasterio in loco campestri. Vbi de iure nouo cōstrui nequit, tunc alibi, & vbi commodiùs; debet ædificari. Apud Aloys. Ricc. *d. loco coll.* 1270. 5. Quādo legatum foret ad pingendam Ecclesiam, quæ in re pateretur ruinam de propinquo, tunc enim potest ad reparationem conuerti. Apud Vgol. *de Episcopo lib.* 61. *num.* 5. 6. Si legatum sit pro ornamentis Ecclesiæ, quibus non indiget, sed eget fabrica, & reparatione. Ita Gugl. apud Perez de lara *de Cappell. lib.* 1. *cap.* 14. *nu.* 19. 7. Quādo legatum esset indefinitè relictū, non respiciens causam, vel personam, tunc enim potest contrahi ad certam rem. ex Guid. *decis.* 156. 8. Quando Ecclesia, in cuius fauorem erupit voluntas Testatoris, licentiam non haberet id efficiendi, tunc conuertitur in alium vsum. Apud Monet. *cap.* 5. *num.* 53. 9. Quando Vrgente causa difficillimus esset aditus ad Pontificem maximum; tunc enim ab Episcopo conuertitur in Aliud. His, & similibus causis iustis, de consensu partium; vel saltem his non contradicentibus, poterit Episcopus modulare, vel commutare Defunctorum voluntates; indè vt inter huius Mūdi volubilitates stet firma, & stabilis voluntas testatorum; eàque non careat debito suffragio, ex vario rerum euentu. Ita rationabiliter tenent DD. De variis modis commutationis, vide *Potest.* 60.

De Episcopo commutante vota.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest commutare omnia vota, à se dispensatiua.*

2 *Sed quænam sint hæc vota dispēsatiua ab Episcopo?*

3 *Sed quænam sunt causa commutandi, & dispensandi vota?*

Potestas LVII.

1 POtest Episcopus commutare omnia vota, in quibus dispensare valet. Ita DD. vt infrà. pendet

hæc

hæc probatio à rationibus, quibus probabo *Potest.* 164. Potestatem dispensatiuam, ex qua facili eductione conuincitur sic: Potest relaxare omnem obligationem contractam vt voti, vel iuramenti, ergo poterit facilius illam in aliam commutare; in qua mutatione non aufertur, sed in aliam commutatur, & transfertur: vis enim illatiua; quæ concludit maius, potest concludere minus. Apud Eman. Rodriquez *in Summ. p.* 1. *cap.* 192. *concl.* 1. Sayr. Clauis Reg. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. & alii: secùs ratiocinandum, si daretur commutatiua, ex qua non benè duceretur ad dispensatiuam, quia de minori ad maius non datur illatio; hinc est quod commutans nō potest dispēsare: dispensans autē potest commutare, contra Nauar. *in man. cap.* 12. *num.* 79. & alios dicentes: illationem de dispensatiuâ ad commutatiuam non valere, cum dispensatio sit odiosa, & restringenda, & non alterius inferitiua; sed quantum hæc doctrina sit odibilis, patet ex Communi DD. tenentium: dispensationem esse de numero beneficiorum fauorabilium. Ipse autem defendere teneor meam illationem etiā cum doctrina Nauar. sic: procedere de dispensatiuâ ad commutatiuam non est dilatare priorem; igitur estò sit per Nauar. Dispensatio odiosa, adhùc illatio nostra subsistit. Antecedens probatur propriè dilatare, & extendere priorem, sic quando res extensa sit extrà priorem, fauore cuius, posterior similis participat de fauore sui consimilis; prout practicatur in omnibus legibus fauorabilibus, at commutatiua non est extrà, nec similis sed eadem, vel in eadem tamquam minus in suo maiori, igitur nulla extensio fauorabilis; sed vera illatio identica, tamquam genus in sua specie, nisi dicamus cum aliis: commutatiuam ambulare iuxtà rigorem legis, quia obligatione non amota, solum rem transfert in aliam: Igitur non amoto obligationis iure remanet ipsum ius. Quòcirca, si conceditur Episcopo dispensatiua, quæ est relaxatio iuris, quare negabitur commutatiua, quæ est persistentia iuris obligatiui, cum mutatione accidentali, quod faciliùs conceditur, quàm dispensatio, in qua fit mutatio substantialis, de obligatione ad non obligationem, ergo ruit doctrina Nauar. adhuc admisso suo principio.

2 *Sed quænam sint hæc vota dispensatiua ab Episcopo?*

Respond. Omnia illa vota, & iuramenta, quæ non sunt Summo Pōtifici reseruata; de quibus abundè dicā. *v. Dispensare* Potest. 175. & *Part. post. Imp.* 80. Iustè igitur Episcopus tāquā Pater, Superior, Princeps, in sua Prouincia, poterit commutare in his, quæ non sit reseruata Papæ.

3 *Sed quænam sunt causæ commutandi, & dispensandi vota?*

Respond. Causas commutandi vota, & iuramenta esse impossibilitatem, incōmoditatē id adimplendi ad maius bonum, arbitrio boni viri, quibus & in qualibet commutatione, debet seruari equalitas in commutando. *Ita* aduertit Siluest. *v. votum quæst.* 6. Causæ verò dispensandi sunt: malum, inutile, vel maioris boni impedimentum. Apud eundem, hisque adiectis aliud loco voti, vel iuramenti in dispensatione iniungitur, vt notat Nauar. *in Man. cap.* 12. *num.* 63. Vide clariorem doctrinam de commutatione *Potest.* 80.

De

De Episcopo committente causas Matrimoniales Doctoribus discutiendas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest committere causas Matrimoniales Doctoribus discutiendas.*

2 *Sed quid, si dictæ causæ Iuris Canonici imperitis fuerint consignatæ?*

3 *Sed quid, si causæ huiusmodi coram alijs Iudicibus ab Episcopo ducerentur?*

Potestas LVIII.

1 POtest Episcopus committere causas Matrimoniales Doctoribus discutiendas. *Ita* tenent Couar. *de Sponsal. p. 2. cap. 8.* Sbroz. *de Vicario Episcopi lib. 1. q. 43. à num. 7.* Menoch. *cons. 109. num. 240.* & alij. Probatur. Episcopo est cognoscere omnes causas spectantes ad Sacramentum Matrimonii, vt ritè, iustèque celebretur in Ecclesia Dei; idque de iure ordinario, tanquam Iudex in suis quibus. *Igitur* eique erit committere, & delegare illas, puta impedimenta, gradus consanguinitatis, affinitatis, dotes, sponsalia, & similia. Examinandas, discutiendas, & definiendas, secundũ iuriũ veritatẽ, tantoque magis quod à nullo iure impeditur; ergo currente legitimo impedimento, vel eo absente, potest eas remittere *Doctoribus*, stareque placitis eorum, & quiescere illorũ doctrinis, & determinationibus Sacr. Canon. Etenim *Iudicibus* discretis, & peritis conuenit causas arduas, & difficiles cõmittere. *Ex cap. 1. de consanguinit.* Cum valdè periculosum sit, causas arduas leui manu decidere, in damnũ personarũ, & Ecclesiæ, quò circà si data imperitorum sententia de validitate Matrimonii, quod reuera esset inualidum, eò oriretur rubor definientium; contensio contrahentium, & Episcoporum supina ignorantia; fas igitur erit potiùs cõsulere DD. vt caueamus ab illo vulgari: *Erubescimus sine lege loqui.*

2 *Sed quid, si dictæ causæ Iuris Canonici imperitis fuerint consignatæ?*

1 Respond. Sententiam illorum validam esse; si conformem iuribus, & statutis. Secùs si difformem. Ratio; quia inualiditas sententiæ ex triplici capite oriri pt̃ 1. defectu iurisdictionis in ferente sententiam. 2. defectu subiectionis, ad dictũ *Iudicẽ.* & 3. *Defectu* ordinis non seruatis; ergo cum hæc sententia correspondeat his tribus erit valida, & conformis, iuris ordine seruato; secus ex defectu talis ordinis, ex Doctrina Bordon. *de controu. moral. contrlanden. 12. num. 5.* vbi docet *à n. 1.* Sententiam quandoque posse esse validam, & iniustam, puta ex animo proferentis, ex odio, prætio, fauore, &c. vbi cum dicta interiori iniustitia, stat validitas; demum iuris Canonici imperitus, cui commissum fuit recognoscere causas prædictas, propter authoritatem, quam habet; concurrentibus aliis conditionibus supra, poterit sententiam validam proferre, secùs alias. Consule Menoch. supra.

3 *Sed quid, si causa huiusmodi coram alijs Iudicibus ab Episcopo ducerentur?*

Respond. ad Episcopum reuerti, tamquam ad suum *Iudicem* cõpetentem; vt ipse notaui *Potest. 46. num. 5.* Cuius erit cognoscere adhùc de Natiuitate, & legitimitate, in

in causa Ciuili hæreditatis. Ratio, quia Iudices laici sunt incompetentes, & omni iure prohibiti, ad cognoscendum de his, quæ sine cognitione spiritualium decidi nequeunt. Ita ex *Cap. ad Abolendam, de hæred.* & Trid. *sess. 24. de Refor. cap. 12.*

De Episcopo congregante Synodum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest congregare Synodum Diœcesanam.*

2 *Sed quinam vocandi ad interessendum Synodo?*

3 *Sed quo loco Synodus erit celebranda?*

Potestas LIX.

1 POtest Episcopus congregare Synodum Diœcesanam, semel, vel sæpius quolibet anno, si adesset necessitas, per se, aut per suum Vicarium; ex Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 2.* Cuius verba sunt hæc; *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur.* Ex quibus indefinitis verbis collegit Pialech. *cap. 2. num. 1.* non oportere vt per se, sed sufficere per suũ Vicarium id efficere; & ita etiam decidisse Sacr. Congreg. Cõuocãtur enim Synodales ad moderandos mores depravatos, corrigendos excessus, componendas cõtrouersias, remouenda omnia mala. Sancta hac constitutione directè occurritur malis, quæ sicut in dies crescunt, ita quotannis trucidantur. Nilq; ea laudabilius, cuius medela naturæ nostræ plagæ sanantur. Quapropter sepiùs congregare licebit Sanctam Synodum: scilicet quando necessitas vrget, sed ordinariè quotannis, nè sit incommodum, & damnum venientium, atq; accedentium; & quidem Episcopus adhùc non consecratus poterit Synodum congregare: quia non ordinis, sed iurisdictionis est; vt dicam *P. post. Impot. 51.* Quòcirca per edictum vocatiuum intrà limites suę Diœcesis; vel extrà, de licentia Ordinarii loci, interessendis nunciare tenetur; apud Botte. *de Synod. p. 1. q. 9. nu. 57.* Indè, vt omnes moniti sciant tẽpus, & locum, ad quem conuenire debent dicti interessentes; pro vt in sequenti.

2 *Sed quinam vocandi ad interessendum Synodo?*

Respond. 1. omnes Beneficiati curati, ex Trid. *d. loco cap. 2.* 2. Rectores Parochialium Ecclesiarum, nullius Diœcesis, & Vicarios; nam hi viciniori Synodo interesse tenentur; vt refert Franciscus de Leo, testans sic decidisse *Sacr. Congregat. Sypr. de officio ordinis decis. 12.* 3. Omnes exempti, & capitulis generalibus non subiecti, ex Trident. *ibid* 4. Abates habentes populum: at Serafinus distinguit, vel hi habent Vicarium amouibilem, sicque teneri. Secus si perpetuum: quia tunc tenetur is, apud quem residet cura Animarum, Lezana *in Sũm. tom. 3. v. Abbas num. 17.* 5. Deputati à Capitulo ad inessendum, ex parte Canonicorum Cathedralium; nam omnes accedere, vnà cũ Ecclesiæ detrimento impar esset: sic *ex S. Congreg. 10. Aprilis 1594.* refert Pialech. *de Cap. collegiatarum num. 2. v. Sæculares.* Hos omnes, necesse est interesse ad representanda

da Ecclesiarum, Ecclesiasticorum, & Populorum inconuenientia, & preparanda debita medicamina cõtra vitia, & peccata: Immò tamquã conciliantes Episcoporum, approbant, quòd in eo in Animarum salutem decretum, & definitum est; Præside confirmante; quod çquum, & iustum erit.

3 *Sed quo loco Synodus erit celebranda?*

Respond. Locum consuetum esse Ecclesiam, quia res, & causæ repræsentandæ, definiendæ, decidendæ, concludendæ, & confirmandę, Ecclesiasticę sunt; ideò Ecclesiam sequuntur, ex Botte, *d. l. num. 56.* apud quem pariter docetur propter artitudinem Ecclesię, in alio loco priuato honesto capaci, & commodo, non erit indecens ibi Synodum celebrare, per respectum, & commoditatem veniendorum. Constitutis igitur loco, tempore, dieque præfixis, descendet Episcopus cum clero, sonantibus organis, & campanis solemniter; & peracta Missa de Spiritu Sancto, incipit Synodus de more ad præscriptum sui iuris. Adiiciendus erit hic modus celebrandi Synodum, sed quia nostra non interest; ideò lege Gauant. & Barbos. apud quos fusè de Praxi Diœcesanæ Synodi.



De Episcopo commutante legata ad pias causas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest commutare legata ad pias causas.*

Potestas LX.

1 POtest Episcopus commutare legata ad pias causas: Ita substinent Henriq. *in Summ. lib. 7. cap. 15. num. 2.* Graff. *in Aureis decis. p. 1. lib. 2. cap. 53.* & Bonac. *de Sacram. disp. 4. q. vl. p. 7. §. 4.* De hac Potestate antea discurri *Potest. 56.* hic autem fusiùs de modis, quibus diuersimodè commutatur res. Quapropter examinabo triplicem commutationis statum: in *melius*, in *deterius*, & in *equale*. Primo modo nulli fas erit dubitare, quia verisimilius est, legatorem velle meliorari suum legatum; neq; tertio modo, & in *equale*, cum in hoc nulla iniuria iniicitur leganti, quia equale pro equale nullam dicit mutationẽ. Cadit igitur difficultas in secundo
2 modo, seù in deterius, pro quo scias: interdictum fuisse Episcopis, absq; iusta causa intercedente ex parte rei commutare. Nè legatum ad causas pias, profanis vsibus, vel non necessariis applicetur; at si res fuerit iure, vel alio impedimento impedita, ad tempus, vel in perpetuum; Episcopus ratione impedimenti, & impotentiæ potest vti exposita Potestate; puta si processionibus legatum fuisset applicitum; & Ecclesia pateretur ruinam in parietibus, tecto, vel supellectili, in hoc quod videtur deterius, conuertere poterit Episcopus tale legatum, & si in luminibus cera, oleo, paramentis, & aliis huiusmodi, & Ecclesia careret sepulturis, campanis, vel ministro, poterit accommodare magis necessaria, licet deteriora, iusta semper currente causa: Cum in his omnibus, sicut Episcopus stat pro adimplenda voluntate defuncti, Ita pro explicanda, in euentu causę rationabilis, quod sufficit ad verificandam expositam Potestatem, ad dis-

differentiam eorum, quæ diximus. *Poteſt* 56. & dicemus *Poteſt*. 109.



De Episcopo concedente litteras dimissoriales suis Clericis, vt ab Alio Episcopo ordinentur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus poteſt concedere litteras dimiſſoriales ſuis Clericis, vt ab Alio Epiſcopo ordinentur.*
2 *Sed, an Vicarius Generalis illas concedere poſſit?*
3 *Sed, an id competat Capitulo S. Vac.*
4 *Sed quibus concedere valet Epiſcopus huiuſmodi litteras?*
5 *Caſus nobilis in hac materia?*

Poteſtas LXI.

1 POteſt Epiſcopus concedere litteras dimiſſoriales ſuis Clericis; vt ab alio Epiſcopo ritè ordinentur, *Ita* ex Trid. *ſeſſ.* 23. *de Reform. c.* 3. vbi ratione infirmitatis, vel legitimi impedimenti conceditur Epiſcopis poſſe impertiri Reuerẽdas, ſeù dimiſſorias Clericis; tãquã teſtimonium ſui Paſtoris, nè fraudulenter ordines recipiant ab alio Epiſcopo, qui cognoſcat idoneitatem, ſufficientiam, & litteraturam; ordinãdorũ. Sine quibus Epiſcopus ordinans incidit in pœnas latas, contra ordinantes non ſuos, vel cum falſis dimiſſoriis. *ex Conſtitut. Pij.* 2. *Ann.* 1461. incipit: *Cũ ex Sacrorum*, apud Cherubinum. Aduertant tamen Sapientiores Epiſcopi dictis in litteris dimiſſor. plura apponere. 1. Impedimentũ, ſeù cauſam, ob quam quis à proprio Epiſcopo ordinari nequit, *ex Trid. ſeſſ.* 7. *de Refor. c.* 11. 2. Expreſſionem ordinis, quem poſſidet, & petitionem illius, quem deſiderat. 3. Quod ordinandus liber exiſtit quolibet vinculo iuris, vel facti. 4. Sufficientiam, & litteraturam ex præuio examine, & Approbatum declarare Clericum accedentem *ex Trid. ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 3. 5. Ætatem requiſitam, & tempus interſtitiarum: ſi correſpondet Sanctionibus Sacrorũ Canonum, necnè indigeat diſpenſatione; nam hoc ſpectat ad ordinantem, & non ad concedentem dictas Reuerendas; vt meliùs dicam *Poteſt*. 140. 6. Directionem litterarum debere eſſe ad quemcumque Episcopum Catholicum in ſuis *Diœceſibus*, Pontificalia exercentem, & alia de more. His omnibus condiri decet formula litterarum concedendarum Clericis ordinandis, vt ab Alio Epiſcopo, qui ſapidus de his, ritè, Sanctèque poſſit præuio examine, ſi velit, necne. *ex Trid. d. loco*, ad Ordines Eccleſiaſticos alienos ſubditos promouere. Legatur Vega *t.* 2. *de Curat. lib.* 14.

2 *Sed, an Vicarius Generalis illas concedere poſſit?*

Reſpond. Niſi de ſpeciali mandato, & commiſſione Epiſcopi, *ex cap. cum nullus. De Tempore Ord.* Ratio, quia conceſſiones dictarum litterarum competunt Epiſcopo de iure ordinario; ſicut conferre ordines, tamquam connexa, & acceſſoria, quæ ſequuntur naturam principalis: at vi mandati Generalis in eius aſſumptione in Vicarium non confertur talis facultas, vt patet *Poteſt*. 111. Excipe tamen Caſum: ni Epiſcopus foret in Remotis. *ex dicto c. Nullus.* Ea ratione; quia Clerici

rici non debent priuari debitis suffragiis Episcopi; qui nec præsumitur, negaturus si fuisset in propinquis.

3 *Sed, an id competat Capitulo S. Vac.*

Respond. Affirmatiuè, elapso tamen Anno, à die obitus Episcopi de restricto iure *Trid. sess. 7. de Ref. cap.* 10. *In* quo capite excipiuntur illi, qui arctantur ex beneficio recepto, vel recipiendo ordinari, vt alibi dicam. hac mea parte.

4 *Sed quibus concedere valet Episcopus huiusmodi litteras?*

Respond. Omnibus, & singulis suis Clericis Diœcesanis origine, vel domicilio sibi de iure subiectis, de quibus dicam *Potest.* 85. & Regularibus quomodolibet exemptis. *Ita* disponente *Trid. sess.* 23. *de ref. cap.* 8. vbi sic. *Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis, aut specialis rescripti, vel Priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus promittatur, nisi eius probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur: si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Nomine autẽ *Ordinarij sui*, veniũt Generales, & Prouinciales, quod patet à contrario sensu. *In Trid. d. loco num.* 10. vbi prohibentur Abbates, & alii Prælati litteras dimissorias Secularibus elargiri, ergo cũ ꝓpriis subditis id cõcedere nõ prohibetur, tãquã Ordinarij suorũ subditorũ, apud Miranda in *Manuali t.* 1. *q.* 38. *ar.* 2. & alios. Accedit *Bulla Clem.* 8. de obseruandis à Prælatis Regularibus in concedendis talibus litteris *Data Romæ* 25. *Maij* 1596.

5 Casus: Episcopus loci concedit licentiam Episcopo alienigenæ ordines conferre, sed ante diẽ S. ordinationis obiit Episcopus loci. Quæritur num alienigena poterit ordinationes S. inceptas prosequi, virtute facultatis præhabitæ?

Respond. Barbosa *de Episcopo Alleg.* 7. *à num.* 34. negatiuè, propter spiratam facultatem, vnà cum Episcopo spirato. munitur decisione S. *Congregationis in vna Vilnensi* 22. *Febr.* 1631. in qua nec posse, etiam non contradicente Capitulo, habetur, Sede enim plena durabat tantũ authoritas; vacua verò vim suam ad Capitulum transiuit.

Respond. de Lugo affirmatiuè, quia gratia delegata, & incepta desiderat perfici, & integrari, nè frustraretur: ideò non spirauit cum spirato Episcopo. Munitur exemplo licentiæ ad audiendas Confessiones, subscriptæ manu propria Episcopi, at hæc non spirat spirato Episcopo; ideo pari curru de licentiis in genere gratiarum, quapropter absque noua Capituli licentia, ait: eas perficere posse. Refert Barb. *ibid.*

Sed quia ambo viri præstantia Doctrina, & virtute fulgentes, non audeo dicere, quia mihi ambæ opiniones probantur innixæ probabilibus fundamentis. Videtur tamen secunda probabilior, & rationi fortiori consona; quia licentia elargita non est vitalitia, & vitæ Episcopi alligata, aliàs aliæ licentiæ in tali genere gratiarum ita forent; quod negat ipse Barbosa. Nec opponitur *Trid. sess.* 7. *cap.* 10. Prohibens ordinationes non conferri à die vacationis, in quo prohibet incipere, sed non, inceptas non perficere. Etenim die Mercurii, & Iouis habuit examen, die Veneris, ordinationes minores, quę sunt ordinatę ad maiores, Quare igitur non poterit perficere totam ordinationem die Sab-

ba-

Digitized by Google

bati. Neq; hoc ius Trid. est nouum, sed antiquum & innouatum; ideò post vitę terminum Episcopi loci non videtur terminata facultas elargita. Saluo meliori iudicio.



De Episcopo concedente, vt Clerici examinentur, & Approbentur pro recipiendis ordinibus ab altero Episcopo.

SVMMARIVM.

1 *Potest Episcopus absens concedere, vt Clerici examinentur, & approbentur pro recipiendis ordinibus.*

Potestas LXII.

1 POtest Episcopus absens concedere suis Clericis, vt examinentur, & approbentur pro recipiẽdis ordinibus in litteris dimissoriis, seù commendatitiis. Multi apud Barbos. infrà. Ratio difficultatis est Absentia ipsa Episcopi à Diœcesi, ob quam non potest personaliter examinare, & approbare; prout aliàs tenetur *ex Trid. sess. 23. de Reform. cap. 3.* sic. *Quod si ægritudine fuerint impediti, suos subditos non aliter, quam iam approbatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* At absentia est equa causa excusatiua sufficiens, vt ritè possit committere examen, & approbationem Episcopo ordinanti, ideo &c. Insuper absentia inducit impotentiam; vi cuius par erit posse delegare, seù cõmittere quod sua interest de natura delegabile, & sicut potest Elargiris vt ordinentur, ita vt examinentur.
2 Insuper quando Trid. iubet: *nisi examinatos remittere*, supponit Episcopum esse in suo Territorio, igitur absens excusatur, eò vel magis, quod Episcopus ordinans potest non stare examini, & approbationi litterarum, sed ipse examinare, & approbare, ideò Episcopus mandatarius poterit cedere iuri suo, submittendo subditum ordinationi, & examini Episcopi ordinantis. Adhæret dictis Armandar. *in addit. ad recompil. legum*, Nauar. *lib. 1. tit.* 18 & Barbos. *de Episcop.* P. 2. *Alleg.* 7. *num.* 29. tamquam consonum quotidianæ praxi, & subdit: concedere commẽdatitias esse iurisdictionis ordinariç & voluntariè: ideò absens, & extrà territorium potest exercere, atq; ita si prohiberetur: iusta causa purgaret prohibitionẽ. Reliqua de Examine vide *Pot.* 190.

De Episcopo concedente excommunicationem pro rebus perditis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere excõmunicationes pro rebus perditis.*

2 *Sed quid de valore rerum perditarum?*

3 *Sed quo tempore cõceduntur excommunicationes?*

Potestas LXIII.

1 Potest Episcopus concedere excommunicationes pro rebus perditis. Probatur ex Concil. *Trid. sess. 25. de Refor. cap. 3.* his verbis. *Quapropter excommunicationes illa, qua monitionibus premissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, seù subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, praterquam ab Episcopo, decernantur; & tunc non alias, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, qua eius Animum moueat, nec ad eas concedendas cuiusuis authoritate adducatur; sed totum eius arbitrio sit positum.*

Ait 1. *Magna maturitate.* Quia neruus excommunic. nisi in grauioribus rebus vtendus, præuiis tamen monitis ad finem reuelationis, sine quibus Episcopus quasi noluisset salutem, sed mortem peccatoris, qui fortè ad monita resipisceret. Medicus. n. ille, qui solis lenitiuis ægrotũ sanaret, ferro abstinere debet. Gladiator primò verbis, postea gladio vtitur. Idque Episcopus primò monitis, deindè contumacem gladio feriri debet.

Ait 2. *à Nemine prorsus.* Quorũ verborum rigor, & efficacia est, ad insinuandum nullum alium inferiorem pro rebus perditis posse excommunicationes emittere; docendumque modum, quo vti debet; etenim si aditus esset ad veritatem, alia via per testes, seù legitimas probationes, Episcopus abstinere debet à censuris, quæ dicuntur vltimum remedium, quando non suppetit alius modus. Ita subscribunt classici Canonistæ. Apud Nauar. *in cap. Inter verba* Correl. 66. Escobar. *in Tract. select. Diss. trac. 2. p. 2. q. 2. §. 3.* & alios, apud quos pariter cóstat Monitoria non esse concedenda, quando Testes sunt certi.

2 *Sed quid de valore rerum perditarum?*

Respond. Res perditas debere esse ad minus, cuius furtum lethalem culpam attingeret; pro qua sola materia debent concedi monitoria, & excommunicationes, ex verbis Trid. *Non ex vulgari causa*, idest non ex leui qualibet materia, sed grauiori, moueri debet *Episcopus*, magnaque maturitate, prout in grauioribus agendis, semper procedit, ad finem reuelationis, & restitutionis. Vel si res paruę, & multæ efficerent vnum magnum, puta si vineã plures deprędati essent, & singuli parum; tunc omnes, & singuli magnum furtum committerent, & cuncti debent luere pœnam, ad metam magni deperditi, audire monitoria, & excommunicationes. Apud Henriq. *lib. 13. de excommunicatione cap. 17. §. 4. num. 8.* & Suarez *tom. 5. disp. 20. sect. 2. nu. 3.* Colligunt DD. ex verbis Concilii, *Magna de maturitate*, duo requiri pro concedendis monitoriis. 1. Materiam debere esse grauem, & in praxi pro valore 50. Aureorum, non minus conceduntur, apud Ricc. *resol. 238.* 2. esse circumstantiam loci, temporis, & personæ, & minus mouent deperdita diuitis, quam pauperis.

3 *Sed quo tempore conceduntur excommunicationes?*

Respond. Concedi solitas esse diebus festiuis, (Natiuitatis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi exceptis, nè solemnia turbarentur.) Indè vt Populus congregatus sentiat, seù audiat quod profertur ab Episcopo, vel Alio eius loco; nè daretur locus excusationi. Lege Sayr. *de Censi. lib. 1.*

cap.

cap. 14. num. 10. & Lazzar. *de Monitorijs sect. 1. q. 19. num. 4.*

De Episcopo concedente ædificationem Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere licentiam pro Ecclesia ædificanda; sed cum dote.*
2 *Sed vbi constructio est facienda?*
3 *Sed quid de authoritate, & consensu diœcesani?*
4 *Sed quid de præiuditio alterius Ecclesiæ?*
5 *Sed quid de Ecclesia diruta, & funditùs readificanda?*
6 *Sed quid, si reficeretur in partem?*

Potestas LXIV.

1 POtest Episcopus concedere licentiam pro Ecclesia ædificãda, sed cum dote, in loco tamen non exempto. *ex cap. Authoritate de Priuileg. in 6. Cap. Ecclesia 16. q. 1.* aliisque iuribus, vbi cauetur Ecclesia ædificari nisi duobus interiectis. 1. est Authoritas Diœcesana, 2 quod non sit in præiudicium alterius Ecclesiæ; vt aduertunt Roccus, Lambertus, Zerolla, Piasech. & Alii apud Syluestrum *de Beneficijs p. 1. q. 6. à num. 9.* Ratio iuris est, quia Episcopus est caput omnium in sua Diœcesi Ecclesiarum; ideò ipsi cura est, scire, prouidere, consentire pro agendis, ædificandis, atque construendis Ecclesiis, & prętendere debet ius in earũ ædificatione, sicut omnes Ecclesiæ in Diœcesi subsunt curæ, & custodiæ Diœcesani, cuius est prouidere de Rectore, Parocho, vel Cappellano, atque necessariis, prout decet domum Dei custodire. Quapropter non tam defacili licentiam construendi concedere debet, nè post ædificationem iniuriis, prosanisque exponeretur. Sed benè põderare, nè in loco turpi, sed decenti construatur, neque in loco campestri, nè sit spelunca, vel hospitium Latronum, aut bestiis exposita.

De dote verò, sine qua nullatenùs construenda erit Ecclesia. *ex cap. cum sicut de consercratione*, notaui *Potest. 39. num. 1.* & fusiùs dicam *P. post. Impot. 57. v. consecrare.*

2 *Sed vbi constructio est facienda?*

Respond. In loco non exempto: aliàs ab illo foret facultas obtinenda, cuius esset exemptio, videlicet à Sede Apostolica. *Cap. locorum de Consecrat.* vt dixi *Potest. 39. cit. n. 4.* Qua etiam lege astringuntur exempti volentes ædificare in loco nõ exempto, pro quo debent petere, & obtinere Diœcesanum consensum, non obstante eorum exemptione, quod est consonũ Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 3.* pro domibus Regularium, de quibus fusè P. 219.

3 *Sed quid de Authoritate, & consensu Diœcesani?*

Respond. Et quia iura signata non exprimunt de consensu expresso, vel tacito. Dico alterutrum posse sufficere cum DD. suprà, videlicet quando sciuerit Episcopus, & non impedierit, vel contradixerit, fortè quia de dote securus, propter quod licentia petenda erat, & obtinẽda. Nè Domus Dei sponsa Christi, præ ceteris Sęcularium domibus esset pauperrima, iniuriisque hominum,

num, & temporum exposita; neuè fame ornamentorum, ministrorum, paramentorum, & luminum, quibus in dies pascitur, & nutritur: periret. Vide *Potest.* 224. vbi de permissione.

4 *Sed quid de praiudicio alterius Ecclesia?*

Respond. Hanc conditionem prahabendam esse, tamquam fundamentum, in quo solidatur Dioecesanus consensus, aliàs Episcopus efficeret contractum onerosum in præiudicium tertii, quem nulli fas erit condere; cessante igitur præiudicio, accedit authoritas, vt quilibet in sua proprietate ædificare poterit Ecclesiam dotatam. Nota tamen præiudicium huiusmodi inferri solere ex perceptione fructuum, expensis, sustentatione Rectoris, Eleemosynis fieri solitis, de quibus fusiùs *Potest.* 229. vbi de licentia præstanda pro Monasterio construendo; sed meliùs *Potest.* 184. vbi, quid erit in casu necessitatis? quidvè de præiudicio? *num.* 1. & 2.

5 *Sed quid de Ecclesia diruta, & funditùs reædificanda?*

Respond. Recurrere dictam potestatem. Ratio, quia funditùs dextructum in sui reædificatione dicitur nouum corpus recipere; igitur propter nouitatem operis exigitur nouitas requisitorum. Cuiusmodi sunt: *dos; Authoritas diœcesana, & quod non sit in praiudicium alterius.* Dices: in casu Ecclesiam non ædificari, sed reædificari, igitur nulla necessitas prærequisitorum, quæ in prima ædificatione, iure requiruntur, & non in secunda. Ipse autem concederem, si Ecclesia non esset radicitùs, seù funditùs dextructa, idest omissa priori forma. Quando verè parietes corruerunt, vel aliis misteriis inseruiret, & pro Ecclesia nō habita. Tunc accedit nouitas quasi non fuisset: at si alter parietum esset pedester, vel maior illius formatiō fuisset amissa, & persisterent omnia requisita cum dote, posset tunc vti suffragio primæ concessionis, de quo lege Camill. Borell. *de præstantia Regis Catholici cap.* 37. *num.* 10. *l.* 1. §. *Si quis ædificium. ff. noui oper.* refert Barbosa *de Episcopo Alleg.* 26. *num.* 1. Sed quia in proposito valdè iuuant dicta in *Potest.* 237. ideò vide ibi.

6 *Sed quid si reficeretur in partem?*

Respond. distinguendo de parte, vel essentiali, ex quo verè dici posset, non esse Ecclesiam; tunc extrà dubium esset prærequisita requiri; quia totum in sententia Scotistarum, ex partibus essentialibus conflatur. Vel de accidentali, puta si minima pars aliqua caderet, & pedester maneret forma totius, tuncque neutiquam esse necessaria requisita, nam verè non diceretur noua ædificatio, sed reficientia, & repetium Ecclesiæ.



De Episcopo concedente Indulgentias temporales.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere Indulgentias temporales.*

2 *Sed an possit aliis delegare hanc facultatem?*

3 *Sed quibus prodest dicta Indulgentia?*

4 *Sed quid de Exemptis?*

5 *Sed quas temporales Indulgentias concedere possit?*

6 Sed

Digitized by Google

6 *Sed quid si Episcopus fuerit excommunicatus, vel in mortali?*

Potestas LXV.

1 POtest Episcopus concedere suis subditis Indulgentias temporales. Ita colligunt *ex cap. transmissa, de elect. & cap. cum ex eo de pænit.* Sãctus Thom. 4. *d.* 10. *q.* 1. *Articulo* 4. Ricc. *resol.* 306. *num.* 4. Valent. Toler. & Alii, quos citat, & sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 88. *num.* 7. & quia de Indulgẽtiis egi supra *Potest.* 33. vbi quid sit Indulgentia? hic superest de illis, quas aliis concedere potest. Cum igitur *Indulgentia sit* Remissio *pœna aliàs debita in Purgatorio*, iuxtà peccatorum numerum, & grauitatem; à Confessariis iniungitur pœnitentia luenda in hoc sæculo, pro Purgatorio verò de gratia Ecclesiæ per Episcopum electum in partẽ sollicitudinis, applicatur Indulgentia ad remissionem dictæ pœnæ, virtute meritorum Christi, & Sanctorum. Non quidem plenariam, defectu potestatis illimitatæ; vt dixi *Potest.* 3. sed temporales; hoc est 40. dierum, vel ad summum vnius anni In dedicatione Ecclesiæ. Ita communiter DD. citati.

2 *Sed an possit Alijs delegare hanc facultatem?*

Respond. Negatiuè cum dictis *Potest.* 33. *num.* 2. ob rationes ibi recensitas; nec obstat dictum quorumdam apud Bonac. *de Indulg. q.* 1. *p.* 3. *num.* 12. Esse de iure ordinario, & voluntario; & ideò delegabili, non inquam valet: quia de Iure speciali, & nisi de facultate suprema posset committi. Quapropter quidam dixère: esse de iure personali, & nisi de commissione, delegabile, & ita in praxi, quãuis Barbosa contrarium doceat *Alleg.* 88. *nu.* 10.

3 *Sed quibus prodesset dicta Indulgentia?*

Respond. Suis subditis, ita Nauar. *consil.* 18. *num.* 12. vel melius etiam exteris in suo territorio commorantibus; cum Henriq. *cap.* 31. §. 2. Ratio, quia sumus in agro gratioso, & ab omnibus participabili; cautè autem procedendum cum Peregrinis Indulgentias petentibus; ex Ludouico Bologn. *Tract. de Indulg. num.* 60. & Cochier. *p.* 4. *q.* 58. *num.* 4. & de Quæritantibus. Lege *Potest.* 67.

4 *Sed quid de exemptis?*

Respond. Lucrari dictas Indulgentias, quia indulta non lædunt, sed fauent, non impediunt, sed dulciter suffragantur. Ita sentiunt Ludou. *d. loco num.* 63. & Palud. quos sequitur Bonac. *d. l. p.* 3. *num.* 15. Meliùs: quia exempti numquam à gratiosa, sed odiosa, & pœnali Iuriditione eximuntur, quia nullus prætendit indultum in perniciem, sed in fauorem, aliàs illud esset pœnale, & non fauorabile.

5 *Sed quas temporales Indulgentias concedere possit?*

Resp. Vnius Anni in consecratione Ecclesiarum, vt dicam fusiùs *v. consecrare Pot.* 116. *& P. post. v. Concedere benedictionem Ecclesiarũ* supradictas, Præter alias concedere non valet, sed seruare præscriptum *ex Gloss. in cap. cum ex eo de Pænit.* vt notauit Vgol. *de Potest. Episcopi cap.* 41. *num.* 1. & Bonac. *d. l. num.* 2. Alii addunt quadraginta dierum in Anniuersario Dedicationis; sed quia de hoc numero suprà dictum est: ideò vltrà metam in hac Potestate præscriptam ampliùs nequit de iure ordinario. Si qui verò Episcopi habent à Sede Apostolica concedere plenarias infirmis, cum

Digitized by Google

cum assistentia personali, vel delegando Sacerdoti supplenti vices suas de nocte. Dicam Pot. 132.

6 *Sed quid, si Episcopus fuerit excommunicatus, vel in mortali?*

Respond. Quia excommunicatus caret vsu iurisditionis, per consequens, nec dictas indulgentias in eo fundatas elargiri posset; validas autem reputarem, si censuram occultam, & telleratam haberet. In mortali autem existens, validè vteretur potestate præfata, quia peccatum .m. iurisdictionis vsum non tollit. Apud Henriq. *in Summ. d. loco. cap.* 32. §. 4.

De Episcopo concedente Cappellanis, & Confessarijs ingressũ ad Monasteria Sãtimonialium pro ministrandis Sacramẽtis, Alijsq; necessitatibus Corporalibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere licentiam Cappellanis, & Confessarijs Monasteriorum, ingrediẽdi in illis, ad spirituales necessitates.*

2 *Sed quid de alijs necessitatibus, & minutijs Corporalibus?*

Potestas LXVI.

1 POtest Episcopus concedere Cappellanis, & Confessariis Monasteriorum licentiam ingrediendi in illis pro administratione Sacramentorum, ex Trid. *sess.* 25. *de Regul. & Mon. cap.* 5. sic: *Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine* Episcopi, *vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub Excomm. pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs, neque vllus alius vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.* In quo Apertè apparet Prohibitus ingressus cum innouatione Constit. Bonif. 8. *Periculoso*, sub Excõ: quam alii defendunt non reseruatã Papæ. Gauant. *Enchir. v. Monial. clausi. num.* 27. Probatur insuper Greg. 13. Incipit: *Dubijs, quæ emergunt* 23. *Decẽb.* 1581. sic habet: *Declaramus: Prælatos omnes, tam Sæculares, quàm Regulares, quibus cura, &* Regimen *Monasteriorum Monialium, quouis modo incumbit facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ità demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, etiam à paucis ijsdem senioribus, ac Religiosis personis comitatis.* De qua Const. Bonac. *de Clausi. p.* 4. *p.* 1 *num.* 8. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 16. *nu.* 23. Et ipse Innui. *Potest.* 220. ex quibus insurgunt fundamenta positæ Potestatis. In reb⁹ etiã necessariis pro humanæ vitæ spiritualis, & Tẽporalis tuitione, nam vnà cum Ecclesiastica disciplina, seruari debent incolumes naturæ leges in administratione pro Animarum, corporumque salute, in rebus occurri solitis, & in dies obuiam uenientibus, Pro moderamine ingressus dictis in rebus. 1. licentiam impertiendam,

In

in scriptis, nisi periculum sit in mora, & tūc oretenùs sufficeret, vel si ingrederetur vnà cū Epo. Bonac. *d. p. 3. n. 1* (Frāciscano excepto, ex cap. 11. Regul.) 2. Ingresso Cōfessario, pro audiendis confessionibus infirmarum accedere non valentium ad sedem confessionalem, vel administrandam S. Extremauntionem, non debet pernoctare; etiam prætextu adiuuandi Animas in Agone, Neque diuagare ad aliam partem Monasterii, etiam occasione visitandi alias infirmas. 3. Nec potest ingredi ad aspergendam domum in Sabato Sancto, vel altero die; neq; ad sepelliēdū, aut funerādū. 4. Neq; vt comitetur Medicos, vel operarios, ex variis decis. Sacr. Congreg. apud Gauant. Echirid. *v. Monial. Clausura à num. 28.* Moniales autem præsumentes introducere alienos absq; licentia subiiciuntur pœnis excom. refer. aliisque à Gregor. cit. per quem tribus mensibus carcerari debent, singulis sextis feriis pane, & aqua tantùm vesci, & ad annum velo priuari; eamdem luent pœnam Præfectā, & Assistentes totales. Vide Bonac. *d. l. p. 4. num. 16.*

2 *Sed quid de aliis necessitatibus, & minutiis corporalibus?*

Respond. Alteram partem pro necessitatibus corporeis, pro adimplenda mente Concilii. Sic explicant DD. apud Miranda *Man. Prælat. tom. 2. q. 2. ar. 18. concl. 1.* & Primò licentiam impertiendam Medicis, immò non vni, sed multis pro Collegio. Tambur. *de Iure Abbatiss. disp. 24. q. 6. à num. 1.* Nec refert, Medicos non esse Doctores; quia Doctoratus non facit Medicos, sed sufficit esse peritos, Siluester *v. Medicus*. Absque tamen Practico ingreditur Medicus, sed non absque seniorum comitatu de familia Monasterii. De muliere autem Medica, dicam fusiùs *P. post. Imp. 32. num. 2.*

Pro operibus autem, quibus satisfacere non valeret Sexus fæmineus, poterit Episcopus Abbatissę generalem in scriptis quandam licentiam impertiri, vt Fabris, Episcopo benè visis, puta Fabricatoribus, Lignariis, Molitoribus, Arborum Putatoribus, & similibus, quando opus fuerit pateat ingressus, decore, quo decet famulabus Dei, comitatu Assistricium, vel discretarū. Quæ licentia singulis, quibuscunque trimestribus, vel aliàs renouari debet. ex S. Cong. 28. Mar. 1588. de qua Tamb. *de Iure Abb. dup. 23. q. 6. num. 7.*



De Episcopo concedente licentiam quæstuandi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere licentiam quæstuandi in sua Diœcesi.*

2 *Sed quid de Regularibus Mendicantibus?*

Potestas LXVII.

1 POtest Episcopus concedere licentiam quæritandi. Ita Franciscus de leo *in Thesauro fori Ecclesiast. p. 4. cap. 2. num. 146.* Zeroll. *in praxi Episcopi p. 1. v. Quæstores.* Bonac. *de Cens. extrà bull. Cœnæ Domini, disp. 2. q. 3. p. 30. à num. 10.* & Alii apud eosdem

Omnes vigore Trid. *sess.* 21. *de Ref. cap.* 9. vbi rigorosè statuit vsque ad nomen aboleri quæstores. *ex Cap. Tuarum de Priuileg. & cap. de eo de pœnit. & Remiss.* Illos videlicet: quibus ex dictis capitibus concessum erat munus prædicationis, & publicationis Indulgentiarum, ad Eleemosynas colligendas: quorum abusum adeò excreuit, vsque ad scandalum, & hæresim gignendam. Ad erandicandas igitur de græmio Ecclesiæ olera maligna, in ore hominum posita de Ecclesia malignãtium; Placuit S. Synodo pænitùs aboleri, & ampliùs non quæstores, sed Collectores Eleemosynarum, seruatis seruandis, vocari permisit; absque concione, Indulgentiarum publicatione, & Campanarum pulsatione; qui modestè, quod liberaliter offertur, accipiant, & ita est facultas Trid. in nostra positione recensita. Apud DD. citatos, qui aduertunt dictam facultatem, non esse de numero indelegabilium: obtinentes igitur illam, vel ab Episcopo, vel à S. Apostolica, Eleemosynas in pios vsus conuertere opus eit, & non ad garrulas, vel ad profana, eitque quod prohibuit S. Synodus suo dicto decreto, nè fideles de Cęlesti Eleemosynarum thesauro priuentur. Confirmatur ex const. *B.* Pii 5. incipit: *Et si Dominici. sexto idus Febr.* 1567. & Alia 4. *nonas Iun.* 1570. incipit: *Quamplenum,* vbi prohibentur publicari Indulgētiæ, & Confessionalia ad Quæstum. Quapropter neque Regulares excępti possunt Indulgentias publicare in eorum Ecclesiis, absque proprii Ordinarii licentia, sub pœna contrafacientibus; quod possint carceribus mancipari, vel censuris ab Ordinariis plecti. Apud Nouar. *In lucerna Regul. v. quæstuarii. num.* 2. Igitur vndequaque omnibus, & singulis interdictum est quæstuandi munus antiquum; & limitatè cōcessum ex Trid. in fauorem Ecclesiæ, dempto nomine quæstuandi, & admisso colligendi Eleemosynas ad extinguenda hominum peccata, dicente: Ecclesia Dom. 1. Quadr. *Sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna extinguit peccatum.*

Personæ autem, quibus conceduntur litteræ collectionum Sacræ Eleemosynæ, debent esse modestæ, honestæ, probatæque vitæ, vt moribus, & vita infringant pernicies personarum antiquarum, quarum deprauati mores, & inhonesti occasionem dederunt hæreticis mordendi, & dicendi, idcircò licentiatos ab Ordinariis, bonis moribus, & exemplo restaurare oportet, quod ab aliis fuit deperditum.

Vsus verò, in cuius fauorem Episcopus ritè concedit facultatem quæstuandi; debet esse piùs, hoc est pro piis locis, Ecclesiis, Hospitalibus, Altaribus, pro miserabilibus personis, vel operibus, neutiquam autem profanis. Quamobrem piè quærentes à liberè dantibus, & sine vlla violentia, & extorsione accipere debent.

2 *Sed quid de Regularibus Mendicantibus?*

Respond. Remotis prohibitionibus prędicandi, Indulgentias concedendi, confessionalia, & facultates reseruatorum elargiendi; ob quę suspensiones factę sunt *à Trid. d. l.* etiam in Mendicantibus. In reliquis non comprehenduntur dicti Mendicantes, vbi sunt eorum Conuentus; quia hoc est eorum munus, & vita, se alere de aliorum Eleemosynis, petendo ostiatim omnia ad vitę sustentationem necessaria. Extrà verò eorum Conuentus, & in locis, vbi non habent domos, de licentia suorum Superiorum, Epis-

co-

Digitized by Google

copo ostensa, possunt quæstuare; nec possunt prohiberi ab Episcopo: prout decisum fuit in casu dubii *à S. Congregat.* 1621. subscribente Vbaldo Card. Fagnan. Secret. *S.* Congr. *&* 25. *Aug.* 1635. Lantusca *in Theatro v. Quaritare* qđ procedit etiam antequam Parochus primitias colligat. Expungendus ergo Laurentius de Franch. *in suis controuers. De Vicario Generali Neapol.* impediente quibusdam Mendicantibus quæstum, eo quod in eorum Cōuentu pauci Religiosi erant, & mittebant quæstores in Ciuitate, de quo certior factus Vicarius in Vrbe Roma, ordinauit Vicario Neapolit. quòd procederet cum benignitate, & absque rumore; igitur non fuit prohibitum. refert Barbos. *de Episcopo Alleg.* 109. *d. l. num.* 7. Contrà impedientes Mēdicantes petitionem Eleemosynarum stat Bulla Sixti 4. *In Bullar. Sacr. Prædicatorum, & Minorum Ordin.*



De Episcopo concedente Monitoria ante litem, pro rebus perditis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere Monitoria ante litem inceptam, pro rebus perditis.*

2 *Sed quid de sententia lata, absq; præmissis monitorijs?*

3 *Sed, an teneantur omnes ad denunciandum, vi monitoriorum?*

Potestas LXVIII.

1 POtest Episcopus concedere Monitoria ante litem inceptam, pro rebus perditis. Ita *cum Sayr. de Cens. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 26. Dian. *de excommunicat. res.* 18. & Aliis, quos ipsi referunt, adducentes: monitoria esse de essentialibus iuris; ita quod sententia illa, ad quā Monitoria nō præcederēt, diceretur nulla ex Iuris ordine non seruato. Quare ad sententiam ferendam excommunicationis pro rebus perditis, (de quibus dixi *Potest.* 63.) præire debēt monitoria, iuxtà præscriptum *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 3. Atque sub pœna nullitatis actus; docet Bordonius *controu.* 12. *à n.* 17.

Confirmatur hucusque dictum. sententia definitiua excommunicationis pro rebus perditis, pendente lite, vel ante ipsam, ferenda est in contumaciam, in resipiscentiam, & propter reorum inobedientiā, quorum contumacia voluntaria probatur per monitiones Iudicis, cui fures obedire renuunt, in sua duritia persistentes. Igitur necessaria sunt, & concedenda, à quo fertur sententia. Adeò aperta sunt verba Tridētini, quòd de his non est ambigendum; in sequentibus autem clariùs.

2 *Sed quid de sententia lata, absq; præmissis monitorijs?*

Respond. Esse iniustam, ex animo, causa, & iuris ordine non seruato; ideò delinquit Iudex prætermittendo monitoria ante sententiam, & Reus appellare potest. *Nicol. Garzia in add. ad Tract. de Benef. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 587. ait Trident. non annullare sententiam declaratoriam, sed tantùm modum prēstat tenendum de iure communi in monitoriis, vimque facit in nullitate actus, quando excōmunicatio fer-

Digitized by Google

retur ab alio non Episcopo, his verbis: *à Nemine prorsùs*. Quapropter tenet Sententiam non esse nullam. Placeat autẽ beneuolo legẽti sensũ huius doctrinæ, quæ loquitur de præmittendis ad monitoria; puta de interrogatione testium cum Iuramento, examine scripturarum, & aliis de iure faciendis; ideò docet, his prætermissis, concessionem monitoriorum non subiicere nullitati actus. Legatur attentè Barbosa *de Episcopo Alleg.* 106. *à num.* 38. Cõsulat Episcopus formam traditam à Trid. non esse impune positam, neque pro non apposita teneri, neque irrisoriam, sed saluriferam, & in fauorem legis, ideò seruanda, & non spernenda.

3 *Sed num teneantur omnes ad denunciandum vi monitoriorum?*

Respond. Sequentes non teneri.

1 Detinẽtes rem alienam. Ratio, quia nullus se patefacere tenetur, de iure naturæ, cum nõ monitoria diriguntur ad ipsos, sed contra scientes, & non reuelantes. Genuens. *in Praxi Neap. cap.* 2. *num.* 1. Apud Bonac. *varij tract.* 6. *p.* 1. §. 6. *nu.* 3.

2 Neque scientes Reũ impotentem omninò, vel commodè soluere. Homob. *de Examine Eccles. tr.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 13.

3 Neque scientes quẽ detinere rem iusta detentione, vel in compensationem. Eman. Rodr. *in Sũm. p.* 1. *cap.* 79. *num.* 11. & aduertit Bonac. *d. l. num.* 25. cum Nauar. quia si fortè talis peccauerit accipiendo non tamen retinendo, & cõtrà iustos detentores non diriguntur monitoria.

4 Neq; habentes scripturam aliquã exibere tenentur, vi monitoriorum, quando de tali exibitione maximũ paterẽtur damnum. Henriq. *in Sũm. lib.* 13. *de excom. cap.* 18. §. 2. & Mechado *lib.* 1. *p.* 3. *tom.* 3. cum Homob. *q.* 19. *r.* 3. *in fine* extendunt, vel apud se, aut sanguine propinquos.

5 Neque scientes Reũ vnico teste denunciari. Escobar. *select. tract.* 2. *p.* 2. *q.* 3. §. 6. Bonac. *ibid. p.* 1. §. 1. Ratio, quia vnus testis non probat, at non probare, est nil dicere.

6 Neque iure prohibiti testificare tenẽtur denunciare. Puta Patres contra Filios, Vxores contra Maritos, & è contrà. Auila *de Cens. p.* 2. *cap.* 5. *disp.* 5. *dub.* 2. & procedit de filiis naturalibus, spuriis, & incestuosis. Mascar. *consul.* 148. Secùs de Spiritualibus. Genuens. *d. l. cap.* 2. *num.* 3. In crimine verò hęresis adhùc filius tenetur Patrem hæreticum denunciare, nè serpiat hęresis cancer. Auila, & Alii apud Bonac. *d. l. p.* 1. §. 7. *num.* 6. quod extenditur ad omnes inhabiles, & infames, qui saltem faciunt in probatione presumptionẽ. Apud Farinac. *p.* 2. *q.* 62. *num.* 274.

7 Neque scientes Reũ sub sigillo naturali, nisi graue damnum imminèret Reipublicè: puta homicidia, latrocinia, falsificationes monetarum, grauesque machinationes. Nauar. *in Man. cap.* 18. *num.* 12. Solon. 12. *q.* 71. *ar.* 3. *q. vl.* cum Bonac. *d. l.* & fortiùs scientes sub sigillo Sacramentali *Gloss.* 2. *c. Sacerdos. dist.* 8. Neque Medici, & alii circa ipsum Reum, vel ipsius Procuratores, quia hi sunt fideles, & publici administratores. Graff. *in decis. aureis lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 23.

8 Neque scientes tãquam ab aliis acceptum, quia his nulla fides ob periculum leuitatis, cum graui dãno Rei. Eman. *d. loco p.* 1. *cap.* 79. *num.* 7.

9 Neque audientes delictum fuisse denunciatum. Graff. *d. loco lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 3. quia iam eo factus

est

est certus Iudex.

10 Neque quis tenetur denunciare, fraterna correctione non præmissa. Nauar. *de iust. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 247. Excipe casum hæresis, vel Sollicitationis in confessione.ex Nouis. *const. Alex.* 7. incipit: *Licet aliàs*, 8. *Iulij* 1660. sic: *Etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri ad denunciandum.* Ratio, quia DD. Inquisitores maximis circumspectione, iudicio, & examine procedunt. Suntque Mundi Confessarii, & Angeli orbis, Animarũ Medici, ideò cautè sancitũ, qđ faciendũ à scientibus, fieri iussum est à Iudicibus, qui non citò condemnant, sed arguunt, non confundunt, sed ad emendam vocant: quod legi Diuinę *Matth.* 18. nõ aduersatur, sed iuxtà eam, iure translato ad Iudices.

11 Neque sciẽtes probabiliter ex tali denunciatione sibi accidere inimicitiam grauem, & capitalem. Ratio, quia nemo cum damno proprio, alterius damnum eruere debet. Nauarr. Graff. Ecobar. *tom.* 2. *q.* 3. §. 7. *num.* 4.

12 Neq; degentes extra territoritorium Episcopi excommunicationem emittentis. Henriq. *cap.* 18. §. 4.

13 Neque Monachi, aut Fratres denunciare tenentur, quia exempti à contemptiosa iurisd. Ordinariorum. Ita Vulp. *cap.* 2. *num.* 14.

14 Neque retinentes rem tamquã Creditores, quia monitoria sunt contrà mala fide retinentes; ideò non obligant iusto titulo retinere scientes. Comital. *resp. moral. lib.* 3. *quest.* 93. cum Dian. *p.* 1. *tom.* 5. *res.* 1.

15 Neque retinentes per iustam præscriptionem, vel vsucaptionem, quia pro his est iusta detentio Nauar. *consil.* 33. *num.* 8. Auila *de Cens. p.* 1. *disp.* 5. *dub.* 1.

16 Neque Ementes bona à latronibus. Nauar. *in Man. cap.* 17. *nu.* 12. Bonac. *de Contract. disp.* 1. *de Restit. q.* 4. *p.* 2.

17 Neque Accipientes rem suam ab aliis, absq; scandalo, eo quia via iudiciaria succurri non potuerint. Viui. *decis.* 215. *num.* 45. Gutt. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 67.

Hi omnes quos operæ prætium duxi recensere non tenentur vi momonitoriorum pro rebus perditis ad denunciandum. Aliique non desunt casus occurrentes clarè, vel dubiè, quibus prudens Iudex, & Confessarius rei veritate perpensa posset inniti rationi, iuxtaque eam decidere, vel consulere casus. Adiicere tandem visum fuit pro illis, qui denunciare tenentur intra tempus determinatum, quo elapso, per ignorãtiam alioue; adhuc tenet obligatio, quæ non finit cum termino, cum terminus non ad finiendam obligationem apponitur, sed ad sollicitãdam. Ita sentière Nauar. Eman. & alii apud Dian. *Resol. moral. tract.* 5. *r.* 95.

De Episcopo concedente licẽtiam alteri dotatæ ingredi Monasterium supranumerum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere licentiam alteri dotata ingredi Monasterium supranumerum.*

2 *Sed cum numerus possit augeri, cur*

cur debet ab Ordinarijs praefigi?
3 *Sed, an dotes Monialium non applicatae possint negotiari?*

Potestas LXIX.

1 POtest Episcopus concedere alteri dotatae licentiam ingredi Monasterium ad monachandum supra numerum, Iusta tamen interposita causa. Ita defendit cum quãpluribus Sanchez *in Praeceptis Decal. lib. 7. cap. 23. à num. 1. ad 6.* Sanè enim haec doctrina Sanchez resoluit contradictionem ab antiquo habitam *ex cap. vn. de statu Relig. in. 6.* in quo habetur · Puellã recipi non posse supranumerum, cum Clausula (quod Professio aliàs esset nulla) Quod pariter decretum fuit à Trid. *sess. 25. de Reg. & Mon. cap. 3. In praedictis autem Monasterijs, & domibus, tàm virorum, quã Mulierum, bona immobilia possidẽtibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum constituetur, qui vel ex redditibus proprijs Monasteriorũ, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Cui successerunt plures Summ. Pontificum dispositiones Clem. 8. incipit: *Nullus omninò 25. Iul.* 1599. Vrb. 8. *de celeb. Miss. 21. Iulij 1625.* At quia ea omnia pluribus in partibus in dissuetudinem obierant, fuit enixè per Sacr. Congregat. prouisum, suo decreto *6. Sept.* 1604. Cuius tenor habetur apud Barbos. *de Epis. Alleg. 98. n. 4. & in Summ. Apost. decis. v. Montales superenumeriae:* vbi sic: 1. Superenumeraria non recipiatur, nisi de licentia Sacr. Cong. 2. Quod duplicatam afferat dotem, & 3. quod non subrogatur in locum decedentium intrà numerum. Cuius obseruantiam sub mortali obligat, poenisque ibi adiectis. Totum hoc, nè grauaretur Monasterium, supra vires, sed ex equo respõdeat numerus Monialium cum numero redditũum, aut solitarum Eleemosynarum. Ait Sanchez *d. l. num. 4.* Hodiè decretum hoc etiam consuetudine abrogatum esse; tum compertum sit, plures admitti, nec vnquam nostris temporibus audit um fuisse in controuersiam verti valorem professionis, nè dum illam irritari, & *num. 6.* iustam ait causam esse: Nè Monasteria sufficienti Religiosorum numero destituta corruant, neuè data Senium pluritate, Religionis candor, & institutum tepescat, si alii non admitterẽtur ante seniorum mortem; data igitur necessitate, iuncta cum consuetudine faciunt sufficientem causam excusatiuam, non quidem abrogatiuam decreti supradicti, sed rigoris temperatiuam, vel explicatiuam. Haec Sanchez per totum.

Tu verò adde constitutiones, inhibitiones, & prohibitiones praefatas factas esse, nè ex receptione superenumerariae minueretur aes numero Monialium aptatum ad earum commodam substentationem; prout ex Sacr. Cõgregatione apud Gruant. *in Echir. v. Mon. Alim. à num. 5.* refert Lezan. *in Summ. v. Dos Monialium num. 4.* prouisum est: Dotes Monialium bonis stabilibus, seù censibus implicari debẽt, vt annuos afferãt fructus ad earum sustentationem. Ex quo per receptionem superenumerariae cum dote, non minuitur, nec pauperius redditur Monasterium sed potiùs augetur. Ita quod si crescit numerus crescunt cum ipso pariter vires Monasterii; accedente igitur cõsensu Monialium, datoque augmento redituum praefatisque causis adiunctis pariter erit consequens sequi dicta po-

posita Potestas in Episcopo. Cui ex iniuncto Trid. illis verbis: *Constituatur, & in posterum constituetur.* In dicta receptione denuò fas erit determinare, vel constituere numerum ad equalitatem redituum. Ita quod crescēte numero reddituum, cum illo concrescit Monialium numerus, ad Monasterii capacitatem, estque sensus positæ potestatis cum Sanchez.

2 *Sed cum numerus possit augeri, cur debet ab Ordinarijs præfigi?*

Respond. Numerum determinatum, & præfixum referri ad mensuram stantem, & taxatam redditum ab initio factam ab Episcopis, ad fugiendam de medio confusionem, fortè oriundam ex receptione Monialium supra vires reddituum, iuxtà quod debet ex S. *Congregat. citata*, determinari numerus Monialium ad æqualitaté reddituum; quo sensu est interdictus ingressus alterius superenumeralis. Augmentum autem refertur ad dotem auctam, & ita crescente dote, ad eius mensuram concrescit quantitas discreta Monialium, iuxtà capacitatem Monasterii, sicut crescente causa, crescit eius effectus, & est sensus nostræ positionis. Apud Doctores citatos, cum Sanchez.

3 *Sed an dotes Monialium non applicatæ possint negotiari?*

Respondet Lesius, per se, negatiuè, per alium verò non esse interdictum, quia omnes prohibitiones cadunt in per se *ex cap. consequent dist.* 88. Pellizzar. *tom.* 4. *de Negot.* Laiman, & alii relati à Dian. P. 1. *tract.* 8. *r.* 72.

De Episcopo concedente, Puellas educādas ingredi Monasteria suprà numerum præfixum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere;* Puel*las educandas ingredi Monasteria* Mo*nialium supra numerum.*

2 *Sed, an indifferenter omnes puellæ possint ingredi?*

Potestas LXX.

1 POtest Episcopus concedere Puellas educandas ingredi Monasteria Moniliū supranumerum. Hanc Potestatem docet rerum omnium Magistra praxis, & consuetudo, ritè introducta ad educationem Puellarum, nec nullo prohibetur iure, etenim prohibitiones factæ (*de quibus Potest. antecedenti*) vim præcipuè habent contra Monachandas, quam educandas: prout decisum videtur à Sacr. Congregat. apud *Quarant. v. Monialium*, pro Episcopo Hyeracēli 1604. Quapropter Educationis gratia viuunt, non tamquam de Corpore, & familia Monasterii, sed sumptibus propriis aluntur, recipientes, dumtaxat educationem de regimine, & praxi Magistrarū, atq; virtutes ex conuersationibus Religiosis, disciplinam regularem amplectentes, vt virtuosè extructę, eligant quam viam tenère voluerint. Illic enim occlusæ, doctrinam Christianam, modum orandi mente, & voce psallere, pingere, sonare, & alia ad ornatum Animæ, & Corporis edocent; enim verò disciplina iuuenibus necessaria, vt senes factæ, alios instru-

ſtruant, hoc præ oculis; ideò enim cõſuetudinaliter Epiſcopus dictam facultatem exercere poteſt; vt par erit Monaſterio. Nec dicas: Puellas excommunicari per ingreſſum huiuſmodi, prout mihi ineptè reſponſum fuit, quia non criminosè, ſed de legitima facultate ingrediuntur, educationis gratia. Neque iterum dicas: bonum non eſſe Seculares Monialibus miſceri; quia nil eo meliùs decorumque erit: Puellas educari monaſticis, Religioſiſque moribus, quos à Secularibus addiſci non poſſunt. Status enim huiuſmodi eſt à Deo, & Eccleſia volitus, dicente: Pſalmiſta: *cum Sancto ſanctus eris, cum peruerſo, peruerteris.*

2 *Sed, an omnes Puellæ indifferenter poſſint ingredi?*

Reſpond. Niſi ſeruatis conditionibus Monaſterii, & Puellarum; prout conſiderationi, & maturitati Epiſcoporum, ſeù Prælatorum congruum videbitur. Quapropter conſiderare oportet: Puellas debere eſſe ſaltem 7. Annorum, & non vltrà 25. Zeroll. *in Praxi Epiſcoporum*; Sanas corpore, & mente, de honeſtis, parentibus ortas: aptaſque ad bonos addiſcendos mores. Itidem Monaſterii Capacitatem, & vota Monialium; vt videatur Monaſterium paratum, eas recipere. Quibus omnibus præmiſſis, Epiſcopus facultatem elargiri poteſt; vt Puella cum habitu Virginali, decoro correſpõdenti, & virginali modeſtiæ decenti poſſit ingredi: Ingreſſa autem ſeruare tenetur vnà cum aliis Clauſuram, quòd ſi ſecùs fecerit reuertendi ſpe carebit: *ex Sacr. Congregat. ibid.* Lege Barboſ. *de Epiſcopo Allegat.* 102. Num autẽ clàm egreſſa incidat in excommunicatione, ut de Nouitiis docet Bonac. *de Clauſ. q. 1. p. 2. n. 3.*

De Epiſcopo concedente licentiam Nouitiis diſponendi de ſuis temporalibus, infrà duos menſes ante profeſſionem.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt concedere licentiam Nouitijs diſponendi de ſuis tẽporalibus, intrà duos menſes ante profeſſionem.*

2 *Sed quid de vigore dictæ diſpoſitionis?*

3 *Sed quid de validitate donationis factæ abſque licentia Epiſcopi?*

4 *Sed quid de nullitate donationis?*

Poteſtas LXXI.

1 Poteſt Epiſcopus concedere licentiam Nouitiis diſponendi de ſuis temporalibus, intrà duos menſes ante Profeſſionem. Ita ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de Regul. c. 16.* vbi ſic: *Nulla renunciatio valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij, fiat intra duos mẽſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri niſi ſequuta profeſſione: aliter facta etiam iurata ſit irrita, & nullius effectus.* Qua ſuaui grauique diſpoſitione excluduntur fraudes, preces, & metus Nouitii, volentis liberè renunciare, & profiteri. Preuenitur licentia Epiſcopi, (quem intelligas, etiam ſolum confirmati, & non dum conſecrati) vel eius Vicarii, vi ſolius electionis ad Vicariatum, vel Capituli S. V. per eius Vicarium, qui ſuccedit in iuriſdictione ordinaria, quæ adhùc eſt delegabilis. Sanch. in *Præcept. decal.*

tom.

Digitized by Google

tom. 2. lib. 7. cap. 5. à num. 69. Intra duos menses, ex quo satis erit fieri toto illo bimestri ante legitimum tempus Professionis, etiam per diem ante finitum tempus. Quāuis quacunque causa differatur Professio. *Ita* decisum apud Armendariz: refert Barbos. *de Episcopo Alleg. 98. num.* 11. Pariter si Nouitius (stante Pontificia dispensatione) voluisset profiteri nono mense nouitiatus, debet renunciationem facere non bimestri ante; sed eadem die, vel pręcedēti, *ibid.* renūciatio autē facta suum effectum sortitur professione emissa, quod si moreretur Nouitius ante illam, corrùere docet Sanch. *d. num.* 48. Quid autem de testamento, & codicillis factis in Religionis ingressu? sunt magna dissidia inter Guttier. & Spina, citati à Barbos. cui placuit sententia, quod valèrent, propter libertatem Nouitii: (quā intelligo veram) ad seruandā Concilii solemnitatem. Quod Nouitius in illo bimestri de licentia Episcopi ratam haberet dispositiones āte ingressū factas, quia sicut in bimestri poterat reuocare, ita confirmare, modo tamen, quod fraus, vel dolus parentum, vel aliorum non intercedat; quod maximè vitare intendit Concilium. Et valet etiā ꝓ profitendis ad 20. annum, prout in receptione Nouitiorum Laicorum in nostra Religione, quia Concilii forma non variatur ex annis. Estò magis commune sit professionem esse pro viris, & mulieribus ad 16. annum.

2 *Sed quid de vigore dictæ dispositionis?*

Respond. Rodriq. *quæst. Reg. to. 2. q.* 47. Sanchez. *d. l.* Conciliarem hanc solemnitatem, de licentia petenda, aliquibus in Religionibus, vel Diœcesibus per dissuetudinem obiisse, tu verò cogita legitimam consuetudinem, si quæ habet vires contra decretum Trid. quod euenire potest, vel per longinquam diuturnitatem, vel per incuriam Episcoporum, parum curantium de tali licentia. Vel meliùs Regulares vsi sunt tacita licentia, quæ in scriptis non est necessaria.

3 *Sed quid de validitate donationis factæ, absque licentia Episcopi, ex sola præscripta consuetudine?*

Respond. Validam esse donationem, èmissa professione valida, siuè tacita, siuè expressa, tū quia eius valor dependèret à validitate professionis, vbi Nouitius mortuus mundo, Deo viuit. Valèret quoque in casu refactæ professionis, in qua vna cum ea coalescit valida renunciatio bonorum. Apud *Tambur. de Iure Abatiss. disp. 12. num.* 2. denique etiam in casu protractæ professionis vltrà ānum à fine nouitiatus, ex legitima causa, modo tamen Donatio sit facta intra duos menses ante professionem. Sanch. *lib. 7. cap. 5. num.* 82. Cùm quo non reputarem nullam, donationem factam in bimestri post 10. menses nouitiatus, etiam in casu protractæ professionis. Ratio quia Tridentin. supponit, prout aliàs decreuit: professionem fieri immediatè post annum completum nouitiatus ad minus, & non antea, tamen non irritat ex causa legitima protractam post dictum tempus. Vltimo valeret quoque donatio facta vi Testamenti. Ratio quia Concilium non procedit in vltimis voluntatibus, quæ ante professionem quolibet tempore fieri possunt, & reuocari. Apud Lelium. Zech. *de Reip. Eccl. tit. de Regular. cap.* 3. *n.* 10. *Grat. de Vecbis*. & alii, quos citat, & sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg. 99. num. 11. in fine.*

4 *Sed quid de nullitate donationis?*

Resp. Donationem inualidari, ex nullitate professionis. Vel eo quia facta ante tempus bimestre, ex claris verbis Concilii suprà. *Aliter facta sit irrita, & nullius effectus.* Vel denique, si post factam donationem sequeretur mors Nouitii ante professionem. Ratio quia professio sequuta validat donationem, sicut testamentum numqam est validum nisi intercedat mors testatoris. *Ita* in morte morali Nouitii. Apud Sanchez *d. l. lib. 7. cap. 5. num.* 48. notat tandem Barbos. *in Summ. Apost. decis. v. Monialis num.* 6. Quod Nouitia in Mortis articulo, etiam de consensu Monast. non potest professionem emittere, vt Monasterium succedat in dote, vel bonis.



De Episcopo concedente, vt Missæ in alia Ecclesia, vel Altari celebrentur. suprà voluntatem donantis Eleemosynam,

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest concedere, vt Missa celebrentur in alia Ecclesia, vel* Altari, *supra voluntatem donantis* Eleemosynam.

2 *Sed quid, si constaret voluntatē donantis* Eleemosynam *fuisse, vt celebrentur Missa in illa Ecclesia cum clausula:* quod non aliàs?

Potestas LXXII.

1 POtest Episcopus concedere, vt Missæ celebrentur ex causa in alia Ecclesia, vel Altari supra voluntatem donantis Eleemosynam. Hanc Potestatē defendunt subscripti Doctores, sic: Si donans *Eleemosynam* predefiniret Ecclesiam, vel Altare, in quibus voluisset Missas celebrari, & illa esset impedimento quodam detenta, accedente licentia Episcopi; poterunt Sacerdotes ritè, & absque scrupulo, vel culpæ grauis incursu celebrare; sicut aliàs incurrerent si absque impedimento, & licentia celebrarent, tamquam non satisfacientes voluntatem Testatoris, seù donantis, quam exactè adimpleri voluerunt SS. Pontifices.

Dixi: quodam impedimēto, siuè *naturali*; puta, si Ecclesia, vel Altaria essent dìruta, seù minus apta. Siuè *morali*, vt si essent polluta, sāguine, vel semine; quibus in casibus fas erit Episcopo licentiam prædictam elargiri, & Sacerdotibus onus impositum satisfacere. Nec dicas: in hoc læsam voluntatem donantis, quia potius aptatam ab Episcopo: ratione incommodi, & impedimenti; secundum verā Epikeiam, quam habet Episcopus à Trident. interpetrandi, seù commutandi voluntatē Testatoris, nè pereat suffragium ab eo relictum; iuxtà dicta *Potest.* 56. Sic Henriquez *in Summ. lib. 7. cap.* 15. *& lib. 9. cap.* 22. *à nu.* 6. Graff. *in decis. aureis* P. 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. apud Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q. vl. p.* 7. §. 4. *n.* 4.

2 *Sed quid si constaret voluntatem donantis Eleemosynam fuisse, vt celebrentur Missæ in aliqua Ecclesia cum clausula.* Quod non aliàs?

Respond. Clausulam illam haberi pro non apposita, quia licentia præstanda ab Episcopo non est absoluta, & voluntaria; sed fundata in causa, & impedimentis præfatis in fauorem, & melioramentum

vo-

voluntatis Donantis. Cui si propositum fuisset impedimentum fortè clausulam non apposuisset; & si apponeret, insanè tamen. Cuius insaniam Episcopus non declarat, sed sanam desũct. mentem in fauorem Animarum, tamquam bonus Pastor, & consiliator, duritiem infringendo suasionibus, vel præsentia, si donans viueret. Vel sua demum authoritate, si mortuus. Nec desunt quidam contradicere dictis, quibus adhærerem tantum in casu præiudicii tertii, puta quando Testator reliquisset 100. missas celebrandas in tali Altari B. M. V. cum clausula *Aliàs legatum commutetur in aliam Ecclesiam*; tunc enim intrat præiudiciũ Tertii. Sicque dato impedimento naturali, vel morali in priori altari non erit liberum Episcopo, cõmutare locum: sed adimplenda omninò esset voluntas donantis; quia clausula *aliàs*. non tribuit facultatem Episcopo; idcircò conciliandà erit opinio contradicentium, cum distinctione prædicta.

De Episcopo concedente Beneficium; antequam Contulisset eius Vicarius.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre beneficium, antequam eius Vicarius contulisset.*

Potestas LXXIII.

1 POtest Episcopus conferre beneficium, antequam eius Vicarius Generalis, (cui commissa fuit facultas) contulisset. Sensum, & probationem huius Potestatis habet Azor. *Instit. Moral. p. 2. lib. 3. cap. 41.* & alii apud ipsum, quorum ratio est ad probandam collationis validitatem, eo casu, quo Episcopus in litteris patentibus sui Vicarii specialiter contulerit potestatem conferẽdi beneficia, tunc collatio Episcopi anterior facta, & Vicarii posterior, valèret illa Episcopi, tum quia Episcopus per delegationem Vicario factam, non abdicauit à se potestatem conferendi beneficia; aliàs delegatio esset contra; & non in auxilium delegantis. Ideò si ambo contulissent, & collatio Episcopi probaretur per testes, vel scripturam anterior facta, cederet illa Vicarii, sicut è contrà, cederet illa Episcopi, tamquam nullitèr. Quapropter si eàdem die ambo contulissent diuersis Clericis; attendenda foret anterioritas horę, & cuius illa erit, valebit: idipsum si collatio fieret eadem hora, vbi posset probari anterioritas. Si denique probari non posset anterioritas; vel probata fuerit simultatio, vel illa erit valida, cuius potiores essent rationes, aut illa Episcopi ratione dignitatis, vt *in sequenti potestate num.* 1. vel meliùs expectanda decisio à Superiori Potestate, cuius erit decidere, & conferre. Neque dicas: probata anterioritate vnius, collationem alterius cadere per priuationem, sed tamquam nulliter factam fuisse. Vltimo probata validitate Vicarii, vt alii docuerunt, poterit Episcopus, ex Causa probata Beneficiarium illo beneficio priuare, & alteri con-

Digitized by Google

ferre, vel eidem, prout antea inuestierat, sed cautè procedendum in hoc. Sequentem potestatem inspicias.



De Episcopo validè conferente beneficium, antequam Papa contulisset.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre validè beneficium in tali die, & hora, estò reperiretur collatum à Papa in solo die.*

2 *Sed in tali prouisione Papæ, facta nè sit derogatio alternatiuæ?*

Potestas LXXIV.

1 Potest Episcopus conferre validè beneficium in tali die, & hora, estò reperiretur collatū à Papa in solo die. Intelligentia huius Potestatis aperienda est in illo casu, & loco, priori potestati consimili, & quando beneficia essent conferenda ab vtraq; Potestate, & iurisdictione, aliàs vis accideret talis casus: Probatur: stante concessione facta à Papa, vt in mensibus alternatiuis, Ordinarii conferant beneficia vacantia, par erit vtrumque posse cōferre, puta Ordinarius per obtentam concessionem, & Papa per supremam iurisdictionem, quia per concessionem factam, à se non abdicauit facultatem conferendi, neq; se prçiudicare poterat in sua authoritate, iuxtà quæ diximus *Potest. antecedenti*; in quo casu, vterq; cōferre potest cum loco præuentionis, quia stat duplex concessor, & collatio anterior erit valida, posterior autem nulla, ratione occupatę collationis. Si verò anterioritas non apparèret; neque probari posset per legitimos testes, tūc Valebit collatio facta à Papa, ob prærogatiuam concedentis. *ex Cap. à Sede Apostolica de prebendis in 6. & c. Dudum §. nos igitur.* In proposito autem, ecce veritas nostræ Positionis: quando in collatione facta ab Ordinario apposita sit dies, & hora: in illa verò Papæ non; tunc illam Ordinarii præualere resoluunt quāplures, cum Gloss. *v. Non apparet* in citatis iuribus, vt notant Rebuff. *de Pacificis possessionibus num. 299.* Ricc. *in Collect. 1595. p. 5. & collect. 144.* Quorum ratio est, quia collatio facta in tali die, & hora est determinata, & definita, quæ præfertur indeterminatæ, & indefinitę, tamquam res vniuersalior minus perfecta, rei particulari, vt homo Petrus est perfectior homini vt sic, ex natura rei. Nec dicas: illam Papæ valère propter iurisdictionem in illo; nam propter concessionem factam, & ius acquisitum in possessione beneficii, iurisditio Papæ amisit vires; res enim facta refieri non potest, nisi dextructa, vt tota Philosophia clamat, id ipsum militat de Episcopo cum eius Vicario in muneribus delegatis.

2 *Sed in tali prouisione Papæ, facta nè sit derogatio alternatiuæ?*

Respond. Negatiuè, tum quia vna cum alternatiua stat possessio dominii præuentiuè, nec iniuria infertur Episcopo, cui satis est; sic concedere, seù conferre, quando Papa non cōcedit. Tū quia Papa non confert Alternatiuam modo sibi contrario,

&

& præiudicatiuo suæ præcellentiæ, suorumque successorum, ideo in concessione alternatiuæ non priuatur iure suo ordinario, ob plenitudinem potestatis, quam habet concessibilem, & delegabilem; ergo nulla derogatio, ita discurrit Garzia *d. loco.*

De Episcopo conferente beneficia curata, etiam reseruata Sede Apostolica vacante.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre beneficia curata etiam reseruata sede Apostolica vacante?*

2 *Sed num omnia beneficia reseruata cadunt vnà cum Morte Pontificis reseruantis?*

3 *Sed vtrum in hac potestate sensus sit de Beneficio* Iuris *Patronatus?*

Potestas LXXV.

1 POtest Episcopus conferre beneficia curata, etiam reseruata, vacante Apostolica sede, iminetque Animarum periculum, ita colligitur *ex cap.* Si *Apostolica* 25. *de prabendis in* 6. Rebuff. *de nominat. q.* 15. *num.* 28. & alii non pauci apud illum. Quorum ratio est, quia tunc vacant Regulæ cancellariæ, vnà cum efficiente. Igitur reseruata redeunt ad ius commune Ordinariorum. Neque Regulæ cancellariæ sunt per modum legis, & statuti, atque adeò durabiles post Mortem Pontificis, sed ab homine, & vnà cum illo spirabiles. Quapropter Sede Apostolica vacante, omnes mẽses sunt Ordinarii de iure communi, vnà cum Beneficiis. Apud Seraf. *decis.* 980. *num.* 12. Qua ratione Gonsal. *ad reg.* 8. *cancell.* §. 5. *proem. num.* 46. asserit: Regulas fieri solere immediatè die sequẽti ad assumptionem noui Pontificis, quod non esset necesse, si dictæ reseruationes fuissent perpetuæ. Immò hæc earum reseruatio non cadit vsque ad electionem Pontificis: sed vsque ad Regularum editiones; ideò per nouam editionem reuiuiscunt roboratæ, & reseruatæ. Ita docuit Gonzal. *d. loco.*

Dixi *ob Animarum periculum.* Ob quod valet etiam si beneficia vacant in Curia, viuo Pontifice, sed ante collationem sedes vacabat. Apud DD. cit. quos sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 57. *num.* 30. Ratio est ipsa periculi imminentia, quę non subsitat legibus reseruatiuis; At securiùs, quando suppleri potest per alium; non est facienda prouisio; sed attendendæ regulæ reseruatiuæ. Nisi dicere velimus: Collationem sede vacua, prouisionem verò sede plena factam ab Ordinario, cui subest Animarum cura immediatè subsistere, si necessitas adesset magna.

2 *Sed num omnia beneficia Reseruata cadunt vnà cum morte Pontificis reseruantis?*

Respond. Negatiuè, sed dumtaxat illa benef. quæ sola vi Regularum Cancellariæ reseruantur. Cogor ideo assignare quædam beneficia perpetuò reseruata, quorum collatio spectat ad Papam; qui si mortuus fuerit, expectandus erit nouus, & sunt quę recenset Aloys.

Ricc.

Ricc. *in praxi fori Ecclesiastici à resolut.* 333. *num.* 2. Notatque Barbos. *de Episcopo Alleg.* 57. *n.* 35.

1 Beneficia vacantia Sede Episcopali vacante, cuiusque sint qualitatis, & conditionis, debent à Romano Pontifice conferri. Ex Bulla B. Pii v. incipit: *Sãctissimus in Christo Pater. an:* 1568.

2 Quando vacant per crimen hæresis ex eodem incipit: *Cum Apostolatus* 6. *Kal. Feb.* 1566. *& Greg.* 13.

3 Quando vacant per Priuationẽ ex const. Paul. 3. incipit: *Sanctissimus const.* 67. *apud* Barb. *d. n.* 39.

4 Si Beneficia fuerint collata personis prohibitis; puta Apostatis à fide, vel Hæreticis; vacant Sedi Apostolicæ ex Const. Greg. 13. incipit: *Ecclesijs ibid. Nou.* 1580.

5 Beneficia recepta in Confidentiam ex Const. 85. Pii. 4. incipit: *Roman. Pontifex.*

6 Beneficia curata, collatã non seruata forma Trid. *sess.* 24. *de Ref. c.* 18. *ex const.* 32. *B. Pij v. in conferen dis.* 1566.

7 Beneficia vacantia ob non resignationem publicam; ex Greg. 13. incipit: *Humano vix* Iudicio. *Nonis Ian.* 1584.

8 Beneficia illorum, qui pro aliis se examini suppofuerunt, vel cum intentione aliis resignandi, vel offerunt pensiones ad illa consequenda. ex const. Pauli 4. incipit: *Inter cæteras.* 27. *Nou.* 1557.

9 Beneficia vacantia pro non deferendo habitum Clericalem. *ex Sixt. v. const.* 92.

10 Beneficia vacantia in Vrbe dumtaxat conferenda à Romano Pontifice, tamquam Episcopo Romano, *ex cap.* Si *quis* 7. *quæst.* 1.

11 Vacantia in Abbatia S. Crucis Camaldulensis, in Diœcesi Augubina. ex Const. Greg. 13. incipit: *Vt Apostolica ann.* 1578.

12 Illa uacãtia Regni Germaniæ Mensibus Ian. Maii, *I*ulii, & septẽbris. *ex const. Nicol. v.*

13 Vacantia ob delictum offendentium litigantes in Romana curia, eorumque Iudices, aduocatos, & procuratores. ex Const. Alex. 6. incipit: I*n eminentia.*

14 Vacantia Ecclesiæ Metropolitanæ Cæsaraguſtanæ mensibus Ian. April. *I*ulii, & Octobris; ut refert Gonzal. G*loss.* 51. *num.* 116. apud quem alia præmulta videre fas est. *Vgol. de Potest. Episcopi. Barbos. d. l.* de quibus omnibus specialiter, & perpetuò reseruatis non est sensus in hac nostra Potestate, sed de solis reseruatis vigore Regularũ Cancellariæ, de quibus latiùs dicã. *Potest.* 254.

3 *Sed vtrum in hac Potestate sensus sit de Beneficio iuris patronatus?*

Respond. Negatiuè, cum sit merè laicale, saltem qoaàd effectum executionis, & reseruationis; quid quid alii dixerunt; esse iuris mixti. Apud Couar. *in pract. cap.* 36. *nu.* 55. Seraf. *decis.* 719. & Alii apud ipsos. De Beneficiis autem conferibilibus in mensibus alternantibus, dicam fusiùs P. *post.* Impot. 109. *lit. H.*

De Episcopo conferente in spatio sex mensium Beneficia vacantia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre in spatio* 6. *mensium beneficia vacantia.*

2. *Sed*

2 *Sed quare prouisio elapsa non deuoluitur de Metropolitano ad Primatem?*

Potestas LXXVI.

1 POtest Episcopus intra terminos *6.* mensium beneficia vacantia in sua Diœcesi cõferre, siuè sint Ecclesiæ Cathed. siuè collegiatæ; *ex Cõst. B. Pij v. in conferendis 1566. & Concilio Later. 4. sub Alex. 3.* In qua agitur de beneficiis, & dignitatibus inferioribus ad Episcopum, siuè prouisio fit facienda per electionem, siuè per collationem; nam de aliis beneficiis superioribus est spatium trium mensium *in cap. Post quam 50. distinct:* Sex igitur menses sunt à die scitæ vacationis, & elapso semestri collatio deuoluitur ad superiorem. *Ita ex cap. Omnes Basilicæ, 16. q. 4.* vbi tributa fuit Potestas Episcopo conferendi omnia beneficia inferiora, propter assistentiam iuris, & intentionem fũdatam; *ex cap. Nullam de Concess. prœbend.* notant multi apud Filiucc. *tract. 41. de Beneficijs cap. 2. num. 24. &* Rebuff. *tract. de deuolutione num. 4.* & alii relati à Barbos. *de Episcopo Alleg. 58. à num. 2.* Quod etiam procedit de Beneficiis Parochialibus, vbi post assignatum Vicarium idoneum à die notæ vacationis; tenetur intra eundem spatium semestre, beneficia conferre; quando verò collatio spectaret ad Papam, debet Episcopus intra 4. menses personam magis idoneam prœuio concursu eligere, & electam significare. Vigore Trid. *sess. 24. c. 18. & Const. B. Pij v. supra 1. Aprilis.* Ex quibus iuribus constat modus expressus temporisque spatium, quo potest, & tenetur Episcopus eligere Rectores, & Beneficiarios. Nec dicas cum quibusdam: semestre incipere à die vacationis; nisi sensus sit à die notæ, vt aduertit Garzia *d. l. num. 22.* & habet vim hæc explicatio in quatrimestre, pro beneficiis Papæ reseruatis. Propter eandem rationem, nec faciliùs admittitur excusatio Ordinariorum per ignorantiam beneficiorum vacantium; quoniam tenentur singulis annis visitare Diœcesim ex iure antiquo. *Cap. Ordinarius de officio ordinationis in 6. & Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3.* Dictumque semestre assignatum est. Tum ad probandã Personam capacem per informationem vitæ, & sufficientiam litteraturæ, presertim in beneficiis curatis. Tum ad dandum locum multitudini negotiorum in curia Episcopali vndèquaque cõfluentium. Tum denique pro concursu, in quo eligi debet melior ad substinenda beneficii onera; si verò intra dictum tempus beneficium non fuerit collatũ; fit deuolutio ad Metropolitãm. *ex cap. licet de supplen. neglig. Prælatorum. & cap. 2. de concess. prœbẽd.* Idipsum dico de Prælatis Cardinalibus; quibus ex indulto competeret conferre beneficia; quorum semestri negligentia probata; prouisio facienda deuoluitur ad Papã, vt notat Puteus *decis. 295 lib. 3.* afferens Rotam in Laodiens. pro Canonicatu S. Dionisii 23. *Martij, & 3. Iulij 1613.* coram Decano Reuer. Coccino; refert Barbos. *d. l. num. 11.*

2 *Sed quare Prouisio elapsa non deuoluitur de Metropolitano ad Primatem?*

Resp. Sic debere fieri ex cit. iurib[9] de Metropolitano, ad Primatem, & ad Patriarcham, quando darentur hi gradus de facili, ob difficultatem autem obtinuit consuetudo, deuolutionem de Metropolita ad Papam

pam fieri, cum omnibus suis requisitis; vt docuit Gonzal. §. 3. *Proem. num.* 5. Quantum autem spectat ad nostram positionem, probato primo semestri negligentiæ in Episcopo, prouisio non iure præuentionis; sed deuolutionis ex d. Cōst. B. Pii v. attinet ad Papā. Nota tamen quod si prouisio facta fuisset post incursā deuolutionē die immediatè sequenti ab Episcopo, esset inualida; quia in iure non suo, sed alieno, & deuoluto, vt aduertit Barbos. *d. loco nu:* 12. *in fine*. Tu verò inspice melius *P. post.* Impot. 40. Quibus autem modis vacant beneficia? videto *Potest.* 254. & *Potest. antecedenti.*



De Episcopo validè cōferente Beneficium Digno; prætermisso digniori.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre beneficiū digno validè, digniori prætermisso.*

2 *Sed à quo desumenda dignitas, & maior dignitas?*

Potestas LXXVII.

1 Potest Episcopus conferre validè beneficiū digno, digniori prætermisso; sed non absque culpa. Cuius sensus est, quia & si Episcopus tenetur de Iustitia ad validè, & licitè conferendum digniori, ex verbis Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. sic. *Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illi, & non alteri collatio fiat.* Casus iā est, ex duobus propositis ab examinatoribus, quorum alter dignus, & alius dignior. Si collatio fieret digno, esset valida, tum quia sufficit ad validitatem collationis subiecti mediocris idoneitas, vt possit sustinere onera illius beneficii, & huiusmodi collatio dicitur valida, sed non licita, quia formæ traditæ à Trid. *d. loco*, occurritur, decernēte ex propositis ab examinatoribus, quorum examini plures expositi fuerunt, debere Episcopum digniorem, hoc est virtute, litteratura præcellentiorem eligere; eique teneri Beneficium licitè, & validè conferre. Ita firmant, & docent Zamar. *de officio Iudicis, p.* 1. *q.* 22. *à num.* 12. Caetan. 22. *q.* 62. *ar.* 4. *ad.* 4. Eman. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 58. *num.* 6. addit Nauar. *in Tract. de orat.* Miscell. 43. *sub num.* 76. *vers. fallit tertio*: Culpam præfatam esse mortalem, ex violata forma Trid. in re graui. Nisi tamen excessus dignioris esset modicus, ex Greg. de Valent. 22. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 2. Notat insuper Philiarch. apud Gauant. Echir. *v. Benef. coll. n.* 7. Episcopū posse cōferre Nepoti suo digno, omisso digniore ob merita propria in Ecclesia. Hodiè tamen ob Prælatorum incuriam, multa inuersio in collatione dictorum Beneficiorum, contra quos clamat Trid. grauem suam læsionem, in re tanti momenti, quemadmodum vult beneficia curata, non præcibus, minis, metuque conferri, sed ad animarum curam dignor, digno pretermisso, eligi.

2 *Sed à quo desumenda dignitas, & maior dignitas?*

Respond. Desumi 1. ex moribus virtuosis, puta honestate, deuotione, & charitate; quibus ornari debet Ecclesiasticus, præsertim Beneficia-

ficiatus Parochus in exemplum ponendus aliorum, sequens ornatum altaris, cui ascribi vult, & de quo viuere petit.

2 Ex idoneitate subiecti, apti ad seruiendum Deo, & Ecclesiæ, salutique subueniendum proximorum, ad quæ, diuitiæ magis iuuant; vt cum decore proficere possit sibi, Ecclesiæ, & Pauperibus, santa ministrando, non auiditate, sed charitate.

3 Ex doctrina, & intelligentia, quia Ecclesia suos Ministros, doctrina sapidos esse uult, & peritos in munere, quod assumit; ideò clamat in Conciliis prouisionem fieri debere præuio examine, & approbatione, per tot Theologos, & Magistros, vt sciant pascere, regere, & gubernare oues sibi credendas; ex quorum manibus erunt requirendi Parochi in die nouissimo de Animabus eorum curæ subiectis.

Dignus autem moribus præferendus est digno in doctrina, modo habeat sufficientiam: dignior verò doctrina cum sufficientia substentationis, præferendus diuiti. Item dignus notus, præferendus digniori ignoto. Sicut dignus de græmmio, digniori extero: apud Massabr. *in praxi requis. 5. dub. 2. num. 19.* Abb. & alii apud Barbos. *de Episcopo P. 3. Alleg. 60. à num. 97.*



De Episcopo conferente vni plura Beneficia simplicia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre vni plura beneficia simplicia.*

2 *Sed quid, si tertium conferretur?*

Potestas LXXVIII.

1 POtest Episcopus conferre vni plura beneficia simplicia, modo vnum sit insufficiens ad sustentationem, & solitam viuendi formam, personæ Ecclesiasticæ; desumitur *ex Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17.* sic.

Liceat Nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtramque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.

Vbi postquam statuit; *ibid.* vt vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, Subdit, *quod si ad vitam eius, cui cõfertur, honestè substentandam non sufficiat; liceat, &c.* Vbi declinat Concilium, pro exiguitate Beneficii, non valentis beneficiatum substentare, vt alterum adiungatur; & quia in Concilio indefinitè relictum est, *à Quo.* Sequitur: Episcopum, cui de iure communi cõpetit beneficia omnia conferre in sua Diœcesi vacantia; quando de lege superiori alitèr non fuerit dispositum; posse illa cõferre, quarè si alterũ sufficere, non liceat Episcopo conferre, neque si alterum residentiam requirit: ex apertis Concilii verbis; neque plusquàm duo, vt inferiùs dicam, adhùc data amborum simul insufficientia; vt resoluunt *Lælius, Zech. Tract. de Benef.* Vulpè *in praxi cap 48. num. 58. &* Azor. *instit. moral. p. 1. lib. 2. cap. 9. quæst.* 3 cũ aliis apud eosdem.

Quomodo autem; quandouè vnum sit insufficiens non potest certum quid assignari, nec assignatum reperitur in Tridentino, sed spectatis qualitatibus personæ, temporis,

& loci. Iudicio prudentum poterit Episcopus determinare; quia quādoque hic; alibi verò non, erit sufficiens; aliquando demum ipsum met beneficium erit tenue, fundatum in re frugali; puta: Vinea, Agro, quæ à tempore pendent, & si de se erit tenue, innixum rebus incertis redderetur tenuiùs. Ideò tenuitas curris iudicanda ab Episcopo, vt disponitur ex Regulis *l. 1. ff. de iure deliber. ait Flamin. lib. 5. q. 6. num.* 131.

Nota tandem sufficientiam beneficii iudicari non debere vnà cum bonis patrimonialibus beneficiati; vt aduertit Prosper *in add. ad Quarant. in Summ. Bullar. v. Benefic. causa.* 8.

2 *Sed quid, si Tertium conferretur?*

Resp. Tūc vacare primum, vt notauit Barbos. *de Episcopo Alleg.* 62. *num.* 6. *ex* S. *Congreg. sub die* 13. *Nouembr.* 1627. Huic adde, quod si Tertium se solo erit sufficiēs, vacare duo priora, vt vult Vgol. *de Potest. Episcopi. cap.* 14. § 2. *num.* 2. Si verò illa duo priora essent insufficientia simul, collatio Tertii erit valida, quo casu cessat declaratio Sacr. Congregationis, quæ supponit sufficientiam tertii cum secū loquitur, & ideo primum vacare censuit. Tali tamen in euentu securiùs erit consulere Sedem Apostolicam, in qua B. *Pij* v. *&* 4. *Greg.* 13. *&* 14. Sæpiùs indulxère plura beneficia simplicia non requirentia residentiam, vt aduertit Aloys. Ricc. *in Neap. Decis. decis.* 436 *p.* 4. *num.* 5. Audio tamen hodiè à Prælatis inferioribus Papę conferri plura supra 4. vel 5. beneficia simplicia, singulaque sufficientia, nulla fortè habita mentione de illorum tenuitate; sed nescio quomodò, apertè enim aduersatur menti Tridentini, fortè qui dem ex indulto id faciunt; consulāt igitur indultū, si conscientiam se dare queunt.

De Episcopo, conferente Beneficia Capitulo negligente.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre Beneficia à capitulo conferenda, eo negligente.*

2 *Sed quid, si à Capitulo fuisset electus Cōpromissarius ad conferenda talia beneficia?*

3 *Sed quid, si Episcopus dolosè impedierit collationem Beneficij à Capitulo faciendam, infrà tempus à iure definitum?*

4 *Sed num dicta Potestas vim habeat in collationibus faciendis à Prælatis inferioribus?*

5 *Sed quid de tempore, quo tenentur inferiores prouidère de Beneficijs?*

6 *Sed quid de Beneficijs spectantibus ad solum Episcopum, eo negligente?*

Potestas LXXIX.

1 POtest Episcopus conferre Beneficia conferenda à Capitulo, illo negligente. *Ita* DD. in corpore. Et quoniam Beneficia Ecclesiastica conferuntur à multis, diuersis quampluribusque indultis fulgētibus, prout praxis ostendit; ideò Primò: vel à Summ. Pontifice à quo omnia iura Ecclesiæ dimanant: prout in antecedentibus Potestatibus re-

Digitized by Google

recensui. Alia ab Episcopis propter intentionem fundatam, quam habent ratione residentiæ, & dignitatis, vi Conciliorum. Alia ab illis vnà cum Capitulo. Alia à solo Capitulo. Potestas autem hæc non intelligitur nisi de coll. in nouissimo sensu, & negligẽtia Capituli probata, *prout ex cap. 2. Postulabis de Concess. Præbend.* Resoluit Azor. *instit. Moral. p. 1. lib. 6. cap. 27. quæst. 2.* Ratio autem iuridica hæc est, ipsa deuolutio ad immediatum superiorem, *de supplend. neglig. Prælatorum*, & probata negligentia Capituli à die scientiæ, & tempore præscripto finito (de quo *n. 5*) in quo tenebatur eligere, seù conferre beneficium. Addit Petrus *de Gregor. Syntagmat. Iuris p. 2. lib. 7. cap. 9.* cum aliis idq; procedere, eodem iure deuoluto, etiam si Episcopus interesse habuisset, vt Canonicus, vel persona particularis, qui sic vt singulo imputaretur negligentia, quod nõ derogat iuri deuolutiuo, nec facit collationem esse de illo genere, vt vnà cum Capitulo conferat, quo sensu esset aliter sentiendum, cum dictis in fine huius Potestatis *n. 6.*

2 *Sed quid, si à Capitulo fuisset electus Compromissarius ad conferenda talia beneficia?*

Respond. Proculdubio procedere; quia ex negligentia compromissarii electi conuincitur negligentia capituli; nec compromissarius agit sua, sed capituli virtute; ergo eius defectus ascribitur Capitulo: adeoque deuoluitur electio ad Episcopũ supplentem negligentiam illius, siuè in eo, siuè in alio electo, ex rationibus, & iuribus *ex cap. Si compromissarius de elect. in 6.*

3 *Sed quid, si Episcopus dolosè impedierit collationem Beneficij à Capitulo faciendam infrà tempus à iure definitum?*

Respond. cum quibusdam: deuolutionem fieri ad Metropolitanum, quia dolus debet nocère doloso; cuius probata malitia, priuatur iure conferendi. Vide DD. *in cap. Postulabis* apud Farinacc. P. 2. *recens. decis.* 186. Aliis verò non placet priuatio collationis, sed meliùs: punito dolo, ipsi Episcopo erit conferre, tum quia dolus non tollit ius. Tũ etiam per solam punitionem purgatur dolus ad metam iuris violati: neq; per dolum facit ius suum, estò malitiosè egit, vt veniret ad illud. Alii apud eosdem, à quibus non recèderem propter euidentiam.

4 *Sed num dicta Potestas vim habeat in collationibus faciendis à Prælatis inferioribus?*

Respond. affirmatiuè. *ex titulo de Supplenda Neglig. Prælat.* Ratio quia Episcopus est caput supplens, & remedians negligentias omnium illorum, quibus præest in tota sua Diœcesi, vel Prouincia. Adeoque Abbates; Canonici, vel alii, si qui sint ex indulto conferentes; aut habentes ius Patronatus, si conferre negligerent, eorum omnium supplet Episcopus, tamquam immediatus Superior, & supremus ad omnes dignitates. *Barbos. cit. infrà.*

5 *Sed quid de tempore, quo tenentur inferiores prouidere de Beneficiys?*

Respond. Esse semestre; *ex Concilio Lateran. sub Alex. 3. in Cap. 2. de Concess. Præbend.* vbi de inferioribus dignitatibus. Patronorum verò esse quadrimestre ad presentandum. *ex cap. vn. de Iure Patron. in 6.* quo enim elapso, conuincitur eorum negligentia, fitque deuolutio ad superiorem immediatum Episcopum ex cit. iuribus, apud *Barbos. de Episcopo* Alleg. 126. *à num. 39.*

6 *Sed quid de Beneficiys spectantibus*

tibus ad solum Episcopum, eo negligente?

Respond. Deuolutionem fieri ad Capitulum ex iuris dispositione *cap. 2. de concessione prabend.* Nec mirum, quia deuolutio non fit ex natura rei, sed beneplacito legis, ad ostendendam libertatem deuolutionis iuxtà dispositionem Iuris Canon. vt obseruant *Panormit. in dicto Cap.* Azor. Lopez, & alii, apud Barbos. *d. l. num.* 76. vbi limitat tres casus, quorum primus est: Quãdo collatio competeret ei simul cũ Capitulo. Secundus, Quando competeret speciali iure, vel deuoluto. & Tertius, Quando Episcopus fuisset exemptus, & immediatè Sedi Apostólicæ subiectus. In his omnibus habet locum regula illa deuolutionis *De inferiori ad superiorem, vsq; ad Papam, ex Clemen. de Benef. in fine de prabendis.*

De Episcopo conferente beneficia simplicia corpore vitiatis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre beneficium simplex corpore vitiato.*

2 *Sed quid de vitiatis grauiter, deformiter, & culpabiliter?*

3 *Sed quodnam vitium dicitur leue, graue, vel culpabile?*

Potestas LXXX.

1 POtest Episcopus conferre beneficium simplex corpore vitiato. Firmant hanc Potestatem quamplurimi DD. citati ab Vgol. *de Irregul. cap.* 52. §. 1. Suarez *tom.* 5. *disp.* 51 *sect.* 2. *num.* 13. Auila, Sayr. & Alii. *in cap. significasti. de corpor. vitiat.*

Probatur, & declaratur: modo vitium non sit àdeo deforme, & graue, vt indecentiam inferat, aliàs nulla Potestas in Episcopo, puta si Clericus laboraret Paralysia, scabie grauissima, vt non posset oculos aperire, nec pedibus ambulare, vel alio simili, esset incapax ob deformitatem, vel impotentiam ad quodlibet, etiam simplex beneficium, & quamuis verum sit, impotentem ad actum vnius ordinis, quandoque non esse quoque ad munus alterius, cum verè possit illud obire, v. g. Carens oculo sinistro, vel duobus digitis, manus est inhabilis ad sacrificium, & Beneficium curatum, tamen non ad beneficium simplex apud *Suarez d. loco. sect. 2. num.* 18. Idipsum, inhabilis ad ordines non erit talis ad beneficium simplex; è contra verò Clericus incidens in infirmitatem cæcitatis oculorum amborũ, redderetur impotens ad beneficium, vt resoluit Less. *de Instit. lib. 2. cap.* 34. *num.* 130. Modo habuerit cæcitatem post Tonsuram, & inculpabiliter; si verò id antea ei acciderit: nec ad tonsuram posset admitti, ex iuris dispositione. Et quidem non dispensatiuè; sed iure proprio competit Episcopo posita Potestas, nec obstat *Clemen. cit.* quæ requirit dispensationem Papalem; quia loquitur de vitiatis culpabiliter, & à iure prohibitis, vel à natura inhabilibus, vt aduertit *Barbos. de Episcopo Alleg.* 62. *à num.* 55. cum aliis authoribus.

2 *Sed quid de vitiatis grauiter, deformiter, & culpabiliter?*

Respond. Nisi dispensante Papa, posset Episcopus conferre dicta bene-

Digitized by Google

neficia. Ratio quia tales sunt iure prohibiti; idcircò, nisi dispensetur ius prohibitum, tales semper erunt incapaces. Ita quamplurimi apud Couar. *in Clement. si furiosus. p. 1. in initio. num. 7.* Nauar. *in Manual. cap. 27. à num. 98.* Quænam autem sunt Corporis vitia grauia, Enormia, & culpabilia? vide inferiùs.

3 *Sed quodnam vitium dicitur leue, graue, vel culpabile?*

Respond. Relictum esse iudicio prudentis viri Episcopi, cui fas erit iudicare, & cognoscere grauitatem, vel leuitatem defectus, quando vitium erit dubium. In casu tamen euidentiæ, vt quando ex se innotesceret enormitas, & excessus, nō erit iudicandum, sed videndum *ex cap. 2. de corpore vitiatis*, cū de euidenter notis non oportet Arbitrium Confessarii, seù alterius Prælati inferioris, vt *in Clement. citat. à Bonac. de Cens. disp. 3. q. 2. p. 2. num. 36.* & procedit hoc, etiam pro Regularibus Prælatis, ad quos spectat formare arbitrium vitiatorum, pro ordinibus recipiendis, & Episcopo representare, cui liberum erit tale arbitrium admittere, vel respuere: *ex decis. S. Congregationis apud Villol. tom. 1. tract. 11. diff. 22. n. 8*, vbi etia de interstitiis.

De Episcopo conferente Sacramentum Confirmationis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre Sacramentum confirmationis.*
2 *Sed in quo loco?*
3 *Sed quo tempore?*
4 *Sed quibus subditis?*
5 *Sed qua in ætate?*

Potestas LXXXI.

1 POtest Episcopus conferre Sacramentum Confirmationis, nedum *ex iure antiquo in Concil. Cartag. Brachar.* verùm *nouissimo* ex Trid. *sess. 7. de confirmatione can. 3.* Cuius hæc sunt verba: *Si quis dixerit Sanctæ confirmationis Ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, Anathema sit.* & notauit Bonac. *de Sacram. disp. 3. q. vn. p. 2. n. 3.* Fundatur hæc Potestas in Oraculo Saluatoris, quando dixit Petro, Luc. 22. *Tu aliquando conuersus Confirma fratres tuos*, hoc est: vt fideles munimen, & fortitudinem recipiant in assumpta fide; nè hæsitent: sed tamquam commilitones luctamen contra malignos spiritus accipiant, ex quo bonum certamen certantes, coronæ gloriæ dignos effici mereantur. Cum Apostolo 2. *Timot. 4. Bonum certamen certaui.— in reliquo reliquo reposita est mihi Corona Iustitiæ.*

Enim verò est adeò propria hæc Episcoporum Potestas confirmandi, vt tamquā pleni, & vberiores fide, valeant cæteros stabilire, & roborare; neque Aliis Prælatis, vel Abbatibus validè competere potest; nisi de commissione S. Pōtificis; propterquod dicitur delegabilis, nō quidē ab Episcopis, sed à *Papa ex c. prauenit 95. dist.* in quo Greg. 1. concedit, vbi absunt Episcopi Sacerdotes confirmare posse.

In Confirmationem dicti accèdunt Priuilegia facta Minoribus, & Ie-

Iesuitis in Indiis commorantibus, quibus indulta est facultas à Sede Apost. confirmandi fideles, vt refert *Henriq. in Summ. lib. 9. cap. 27. & 3. de Confirm. cap. 6.* Disputant tandem Canonistæ in materia Chrismatis: num sit de natura delegabilis? negarunt aliqui apud eundem Henriq. Adhæreo tamen cæteris quampluribus affirmantibus, & docentibus posse delegari à Summo Pontifice, tamquam materia subdita Ecclesiæ dispositioni. Reginal. autem substinet *lib. 28. cap. 2.* rem esse, quæ definitionem Ecclesiæ requirit; ad sedandas opiniones DD. Vide *Dian. res. Mor. p. 3. tract. 4. resol. 23. in fine.*

2 *Sed in quo loco?*

Resp. *In Ecclesia*, iuxtà sanctã, & laudabilem consuetudinem; vel extrà, vt in suo Palatio Episcopali, aut alio loco honesto. Ita aduertunt *Henriq. in Summ. cap. 6. §. 7. & Bonac. de Sacram. disp. 3. q. vn. p. 2. num. 15.* Quorum ratio est, quia consuetudo non videtur recepta sub tanto onere peccati læthalis, vt extrà Ecclesiam fieri non possit, contra Nugnum, & alios.

3 *Sed quo tempore?*

Respond. Quolibet die etiam feriali; nec refert Episcopum, vel cõfirmandos non esse Ieiunos, cum à nulla lege præscriptum sit, ieiunium esse necessarium ante confirmationis Sacramentum. Pro tanto autem munere præstando, & stabiliendo Baptizatos in fide; debet Episcopus vti pluuiali, Mitra, stola, & baculo pastorali *ex S. Congr. 19. Februar. 1588. ad Episcop. Brixiensem.* Refert Alzedo *p. 2. cap. 4. num. 23.* hoc quia propriè Episcoporum est, ideò insignibus propriis, & Episcopalibus debet vti. De Confirmatione autem, estò non esset Episcopus Confirmatus; vide Potest. 55. & meliùs Potest. 95.

4 *Sed quibus subditis?*

Responsionẽ habes P. *poster. Impot. 41.* in fine; videto ibi, hic solum annecte, quod si Epus confirmaret suos subditos extrà Diœcesim, absque licentia Ordinarii loci, in suspensionem incideret. Si verò suos non subditos intrà suam Diœcesim, foret reprehensibilis; sed non irregularis. Inspice *loc. cit.* vbi fusius, vnà cum DD.

5 *Sed qua ætate?*

Resp. Vsu antiquiori relicto; quo infantes ante vsum rationis confirmabantur; sicut modò baptizantur fideles, eo quia à nullo iure fuit prohibitum. Tamen de sola consuetudine nunc vsu rationis illucescente, confirmare, receptum est: vt meminerint gratiæ receptę, & proprio ore, fidem in fonte Baptismatis acceptam confirment. Talis autem vsus rationis lucescens est in septennio propter autem auctam humani generis malitiam, ante septennium cõfirmari posse adhùc pmissũ est, vt ait *Layman. in Summ. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2.* Immò trium annorum, cum multis apud *Dian. p. 3. tr. 4. r. 19.* Contra *Zambran. & Turreblanca.*

De Patrino, dicam fusiùs Potest. 178. vbi quoque de Procuratore.



De Episcopo confirmante Adultos, Mutos, Surdos, & Amentes.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre Sacramentum confirmationis Adultis, Mu-*

Mutis, Surdis, & Amentibus.

Potestas LXXXII.

1 POtest Episcopus conferre confirmationis Sacramentũ Mutis, & Surdis. Apud *Barbos. de Episcopo Alleg.* 30. *num.* 20. & perpetuò Amentibus *ibid. num.* 21. Ratio, quoniam hi baptizari debent, & possunt, ergo, & confirmari; nam Confirmatio sequitur Baptismum; cuius est robur, & munimen. Obseruari autem oportet in adultorũ confirmatione, quod confirmandi prius peccata confiteri debent, & Ieiuni; si manè ministratur Sacramentum, confirmentur. Apud *Gauant. Enchirid. v. Confirmatio n.* 10. Hoc ordine: Primo mares, postea fœminę. *ibid.* & in actuali cõfirmatione adulti stabunt: ita vt pedem dextrum, pedi compatris dextro supponant. *ibid. num.* 11. Nota si ordinatus esset ante confirmationem etiam scienter, non erit irregularis. *Nau. in Man. cap.* 22. *num.* 9 *citati Potest. sequens.*

De Episcopo Ordines conferente.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ordines conferre.*

2 *Sed num hæc Potestas sit delegabilis?*

3 *Sed num hæc Potestas residet in Episcopo Hæretico, Degradato, Suspenso, vel interdicto?*

4 *Sed quinam? Quotuè sint Ordines?*

5 *Sed num omnes Ordines sint Sacramenta?*

6 *Sed cur dicantur Ordines Minores, vel Maiores?*

7 *Sed quid de subiecto Ordinis, & ætate requisita?*

8 *Sed quid de litteris dimissorijs?* 2

9 *Sed quid de Examine? vbi de casu notabili.*

10 *Sed quid de Titulo?*

11 *De Gradibus.*

12 *De Interstitijs.*

13 *De Tempore.*

14 *De Loco.*

15 *De Gratia.*

16 *De Intentione suscipiendi Ordines.*

Potestas LXXXIII.

1 POtest Episcopus Ordines conferre, ita post ius antiquum, ex Nouis. Trident. *sess.* 23. *de Sacram. Ordinis. can.* 7. Vbi Anathematis gladio ferit aliter dicentes: Probatur, Episcopos esse verè, & legitimos Apostolorum successores, quibus data fuit facultas confirmandi,
2 & ordinandi fideles in Ecclesia Catholica à Christo, constat *ex Math.* 18. *Marc.* 14. *Luca* 22. & *Ioan.* 20. Quapropter appellantur dispensatores Mysteriorum Dei; ad differentiam discipulorum num. 72. quibus successerũt Sacerdotes omnes illis equales, vt innuit *D. Bonau.* 4. *sen. disp.* 25, *q.* 1. *ar.* 1. Quia sicut ad Principes spectat viros bellatores ordinare ad certamen contra insidias inimicorum; ita ad Episcopos Ecclesiarum Principes, ordinare milites Ecclesiasticos, contra fidei persecutores; idcirco Episcopi sunt tamquam Duces Ecclesiastici ordinantes, & dantes Potestatem vnicuique iuxta gradum suum,

vna exercitum contra malignos spiritus conficientes ad luctandum, & vincendum, quemadmodum vincentibus promissa est gloria, ad differentiam Ecclesiæ malignantium. Vbi nullus ordo; hoc luce clarius.

2 *Sed num hæc Potestas sit delegabilis?*

Respond. Ab Episcopo negatiuè, sed tantùm à Papa, & quoad Minores dumtaxat, quoad maiores nō nisi alteri Epo. Ratio prioris est, quia ita proprium est Episcopis ordines conferre, quod inseparabiliter, & indelegabiliter eis competere fatentur quamplurima iura, vnà cum ipsa praxi, seù consuetudine, neq; vmquā visum, expertumq; fuit alios non Episcopos de facultate Episcopi ordines S. cōferre, nostris saltem hisce temporibus; quid quid sit de antiquo, quo competerat Parochis, & Prioribus tū ord. minores conferre, vt notauit Marchinus *in suis decisionibus delfinalibus lib. 1. decis. 1082. num. 1.* Ex eo autem quod Abbates ordines minores conferunt suis subditis tantùm; vel Alii habentes priuilegia, & indulta à S. Apostolica; nec censurāda venit posita Potestas. Cū hi de facultate indultorum, *ex cap. 1. dist. 69. & cap. Quoniam de qualitate ordinand. & cap. Abbates de Priuileg. in 6.* & non ex delegatione facta ab Episcopis id efficiunt. Immò in dictis capitibus præscriptę sunt conditiones Abbatum, Puta, quod sint Sacerdotes exercentes Pontificalia, vtentes Mitra, baculo, & Pastorali; aliter Ordinatio erit irrita. Ratio posterioris est assignata à D. Thom. *in Suplem. ad tert. part. q. 38. ar. 1. ad 3 & in 4 sent. dist. 7. q. vn. ar. 5.* Contra quosdā apud Vasquez *3. p. disp. 243. cap. 4. tom. 3.* Quia de iure diuino videtur à Dño Deo destinati Episcopi, Ministri maiorum ordinum, vt neè præter eos, Alius, nec de licentia Papæ ordines maiores conferre possit. prout refert Bellarm. *de Sacram. ord. cap. 7.* contra Filiuc. *ab illo cit.* substinentem, saltem Subdiaconatum à non Episcopo posse de consensu Papæ conferri, fortè munitum, vel quia substinuit Subdiaconatum esse minorem ordinem, prout antea ab aliquibus tenebatur (*de quo vide num. 6.*) vel credidit Victorio *in Summ. num. 238.* dicenti se vidisse quandam Bullam Papæ concedentem Sacerdoti facultatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum. At primum nō valet, quia iam Subdiaconatus inter maiores ordines priorem obtinet locum, Neque secundum, quia testimonio vnius non innititur fides, ideò ei credere non cogimur. Addo dictis, delegationem faciendam à Papa, quoàd minores, non alteri, quam Sacerdoti competere, quia collatio ordinum est actus Ordinis, ergo non nisi ordinato Sacerdoti competit delegatio. Ita apud Bonac. *de Sacram. Ordinis q. vn. p. 4. num. 3.*

3 *Sed num hæc Potestas resides in Episcopo hæretico, degradato, suspenso, vel interdicto?*

Respond. Affirmatiuè, adeo qđ si quis ordinaretur ab huiusmodi Episcopo, etiam scismatico, validè ordines reciperet ob Potestatem, & charactèrem, quàm habet in sua Episcopali consecratione. Quoniam censuræ non tollunt Potestatem, e- stò eius vsum impediant, propter quod ordinatus executionem ordinis habere nō posset, *ex Bull. Clem. 8* incipit *Sanctissimus anno. 1595. 31. August.* contra recipientes ordines ab Episcopo iure impedito. Apud Campan. *in suo diuersorio Iuris Canon. rubr. 2.* & alios, quos notauit Henriq. *d. l. cap. 21.*

4. Sed

4 *Sed quinam? quotuè sint ordines?*

Respond. Ordines esse numero septem, videlicet *Ostiariatus*, *Litteratus*, *Exorcistatus*, *Acholytatus*, *Subdiaconatus*, & *Presbyteratus*. Omnes quidem dicuntur veri ordines, & gradus, per quos ordinatè, homo ascendit ad supremum Sacerdotii culmen, tot pariter virtutibus indutus, in præparationem tantę, ac supremę dignitatis Sacerdotalis, ad quam noluit Sanctus P.meus Franciscus Assitiatis ascendere, Angelo sibi apparente cum ampulla cristàllina tacitùs dicente: tantam fore necessariam puritatem, quantam in āpulla cèrneret limpiditatē, & mūditiam. Idipsum legitur de aliquibus Sanctis timentibus dictum gradum ascendere, vel acceptum tremantes exercuisse. Nōnulli addunt Septenario numero, Episcopatum. Gloss. *in proem. Sexti Decretal. v. Episcopus*; cōmuniter autē tenetur: nō esse ordinem, sed ordinis Sacerdotii amplitudinem, ad habendam Animarū sollicitudinem. Alii supra septem enumerant Tonsuram, seù Psalmistatum, eò vel quia percutientes tonsuratum ligantur excommunicatione, *ex cap. Si quis suadente*. Vel atque, quia tonsuratus est Beneficiorum Ecclesiæ capax, ad differentiam laicorum; at veriùs cum communi, non esse ordinem, sed præambulum ordinum, non imprimens Charactèrem, sed signū quoddam extrinsecum, vt sit beneficiorum capax. *Ita* ex communi Theol. Quocircà tempestatem opinantium sedàuit Trid. *sess.* 23. *cap.* 2. ex D. Thom. 3. *p. q.* 40. *ar.* 2. Aliisque.

5 *Sed num omnes ordines sint Sacramenta?*

Respond. Meliùs dici posse: omnes esse vnum Sacramentum, vnitate generis, tamquam omnes in vnū coniecti, & ad Sacerdotium ordinati, ita *ex Concilijs Flor. & Trid.* indistintè dicentibus: ordinem esse Sacramentum, quod confirmatu à D. Thom. *in supplem. ad* 3. *p. q.* 37 *ar.* 7. Insuper omnes gratiam, & charactèrem imprimunt, sed gradatim versus Sacerdotium, quod non est ad aliud, sicut cæteri ordinantur ad ipsum, cōtra quosdam dicentes; Sacerdotium ordinari ad Episcopatum, sed gratis, quia Episcopatus est amplitudo, seù extensio Sacerdotii de corpore reali, ad corpus misticum, & curam Animarum, ad quas assumitur Episcopus regere in partem sollicitudinis Ecclesiam, & Diœcesim sibi commissam.

6 *Sed cur dicuntur Ordines minores, vel maiores?*

Respond. Minores dici, eò quod sunt præparatorii maiorum, quibus præeunt tamquam serui Dominis, & Paruuli hominibus, Hærarchiam Ecclesiasticam componētes, ad imitationem cœlestis Hærarchiæ in Ecclesia Triumphanti, in Choros, hærarchias, & ordines Angelorum ordinatam, & distributam; vbi inferiores Angelorum ordines illustrantur à Superioribus, & hi à Deo: idipsum Clerici Minores, Maioribus addicti virtute, & dignitate illustrantur ab illis, & omnes sunt administratorii corporis Christi, & Sacerdotii; quemadmodum minores minora, & maiores maiora ministrant, putà Ostiarius aperit ianuam Ecclesiæ, Litteratus profetias legit; Exorcista dæmones excutit; Acholytus candelabra, vrceolos, & alia ad Altare præparat. Dicuntur propterea Minores ordines. Tum quia de Priuilegio, à Minoribus Episcopo conferri possunt; vt supra diximus. Tum quia votum castitatis nō sibi annectunt, nec matrimonium impediunt, vel dirimunt. Aliisque de causis, & congruentiis. Maiores

autem tamquam proximi, & immediati ad sacrificium Altaris, ita nuncupati ad differentiam maiorum, voto castitatis de Ecclesiæ præcepto ligantur, *ex Const. Greg.* postquam *Vrb. 2. & Innoc. 3.* Subdiaconatus ordinem inter Sacros, & Maiores retulère, prout refert Barbos. *de Episcopo p. 2. Alleg. 2. num. 23.* Quapropter omnes tres ordines maiores Matrimonium fieri impediunt, factumque dirimunt. Demū Alii voluère maiores dici, quia à Potestate maiori, seù Episcopali indispensabiliter conferuntur; itaque factus numerus Septenarius ex minoribus, & maioribus, suum habet munus, & officium ad inseruiendum in Ecclesia Deo viuenti.

7 *Sed quid de Subiecto ordinis, & ætate ad ordines requisita?*

Respond. Subiectum Ordinis debere esse hominem baptizatum, & confirmatum volentem ordinis Sacramentum suscipere. Dicitur 1. *homo* ad differentiam fæminarum, quæ iure diuino ratione sexus, & cōditionis excluduntur à receptione ordinum; & incapaces charactèris. Dicitur 2. *Baptizatus*, tum quia Baptismus est ianua Sacramentorū, & absque ipso iure diuino atcentur ad ordines non accedere. *Confirmatus* ex Trid. *sess. 23. de Refor. c. 4.* & quia consilium est; ideò seclusa negligentia, & contemptu, non erit læthale ordines conferre non confirmatis; neque vlla censura, vel irregularitas incurreretur à Promouente, vel promoto. Apud Nauar. *de Sacram. ordinis num. 9.* & Victor. *eodem Tract. num. 232.* contra Toletum *lib. 1. cap. 71. num. 6.* Dr. 3. *Volēs ordines &c.* Tū quia requiritur intentio suscipientis vltra intentionem conferentis. Quarè, qui coactè ordinaretur charactèrem nō reciperet. Apud Siluestr. *v. Ordo. 4. num. 1.* & Angelus *v. coactio.* Ratio, quia nemo cogitur ad recipiendam gratiam, & fauorem Ecclesiæ. Ni tamen coactio esset conditionalis, putà ad mortem vitandam, vel pœnam comminatam; & similia. ex Comitol. *resp. moral. lib. 1. q. 45. nu. 1.* Excommunicatus autem charactèrem reciperet. apud Campan. *d. l.* Ratio, quia Ecclesiæ prohibitio non inualidat, & si executionem interdicit. Hermophroditam opus est determinare sexum, & prçuia Apostolica dispensatione; cui erit inquirere de sexus prædominatione; sicque accèdere ad ordines, ex Nauar. *in Manual. cap. 27. num. 203.* Sayr. *de Cens. lib. 6. cap. 8. num. 25.*

Ex quibus ducitur 1. Non baptizatos, & errore cōmuni putatos, re vera charactèrem non recipiunt, inhabilitate desumpta à iure diuino. 2. Si fæmina accèderet, vir reputata, ordines non reciperet ob incapacitatem subiecti; Nec dicas: posse huiusmodi suppleri per errorem communem; quia inane aufugium, ex doctrina D. Thom. 4. *sent. dist. 24.* In casu tamen administrationis Sacramentorum à supradictis, piè credendum à Deo Summo Sacerdote effectum suppleri, quidquid dicat Angelus; illos Sacramenta conficere non sua, sed Ecclesiæ fide.

Excluduntur itaque ab ordinum susceptione de iure diuino fæminæ, quia Genes. 3. *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, & non Baptizati. Iure autem Ecclesiæ Bigami, homicidæ, cæci, muti, & irregulares. DD. apud Dian. *p. 2. tr. 16. num. 4.* Pariter corpore vitiati insignitèr deformes. Amentes, Serui infames, Impudici, Peregrini, & ignoti, Vsurarii, Periuri, Criminosi, Publicè pœnitentes, Censurisque ligati. Gauant. *Enchir. v. ordo in genere à num. 15.*

Ex-

Expositi autem, nempè hi, qui qui in hospidalibus eiecti, vel absq; cartula baptismi, & postea baptizātur: est iurgium inter DD. num ascēdere ad maiores ordines absque Papæ dispensatione possint? Communis tamen opinio est, quod poterunt S. ordinibus insigniri absque dispensatione; etenim hi non omnes excogitantur illegitimi, at prohibitiones pœnales cādere debent supra verè illegitimos, in pœnam peccati Parentum, quos punire intendit Ecclesia; cum igitur de illis verè nō cōstat oppositū, pœnis cōtrà illegitimos affici nō debent, apud Dian. *p.* 2. *tr.* 1. *Misc. r.* 22. Gau. *d. l. in add. n.* 12.

Est igitur subiectum ordinis de iure antiquo, & nouo, homo baptizzatus, etate septennii pro tonsura recipienda. Pro Minoribus ann. 12. Subdiaconatu 22. Diaconatu 23. & Sacerdotio 25. ex Trid. *sess.* 23. *à cap.* 11. Ante dictam ætatem prohibetur ordinari, presertim in maioribus. Diana notat P. *9. tr 9. r.* 50. *Misc.* posse dari paruitatem materiæ quasdā dies, vel horas, cū Zenardo estò completa ætas non sit, poterit ordinari, eo quia fauorabilia extendi cōsueuère; presertim in parua materia. Sed veriùs cū Pōtio *l.* 7. *c.* 65. *n.* 1. Si deficit hora viciatur actus. Ætas denique incipit à nota Baptismi, & nōn à natiuitate, prout antiquitùs fiebat, & notauit Bordon. *de Profes. Regul. cap.* 7. *num.* 15. Anni denique supra signati à Concilio sufficiunt incepti, ex com. praxi Ecclesiæ.

8 *Sed quid de Litteris dimissorijs?*

Respond. iuxtà dicta fusiùs *Potest.* 61. concedendas à Proprio Episcopo ex Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 10. vel à Capitulo S. V. Anno tamē elapso, ex eodem *sess.* 7. *cap.* 10.

9 *Sed quid de Examine?*

Respond. videnda dicta *in Potest.* 190. hic autem inquam: Examen esse ad ordinandorum sufficientiam probandam pro vno quoq; ordine, nempè vt sciant *Pro Tonsura* legere pro minoribus linguam latinam intelligere. Pro maioribus munia ipsorum propria exercere, ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. & 14. quæ adhùc pro Regularibus recurrunt *ibid. cap.* 12. Placuit tamen pro his Mirandæ documentum. *tom.* 1. *p.* 39. *ar.* 2. exonerare conscientiam suam Episcopos fidei Prælatorum inhærendo dictis in dimissoriis, meliùs quàm eos examinare, quoniam & si stamus Presbiterorum testimonio, magis debent stare Regularium.

Casus notabilis. Quid de obtinente dimissorias cum particula *ad examinādum*? Ipse verò occultans eas, alias composuit dicens: in illis *esse examinatum, & approbatum.*

Respōd. In suspensionem, & pœnas contrà malè promotos incidisse, *ex Const. Pij* 2. *Sixti v. Clemen. & Vrb.* 8. ratio quia vitiauit examen, & suspicatur de sufficientia. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *r.* 55. Fagnan. *in* 2. *p. decret. c. Accepimus,*

10 *Sed quid de Titulo?*

Respond. Titulum à Trid. requisitum, *sess.* 21. *de Ref. cap.* 2. Pro Clericis Secularibus esse, vel Beneficii, vel Patrimonii in eorum congruā vitæ substentationē, de quo titulo fusiùs P. *post Impot.* 45. Pro Regularibus autem professis sufficit voluntaria paupertas, quia inter opes reputatur sufficiens ad vitæ humanæ sustentationem, vt notauit Henriq. *in Summ. lib.* 10. *cap.* 17. §. 3. dixi *Professis*, equidem contra non Professos accedentes ad ordines maiores absque alio titulo, extat Bulla B. Pii v. incipit: *Romanus Pōtifex pridiè idus Octobris.* 1568. habetque locum in nulliter professis. Portell. *dub. Reg. v. ord. Sacri num.* 8. Vndè Regularis sciens professionem

Digitized by Google

nem suam nullam, accedens ad ordines sacros, etiam cum litteris dimissoriis sui Prælati incidit in pœnas *Pij* 2. *Sixti*, *Clem.* & *Vrb.* 8. contra malè promotos, vt notaui superiùs de examine *n.* 9. *vers.* Casus.

Qua sub Const. non comprehenduntur *PP.* Societatis Iesu; qui estò professionem non emittant, veri tamen Religiosi sunt, ex Bull. Gregor. 13. incipit *Ascendente* 8. *Kal. Iunij* 1584. de quibus fusiùs dicam *Potest.* 93. *num.* 3.

11 *De Gradibus.*

*I*nter alia requisita ad ordinum collationē est, vt gradatim conferantur: videlicet primò minores; deindè Maiores. ex Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. his verbis: (*Atque ita de gradu, in gradum ascendant:*) eodem modo, & ordine, quo recensuimus *supra num.* 4. Saltantes autem, pœnam suspensionis ab ordine suscepto incurrunt, si verò exercerēt ordinem susceptum, irregularitatem incurrerent; quamquam probabiliter excusant DD. irregularitatem in susceptione ordinum Minorum per eorum exercitium. Apud Porcell. *Resp. Moral. p.* 3. *cas.* 41. & *Dian. p.* 5 *tr.* 10. *r.* 47. De dispensatione demum cum ordinatis per saltum. *Vide Potest.* 142.

12 *De Interstitijs.*

Interstitia, idest interuallum temporis inter susceptionem vnius, & alterius ordinis inesse vult Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. his verbis: *Minores ordines per temporum interstitia conferantur*. Quod placuit consuetudini explicare, pro minoribus esse spatium vnius, ab altera ordinatione generali quatuor temporum: vel prout in aliquibus Episcopatibus seruatur; de vno, ad alterum festum de præcepto; aut denique consultiùs accedente dispēsatione ab Episcopo, ex leui causa; omnes vno die cum prima Tonsura conferri possunt ex iniectis verbis: *In* Trid. *Nisi aliud Episcopo videatur*. Pro maioribus autem Trid. ita disponit. *Hi verò, non nisi post Annū à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad Sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat*. In quo inest, expectatio Annua subiecta tamen Episcopo, in causis necessitatis, & Vtilitatis Ecclesiæ, vt possit anticipare tempus præfatū. Caueat autē Epus cōferre duos ordines Sacros, simul eodemque die, quod omninò vetat Trid. *ibid. cap.* 13. vt fusiùs dicam *P. post. Impot.* 50. Quænam autem sit necessitas, & *Ecclesiæ* vtilitas arbitrio boni viri, scilicet Episcopi relinquēda est, vt docuit Barbos. *in collect. ad Trid. d. cap.* de Dispensatione verò interstitiorum pro Regularibus. vide *Potest.* 140. vbi quamplurima vtilia.

13 *De Tempore.*

Quoniam de Tempore, quo conferri debent ordines alibi fusiùs. *ex* 75. *dist. de temporum ordinat.* hic summatim dico sic: *Prima Tonsura*, quouis Anni tempore, die, & hora conferri potest: *Ordines Minores* feria 6. vespere ante Sabbatum quatuor Temporum; in quibus de iure omnes ordines conferri oportet. Aut die Dominico, vel festo, etiam non de præcepto, vt notauit Gauant. *in Enchirid. v. Ordines minores, num.* 15. & fuit sententia Propositi in 3. *de Sacram. Ordinis dub.* 15. *num.* 150. etiam vigore Breuium, refert Dian. *p.* 5. *tract.* 13. *r.* 91. ortans Episcopos non timère in praxi eam ponere, huic rationi innixus, quia Concilium indefinitè loquitur diebus festiuis, & in materia fauorabili.

Maiores autem conferri debent

sta-

Digitized by Google

statutis à iure temporibus, quæ sunt Sex Sabbata quatuor Tēporū, & ante Dominicam Passionis, & Paschatis, 75 *dist. de Temp. ordin. & Trid. d. l. cap.* 8. vt ipsa praxis ostendit. Vel diebus dominicis immediatè sequentibus ad dicta Sabbata, & tunc ex iusta causa; puta ex infirmitate Episcopi, vel confluentia ordinandorum: modò tamen *Ieiunium* Sabbati continuaret naturale. Aliàs secùs, etiam si sumptio Ablutionis præcessisset, apud Dian. *p. 2. tr. 16. resol.* 28. Extrà autem præfata tempora, nō licebit ordines Sacros cōferre, sub pœna suspensionis, *ex c. de eo de Temp. ordin. & Trid. d. loco.*

In casu verò supplementi cæremoniarum substantialium, puta cōtactus instrumentorum, & similium; non desunt dicentes, posse conferri extra tempora designata, eo quia id non est ordines conferre, sed supplere defectum. Ita apud Granadò. *in 3. p. Controu. 9. tr. 2. disp. 3. n. 3. Vide P. post. Impot.* 50.

Excipiuntur ex hac regula Regulares, quibus conferri licet ordines Sacros extrà tempora designata; vt fusiùs dicam *Potest.* 92. vbi efficaciter probatur ex Indultorum vigore, id fieri posse; & in praxim ponunt illi Episcopi, qui indulta non spernunt.

14 *De Loco.*

Statuit Trid. *sess. 23. cap.* 8. Ordinationes Sacrorum Ordinum, statutis à Iure temporibus, ac in Ecclesia Cathedrali, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrari; si autē in alio Diœcesis loco, presente Clero loci, &c. ex quibus apertè constat locum ad habendas ordinationes, esse Ecclesiam Cathedralem, vel aliam Diœcesis. Et quia Trid. regulariter loquitur de qualibet Ecclesia suæ Diœcesis, placuit quibusdam, apud Bordon. *Controu. Moral. controu.* 25. *num.* 68. asserere: posse quoque ex Rationabili causa, puta si Episcopus fuisset podagra, vel alia legitima causa impeditus, Sacros ordines cōferre, in suo Oratorio domestico, vel alio priuato, in quo posset celebrare Missam; tum quia *Trid.* non ita artat, quin non admittit rationabilem causam excusatiuam. Tum atque Oratorium illud priuatum etiā in Palatio Amici venit sub nomine Ecclesiæ, vel illi æquiualet. Hæc ille.

15 *De Gratia.*

Quia ordinandus debet esse in gratia, vt aduertit Summ. Dian. *v. Subiectū Ordin. num.* 37. Alioquin lætale incurreret. Ideò dico validè ordinari, & charactèrem recipere, quia peccatum non est contra valorem ordinis, sed gratiæ. Quocircà excommunicatus reciperet ordinē; sed suspensionem incurreret; *ex cap. Cum illorum de Sententia excommunicationis.* Vxoratus etiam Matrimonio consumato, modò tamen Vxor votum emiserit; nam per votum vir soluitur à debito tori, *ex c. Coniugatus de conuersione coniugij*, apud Hurtad. *de Matrimonio, disp. 11. diff. 9. num.* 19. & quia hæc sunt in puncto iuris, ideò extra dubium.

16 *De intentione suscipiendi ordines.*

Quoniam in ordinandis requiritur intentio ordines suscipiendi, in qua inest renunciatio vanitatum, in obsequium Dei, vt innuit Trid. *sess. 23. cap.* 4. eo quia est Sacramentum voluntarium, & de lege Euangelica, ideò non est coactè sumendum, sed precibus petendum, & obtinendum; nec character imprimeretur in Anima nolenti, pariter de Baptismo nullo, in anima nolente suscipere.

Dicta

Digitized by Google

Dicta hucusque à num. 7. sunt conditiones necessariò requisitæ ad validam, & licitam collationem ordinum. Adeò quod subiectū accedens absque vno ex recensitis, vel inualidè, vel illicitè ordinaretur, & supponeretur Censuris Ecclesiasticis, in re tàm graui, & tanti momenti, prout in posterioribus patebit. Et satis de subiecto ordinis; de Subdito autem vide *Potest.* 85.



De Episcopo validè conferente ordines minores, illos non habens.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus validè conferret ordines minores, illos non habens.*

Potestas LXXXIV.

1 Potest Episcopus validè conferre ordines minores, illos non habens. Sermo est de validitate; sciens autē non erit immunis à culpa lætali, est sententia multorum Gabriel. Vasq. Molfes. & Aliorum, quos recenset Barbos. *de Episcopo Alleg.* 3. *num.* 13. contrà Suarez, & Homobonum dicentes: huiusmodi ordinationem esse vitiatam, & iterandam.

Hæc potestas coalescit *cum Potest.* 82. *de Sacramento Confirmationis*; ideò iisdem rationibus, & propugnaculis vtraque munita, & roborata subsistit; tum quia Episcopus habet charactèrem supremum, virtute continens omnes inferiores ordines. Tum etiam quia, actiua collatio non pendet à passiua receptione, nisi de statuto, & ordinatione Ecclesiæ. Quarè non valet illud vulgare: *Nemo dat, quod non habet.* Cum verò habeat, non in re; sed in potestate, & virtute. Nec officit dictum: *Non Sacerdos, non potest Sacerdotes insignire*: nam verum est; quia Sacerdotium est de interna ratione dignitatis Episcopalis; immò, si quis esset Sacerdos absque ordinib' minoribus, verè, & realiter esset efficiens munia veri Sacerdotis, idcircò Episcopus verus Sacerdos poterit ordines conferre; quod est proprium munus ipsius. Tum quia Collatio ordinis non est ab Episcopo tamquā à causa physica, & vniuoca, sed morali, & æquiuoca, ideò nulla necessitas habendi formaliter formam, vt ipsam producat, & in praxi est, quod Episcopus non censuratus fert censuras, & Papa non habens beneficium ipsum confert; hocque de munere Potestatis, & Eminentiæ, quæ extenditur ad terminos, quos formaliter non habet; hoc sit dictum contra vim primi, & secundi dicti. Meliùs: habere ordines minores non confert vim eos posse conferre, neque hoc est munus proprium ordinum receptorum, sed dignitatis Episcopalis; ideò eorum receptio non facit inualidam collationem. Quarè mensura esset hæc: quod non habet nullo modo, induceret nullitatem effectus, at quia in casu Epus eos haberet virtute, eminentia, & potestate; ideò, &c.

Ad sententiam autem dicentium, apud Suarez, talem ordinationem esse vitiatam, Respondetur, quod si sermo sonat de vitio substantiali, & ita egère iteratione, negatur. Si verò de Accidentali, ex quo redditur illicita talis ordinatio, vsque dum suppleretur in Episcopo qđ deest, à die notitiæ, conceditur. Quapropter Iuxta

ius-

Digitized by Google

-iusmodi ordinati non erunt emendandi antè dictam notitiam, quia validè, & licitè, ignorantia excusâte, côllatos ordines habuère. Modò quo baptizatus in casu necessitatis, solis verbis substantialibus, ferri debet ad Ecclesiam ad supplendas cæremonias illius Sacramenti. Etenim de Baptismo, Ordine, & Confirmatione æquè est discurrendum pro validitate, & iteratione; Cum hæc tria Sacramenta sint initerabilia. ex Trid. *sess. 7. can. 9.*

De Episcopo conferente ordines suis Subditis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre ordines suis subditis.*

2 *De Subdito originis.*

3 *De Subdito domicilij.*

4 *De Subdito beneficij.*

5 *De Subdito familiari.*

6 *De Subdito Regulari.*

7 *Sed quid de libertinis, expositis, vel in mari, aut villa natis?*

Potestas LXXXV.

1 POtest Episcopus conferre ordines regularitèr suis Subditis, ex Trid. *sess. 23. de Ref. cap. 3. cap. 8. & cap. 10.* Vbi sic: *Sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus, quæ in huius Sacrosanctæ Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intrà quorum Diœcesis fines existant, pertineat:* Igitur Episcopo proprio erit suos subditos Ecclesiasticę militiæ ascribere, nec ei in messem alienam licebit manus imponere, seù subditos alienos ordinare, sub pœna suspensionis, in eisdem decretis apposita, in Ordinante, à collatione ordinum per annum.

Ad cognoscendum autem, quinam sint proprii Epi, faciliùs habetur notitia discurrendo de propriis subditis, respectu quorum dicitur proprius Episcopus; quia cogor cognoscere vnum ex alio in correlatiuis. Quadrupliciter diuisum reperio apud Canonistas subditorũ genus, videlicet in Originarios, Domiciliarios, Beneficiarios, & Familiares, ex quibus venit Episcopus proprius appellatus, & de omnibus his speciebus in sequentibus.

2 *De Subdito originis.*

Sudditum originis illum dicimus, qui originem duxit, vel natus fuit in loco Diœcesis, in qua est ordinandus, ex Gloss. *in cap. 1. de Vsuris, lib. 6.* Et probari potest per librum Baptismorum, in quo solent annotari nomina Baptizatorum, vt docet Rebuff. cum aliis à se citatis sectantibus ius Ecclesiasticum, *in Tract. de Pacificis possessionibus, num. 217.* nisi sequi velimus ius ciuile, iudicâs locum originis esse, id quo eius Pater natus est, & iuxta dictum ius, quidam non diiudicarunt subrectitias litteras Apostolicas impetratas in possessionem beneficii; vel pro ordinatione ab illo dicente se esse illius Ciuitatis, in qua non ipse, sed eius parens natus fuit, ob rationem assignatam à Surd. *decis. 129. num. 15.* quia sub nomine *Origo*, non dum propria, sed paterna venit, hoc est ex origine Patris dicitur filius oriundus. Aduertit tamen Couar. *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 1. num. 15.* numquam ex origine Aui.

3 *De Subdito domicilij.*

Domiciliarium appellamus illũ, qui

qui habitat in loco, vel Diœcesi, vbi ordines petit, inhabitatio tamen debet esse cum Animo residendi, & remanendi; ex qua residentia infertur subiectio domiciliaris, probatur autem animus ex transportatione mobilium ad locum, & residentia per decennalem habitationem. apud Farinac. *p. 2. rec. decis.* 188. *num.* 1. *&* 2. Ex hac regula excluduntur habitatores ratione litis, studii, & negotiorum, aut Castellani, & similium, de quibus est probabilis coniectura de animo reuertendi, apud eūdē. Eiecti autē à Religionibus sequuntur domicilium originis. At hi subiacent pœnis, & priuatione ad ordines, *ex Decr. sub Vrb.* 8. *de Apostatis, & eiectis.* 21. *septembris* 1624.

4 *De Subdito beneficij.*

Beneficiarium illum appellamus subditum, qui in illa Diœcesi, in qua est ordinandus beneficium possidet, *ex cap. cum nullus de Temp. Ord.* apud de Paz. *nu.* 398. & Ricc. *in praxi for. Eccles.* 2. *edit. resol.* 458. & procedit de possidente beneficium tenue, eò quia Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 6. loquitur indefinitè de quolibet beneficio. DD. autem cum tali beneficio residentiam requirunt, contra quosdam apud Henriquez *in Summ. lib.* 10. *de Sacram. ordinis*, sed improbabiliter. Si verò beneficium fuerit in duplici Diœcesi, ab Alterutro, quàm maluerit, ordinari potest. Semel tamen electum non potest respuère, nec relinquere. Ita Sanchez *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 23. Alia quamplurima notauit Barbos. *d. l. Alleg.* 4. *à num.* 24. cum Molfes. *in Summ. Theol. Moral. tract.* 3. *cap.* 2. cum quibus est concludendum: huiusmodi beneficiarium semel factum subditum vnius Episcopi, à quo ordinem sumpsit, variare, aut petere alios ordines ab alio non posse, nisi de licentia prioris, à quo ordinari cœpit.

5 *De Subdito familiari.*

Subditum familiarem illum dicimus: qui per triennium fuit cum Episcopo commoratus, ex dispositione Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 9. & ordinandus erit cum collatione beneficii, quacunque fraude cessante, vel consuetudine immemorabili non obstante; idemque habetur *in cap. non liceat de praebendis*, estque consilium 10 Nauar. *relatum* à Bonac. *de Sacram. cap.* 8. *q.* 1. *num.* 9. vbi decisum docet: triennium sufficere incœpisse.

6 *De Subdito Regulari.*

In subditorum numero intrant etiam Regulares, quòad ordines recipiendos, ab Episcopo loci, in cuius Diœcesi de familia cōmorantur; *ex Decr. Clem.* 8. *an.* 1599. idcircò inter domiciliarios locum obtinent. Adeoque nisi de consensu illius ad alium Episcopum extrà dictam Diœcesim transmeare possunt, prò suscipiendis ordinibus. Nec amplius valet libertas adeundi quem maluerint, *ex Bull. B. Pij v.* incipit: *Et si.* quia reducta ad terminos iuris communis, & Trid. *à Greg.* 13. *Const.* 15. Regulares verò nullius Diœcesis ordinantur à viciniori respectiuè ad Conuentum præfatum. Apud Naldum *v. Ordo num.* 26. vel meliùs inspice *Part. post. Impotent.* 25.

7 *Sed quid de libertinis, Expositis, vel in mari, aut villa natis.*

Respond. 1. Libertinos sequi originem Dominorum, & non Patris, docet Vgol. *de Potest. Episcop. c.* 26.

2. Expositos sumere originem à loco expositionis, substinent Stefan. Gratianus *discept. forens. cap.* 75. *n.* 12. Mendoza, & alii apud Dian. P. 2. *tr.* 2. *r.* 22. De Espos. dixi P. 83. *n.* 7.

Naturales sequi originem Matris, quia Pater non est legitimus, ideò re-

reprobatus à legibus; defendit Pichardus *de Nobilit. communicatiua num.* 8. Illos autem fortuitò natos, & per accidens in mari, villa, aliouè simili loco ab origine, vel domicilio Patris sumere ortum, substinent Vgolin. *ibid. num.* 5. & Felin. *de rescript. nu.* 13. & quia sunt casus accidentales, ideò non intrant legem, nec ipsa per se intendere debet dictos casus. Ideò vide Barbos. *Alleg.* 4. *&* 45. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *de Irregal. ex defectu.*

Ex hactenus dictis colligitur, quod denominatio proprii Episcopi quòad ordines, insurgit ex Diœcesi, & assignata serie subditorum, contra quosdam dicentes: Episcopum originis esse illum, qui natus, vel originatus fuit in loco Episcopatus; his autem non est credendum, quia sæpiùs Episcopus est alienigena, propterq; numquã diceretur originis, est igitur, vel denominatur talis relatiuè ad subditos, & non sustantiuè quòad se; proindè diuersimoda denominatio venit à variatione subditorum præfatorum.

De Episcopo conferente ordines in aliena Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre ordines in aliena Diœcesi, de licentia Episcopi loci.*

2 *Sed quibus subditis?*

3 *Sed quid si de licentia Viceregentis?*

Potestas LXXXVI.

1 POtest Episcopus conferre ordines in aliena Diœcesi de licentia Episcopi loci. *ex Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 5. vbi postquam vetuit Pontificalia in alterius Diœcesi exercère sub pœna suspensionis: tãdem in fine indulsit, de licentia expressa proprii Episcopi, idipsum repetit *sess.* 14. *cap. de Ref. cap.* 2. sequens Concilia Nicen. *cap.* 15. *&* 16. Arelat. *cap.* 13. Antiochen. *cap.* 3. Sard. *cap.* 18. & Aurelian. *cap.* 3. Suadetur tandem, eò quia est in partem sollicitudinis electus, ideò in illa parte iura sua exercere debet, ad differentiam S. Pontificis, cuius Diœcesis est totus terrarum Orbis, vbi illimitatus existit, pro muneribus abeundis. Præterea ne turbarentur aliæ Diœceses; vtque sciret vnusquisque, quas sibi creditas oues pascere, & gubernare debet, assignata fuit congrua portio terrarum, cũ limitibus Diœcesum, & clausula, nè alius Pastor audacter accedere possit ad alienas oues, de quibus non pertinet, sub pœna suspensionis. Placuit tandem Trid. indulgere; *de licentia Episcopi loci*, sine qua iurgia, & lites; vtque conseruetur politica Hyerarchiæ Ecclesiasticæ, in signum subiectionis ad proprium Pastorem, qui quod suum est, alteri committit, & delegat, immò in hoc casu, oues à proprio diriguntur Pastore, non per se ipsum, sed per alium, facultate intermedia.

2 *Sed quibus subditis?*

Respond. Vigore *Tridentini d. cap.* 5. Personis tantùm eidem Ordinario loci subiectis; aliis verò aliundè confluentibus cum dimissoriis suorum Ordinariorum, & de licentia Episcopi loci, apud quem se repræsentare debent: ordines conferre licèret. Notauit Mirãd. *in Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 38. *ar.* 3 *concl. vn.* Alii apud eundem docuère, licẽtiã interpetrari posse cũ specifica

facultate ordinandi omnes ad se accedentes, huic rationi inhęrētes; quia facultas concessa sequitur conditionem concedentis, qui iure proprio valet suas, & alienas, de licentia eorum, quorum sunt, oues ordinare. Item qui principale, etiam accessorium cōcedere videtur, ideò placeret tandem cernere, & coniecturare facultatem; eaque vti iuxtà tenorem illius; quod si indefinita fuerit, & absque limitatione, habet locum præfata doctrina. Cui placito adhęrent multi cum Dian. *p. 4. tr. 4. r. 144.* Sicque vetatur opinionum rumor, & securiùs proceditur.

Respectu vero propriorum subditorum Episcopi ordinantis in aliena Diœcesi, nulli dubium inesse iudico: eos ordinari posse, vi facultatis indefinitè concessæ. Tum quia licētia non est coactiua, sed fauorabilis, & indultiua. Ideò extensibilis ad proprios ordinantis. Tum atque si vigore indefinitæ facultatis posset ordinare non proprios Ordinarii Diœcesis, quare non poterit suos proprios de sui præsentia? quæ magis, fortiùsq; operatur, quam licētia? Postremò, Episcopus loci nec potest artare Ordināte, vt ordinātis pprios non ordinaret, aliàs fauor esset odiosus, & licentia imperium, & non indultum, de cuius natura est via latiori procedere. Immò si restringeret, esset nulla. Refert Ricc. *ex Sacr. Congreg.* 20. *Febr.* 1630. Bosadin *in Thesaur. Eccles. decis. res* 8. *num.* 16. Nec obstant verba Trid. *d. l.* sic: *in Personas eidem Ordinario subiectas tantum*, quia, quod restringit illa particula, dilatat præfata licentia. Saluo meliori iudicio.

3 Sed quid de licentia Viceregentis?

Respond. procul dubio posse Viceregentem, seù Vicarium in absentia legitima Episcopi à Diœcesi, iuxtà præscriptum Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap. 1. de Rectoribus.* Licentiam impertiri Episcopo alieno ordines conferre, & magis si absentia foret in partibus infidelium, vel alio simili impedimento Episcopus detineretur; tunc enim Viceregens independenter prouinciā gubernaret, in cuius humeris residet cura, & diligentia Diœcesanorum, idipsum de Vicario S. V. ob easdem rationes. Secùs dicendum de Vicario generali, Episcopo præsente intra limites. Apud Lancell. *in templo omnium lud. & Ragus. in lucerna Parochi de Sacr. ordin. q* 18. De Sede Vacua. Vide *Part. post. Impot.* 49.



De Episcopo conferente Ordines minores Nouitijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre Ordines minores Nouitijs.*

Potestas LXXXVII.

1 POtest Episcopus conferre Ordines minores Nouitiis. Ita decisum refert Aloys. Ricc. *in Curia Neapol. decis.* 118. *num. 6. p.* 4. Lezana *in Summ. cap.* 24. *num* 6. Ratio quia à nullo iure prohibetur id fieri. Nec à mutatione status quia adhùc Nouitii, & nisi p professionē non sunt exempti, essò sint sub Regularium regimine, absque tamen amissione iuris indulti, ideò consentiente Prælato, poterit ordines minores petere, eosque recipere. Ab eo tamen, in cuius Diœcesi de fami-

lia

lia degunt, tamquam domiciliarii, & subditi illius: n. uerò Religiosi dicuntur domiciliarii ex animo, & ingressu ad Religioné in illo Cōuētu probatiuo, sito intra fines illius Diœcesis, quod sufficit, ex dictis *Potest.* 83. *num.* 3. Prohibetur tamen Episcopus conferre Ordines maiores dictis Nouitiis, deficiente titulo, de quo *Potest. citata*. Etenim non sub titulo Patrimonii, nisi id haberét, Neque *Beneficii*, quia supponūtur id renunciasse. Neque Paupertatis, cum adhùc professionem non emiserint. Ideò iudicandū de his, sicut de Clericis Secularibus. *Ex* dictis consequens est: posse Superiores Religionum concedere litteras dimissoriales suis Nouitiis ad minores ordines. Multi cum Dian. *P.* 4. *tom.* 4. *Misc. r.* 7.



De Episcopo conferente Ordines Alienigenis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre Ordines Alienigenis accedentibus cum litteris dimissorialibus sui Prælati.*

2 *Sed quid si absque litteris prædictis, certus tamen de Testimonio Episcopi proprii?*

3 *Sed an dimissoria expirant nouo adueniente Episcopo?*

Potestas LXXXVIII.

1 Potest Episcopus conferre Ordines Alienigenis accedentibus cum litteris dimissorialibus. Vigore Trid. *sess.* 23. *de Refor. cap.* 8. his verbis. *Ordinationes S. ordinum — Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, — permittatur, nisi eius probitas, ac mores Ordinarij sui Testimonio commendentur*: Idipsum *sess.* 14. *de Refor. cap.* 2. *Absque sui proprij Prælati expresso consensu, & litteris dimissorijs ad aliquos Sacros, aut Minores Ordines, vel primam Tonsuram promouère, seù ordinare valeat*. Ex quibus apertè probatur: Testimonium litterarum debere esse authenticum, & requisitum, expressiuum consensus proprii Prælati, nam aptiùs huiusmodi consensus exprimitur scriptura publica, quàm oretenùs, quæ semper, & firmiter loquitur, vox verò transit, & volat; expressus denique consensus indicat volitum Principis, contra quem nulla iniuria, quia voluntariè per illum alterius iurisdictioni summittit proprium subditum, supponitque idoneitatem, & sufficientiam ordinādorum. Quapropter Trid. *d. l. cap.* 3. vult idoneos, & approbatos cum litteris cōmēdatitiis Clericos remitti ab Episcopo impedito, ad alium ordinationem habentem. Melfi *vt infrà* Iudicat (*E*piscopo presente) cuius subditi ordines petunt ab alio Episcopo, & consentiente; literas non esse necessarias; eò vel maximè, quia præsentia vrget magis, quàm litteræ, quæ si requiruntur ad vitandas fraudes ordinandorum, magis id vetat Pastoris præsentia, quæ & firmat idoneitatem, & probat sufficientiam. De præsentibus verò litteris satis dicta fuère *Potest.* 61. *&* 62. *& in sequenti.*

2 *Sed quid, si absque litteris prædictis, certus tamen de Testimonio proprij Episcopi?*

Respond. Episcopum ordinantem contrauenturum Concilio *d. c.* 8. & in suspensionem ibi minatam non effugere. Tum quia tales litteræ

sunt in formam iuris, ad suffragandum in casu absentiæ, & impedimēti, ideò non valet dicere; placitum Episcopi certum sufficere ad promouendum; litteræ enim in absentia Episcopi sunt in testimonium, & obseruantiam decreti Concilii; nec excogitanda alia remedia de numero possibilium in aufugium realium requisitorum. DD. *infrà*. Attendenda insuper est forma, seù tenor facultatis in litteris cum Clausulis, *si ab illo, vel Alio, aut Quocunque Antistite*. Et obseruandæ clausulæ prædictæ. Ordinariè tamen ponitur tenor illimitatus, *vt à quocunque alio ritè non impedito ordinari possit, & valeat*. Quòd seruari iussit *Vrb.* 8. incipit: *Secretis* 8. *Decembris* 1624. declarans *Const. Pij* 2. incipit: *Cum ex Sacrorum*. Quādo Itali petunt ordinari ab Vltramontanis, & è contrà, quorum litteræ recognoscuntur à Nuntiis, & Vicario Vrbis, sub pœna suspensionis per annum in promouente, & promotis, vsque dum à Sede Apostolica fuerint prouisi. Contra malè promotos extat Const. *Sixti v.* iam reducta à *Clem.* 8. ad terminos decretorum Concilii *d. cap.* 8. Non dicitur tamen Clericus promoueri sine licentia, Episcopo presente, vt tetigi *num.* 1. *in fine*, & tenet *Tesaurus. v. Ordo cap.* 16 *num.* 3. apud nostrum Sanctorum Melfi *super statuta nostræ Relig. cap.* 2. *stat.* 57. §. *Septima Conclusio. fol. mihi* 232.

3 *Sed an dimissoriæ spirant nouo aduenïente Episcopo?*

Respond. Negatiuè cum Salzedo *cap.* 18. *pag.* 4. quia non alligantur tamquam pœnę, sed vt fauores persistunt.



De Episcopo non Ieiuno, vel extrà Missam conferente Ordines minores.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre ordines minores, etiam non Ieiunus, vel extrà Missam.*

2 *De Prima Tonsurà, quæ preire debet ad minores ordines.*

Potestas LXXXIX.

1 POtest Episcopus conferre ordines minores, etiam non Ieiunus, & extra Missam. Multi apud Armill. *v. ordo. num.* 9. ad differētiam maiorum ordinum, pro quibus consuetudo. *ex cap. quod sicut de Electione*. Obtinuit in Missam conferri, ad reuerentiam tanti Sacramenti ordinis. Probatur nostra Potestas de minoribus sic: Tùm quia nec tempus, nec Ieiunium sunt de Substantia ordinum conferibilium, ex Glos. *d. cap.* bonus tamen vsus, & praxis obtinuit intra tempora à iure statuta conferri; hoc est in diebus veneris ante Sabbata, in quibus celebrantur ordinationes generales, de quibus dixi *Potest.* 83. *num.* 13. vel aliis Dominicis, aut festiuis diebus. *Ibidem*, Congruit quoque diebus prædictis Veneris post Vesperas; tum ad minuendum ordinandorum numerum die Sabbati. Tum etiam quia vesperæ diei Veneris dicuntur initium Sabbati, & ideò minores, qui sunt initium maiorum, tunc conferuntur post commestionem. Tum denique ad discrimen sollemnitatis requisitæ ad conferendos ordines Sacros, qui nisi in Missa, cum pompis, & ceremoniis, in Cathedrali, atque assistentia Canoni-

nicorum, publicè conferuntur. Minores verò in Sacello, à non Ieiuno, & cum minori pompa, atque tempore vespertino: etiam feria 4. Quatuor temporum. docuit Henriq. & Sanchez, apud Barbos. *de Officio, & Potest. Episcopi Alleg. 11. num. 21. in fine*. Non nego tamen, posse minores conferri in Missa, prædictis temporibus, sed quod absque scrupulo fieri potest, ostendi. De requisitis autem ad ordines abundè dixi. *Potest. 82. & 83*. Vnum hic aduertere non pigeat: Requiritur ad validitatem ordinis Sex esse: tres in Ordinante, quæ sunt Potestas, Intentio recta, & forma verborum, & tres in Ordinando: Sexus Virilis, Baptismus, & Tactus Instrumentorum. Singulorum defectus iterari debet, vel suppleri, apud Barbos.

2 *De prima Tonsura, quæ preire debet ad* Minores *Ordines*.

Preire debet ad Minores Ordines prima Tonsura, tamquam signum, & initium omnium ordinum, cuius Sacer tonsor Episcopus, subiectū autem homo baptizzatus, ętate adminùs septennii; ideò præcedentibus litteris testimonialibus, de origine, vel domicilio, moribus, & frequentia ad Ecclesiam, vel Sacramentorum, à Parocho, & Magistro Scolæ ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 5. quodvè habeat animum ascendendi ad Maiores Ordines, non verò ad fugiendum forum laicale; vt aduertit Concil. *ibid. de Ref. cap.* 11. Constitis his omnibus, initiandus ascribitur ab Episcopo militiæ Ecclesiasticę, abrenunciando sęculi pompas; induitur veste talari, & abraduntur Capilli, in signum militiæ Sacræ in partem hæreditatis Christi, à quo mercedem Laborum recipiet. Aduertit tamen Nauar. *in Manual. Episcopi. Ord. Min. cap.* 25. *num.* 17. *I*nitiatum, vel ordinatum ob humilitatem ascendere nolētem ad alium gradum, non esse contrauentorem Concilii *d. l. cap.* 11. Cōsuetudo denique conferendi simul Tonsuram, & Minores ordines retineri potest, ex Communi DD. apud Armendar. *in Recopilat. legum Nauar. lib.* 1. *tit.* 18. laudabiliùs tamen esset ex Trid. de gradu; in gradum ascendere, & cùm eis crescant Etas, Meritum, & Doctrina; Quod reliquum est de collatione ordinū, inspice à *Potest.* 82. *per totum*.

De Episcopo conferente Ordines minores, vnà cum Subdiaconatu eodem die.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre eodem die Ordines minores, vnà cum Subdiaconatu, attenta Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate.*

2 *Sed quænam sit hæc necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ?*

3 *Sed quid, si nulla adesset necessitas, vel vtilitas?*

Potestas LXXXX.

1 POtest Episcopus conferre codē die Ordines minores cum Subdiaconatu, attenta Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate. Hæc Potestas vim sumit ex illa particula Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. sic: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas Iudicio Episcopi aliud exposcat*, Nimirùm postquam in dicto Capitulo prohibitū fuit codē die ordin. minores cū

Sub-

Digitized by Google

Subdiaconatu conferri, tandem adhærendo Ecclesiæ necessitati, vel vtilitati; id submittit iudicio Episcopi, indulgendo quod antea prohibuerat. Re vera tamen hoc consuetudine probatum est, pluribus in Diocesibus. Consuetudine autem non existente, neque Praxi, solaque data necessitate, aut vtilitate, diuisiuè, quia materia submissa fuit Episcopi Iudicio; extrà dubium est, posse Episcopum vti dicta facultate, quæ non sumit robur à consuetudine, vt alii dixerunt, sed à dicto *Cap. Tridentini*, sit hoc dictum contra dubitantes aliquibus in partibus, quorum dubium fortè oriri poterat ex dubia necessitate, vel vtilitate, quæ vera debent esse realia, & non ficta ad intentum Tridentini, vel ex nouitate muneris assumpti ab Episcopis nouis habentibus id parum in vsu, vel denique quia nolunt vti dicta facultate, non posse asserunt: quod vltimum non probatur: quia data necessitate, vel vtilitate, non est liberum Episcopo vti dicta facultate, sed tenetur iuxtà exigentiam Ecclesiæ subuenire: ecce verba Tridentini (*Nisi aliud exposcat*) igitur si Ecclesia exposcit pro sui necessitate, vel vtilitate, vt prouideatur debitis ministris; tenetur Pastor subuenire dictis necessitati, & vtilitati ex facultate sibi tributa à Concilio. Quidam non defuerunt dicere; id relictum esse iudicio Episcopi, cui liberum erit dispensare. Quibus satisfit; iudicium submissum esse necessitati, & vtilitati, vt Episcopus iudicet, & videat, nec nè sint? vel appareant, & cōnstita veritate, regit se ad exigentiam Ecclesiæ.

2 *Sed quænam sit hæc necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ?*

Respond. Necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ, non posse firmo verborum tenore describi, sed iudicio Episcopi relicta, qui consideratis circumstantiis illius Ecclesiæ, de cuius græmio sunt ordinandi, aptare debet ministros idoneos ad eius gubernium, putà si pateretur incōmodum, & penuriam Ministrorum; vel ex illorum augmento magis cresceret illius decus, & honor, quod vltimum nunquam deest, iuxtà loci proportionem; ideò de iudicio recto, & fundato; Episcopus annuo tempore non expectato, vti potest facultate sibi tributa, & quidē ordinaria vi Concilii, & non dispensatiua, vt aliqui notarunt.

3 *Sed quid, si nulla adesset necessitas, nec vtilitas?*

Respond. Recurrere Conciliarem dispositionem prohibentem; vel nisi absque Papæ licentia posset Episcopus id facere. *ex cap. de eo, qui ordines suscipit furtiuè*. Nam Episcopus tenetur stare Decretis, sub pœna in contrauentores Sanctionum Tridentini. Excusarem tamen consuetudinem, si quæ haberet vim cōtra prohibitionem, eoque magis si non videtur derogata, seu nulla mētio in dicto Decreto. Ita subscribunt Nauar. *in Man. cap.* 25. *num.* 71. *vers.* 8. Heuriquez, Eman. & Vasquez, apud Mirandam *tom.* 1. *q.* 38. *ar.* 8. *concl.* 2.

Vnum hic subiungere visum fuit: necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ, quæ sunt Materia, circà quam Iudicium Episcopi laborat, suos habere gradus, pro diuersitate muneris, & gradus Ecclesiastici, enim uerò plus requiritur ad Sacerdotium, quam Diaconatum, plusuè ad Sacros, quā ad Minores ordines ex Tridentino requirente in minoribus solum arbitrium Episcopi. *In* maioribus autem necessitatem, & vtilitatem fundatam, contrà dicentes: indifferenter ad ordines, quamcunque necessitatem sufficere.

Di-

Dictis fauet *Sacr. Congregatio 7. Febr.* 1578. apud Confect. *de Priuileg fol. mihi* 170. Pro Regularibus, ad requisitionem Correctoris Generalis Minimorum sic: Quod si in aliquo Conuentu sit necessitas Ministrorum, quæ Patrum Consilio iudicatur sufficiens causa, vt alitèr fiat ordinaturo Episcopo ea referatur, cuius erit iudicare de illa. Reliqua vide *Poteſt.* 83. *num.* 12. *& in sequenti.*

De Episcopo conferente ordines maiores non seruato Annuo interuallo.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus poteſt conferre ordines maiores, non ſeruato Annuali interuallo, pro Eccleſiæ vtilitate, & neceſſitate.*
2 *Caſus notandus.*
3 *Sed num hac erit diſpenſatio?*

Poteſtas LXXXXI.

1 POteſt Episcopus conferre ordines maiores, non seruato Annuo interuallo; pro Ecclesiæ vtilitate, vel necessitate. Virtute Tridentini *ſeſſ.* 23. *de Refor. cap.* 13. vbi videri Episcoporum relictum est, ordines Sacros conferre, abbreuiato tempore Annuali; ita postquam prædefiniret saltem annuam expectationem, inter vnum, & alterum Sacrum ordinem, subdit: *Niſi aliud Epiſcopo videatur*, quæ clausula excipit Regulam in contrarium; tribuitque quod anteà prohibuerat; hoc tandem pacto concludit, quod: *Duo Sacri ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur.*

Placeat autem hîc addere: Sacros ordines intra Missarum solemnia, & publicè conferri, vt alibi dixi. Singulis ordinibus singula instrumenta præbendo; videlicet Calicē, & Patenam Subdiaconis. Librum Euangeliorum Diaconis, & Calicem cum Patena, & Hostia Presbiteris, dans eis Potestatem in singulis ordinatis, & tangentibus præfata instrumenta, quorum contactus est substantialis, & moralis; hoc est sine mora, ait Armilla *v. ordo.* Presbiteris verò duplicem dat Potestatem contrahendi, dicens: *Accipite Poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis: & Abſoluendi* dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorū remiſeritis peccata remittūtur eis, quorum retinueritis retenta ſunt:* prout constat *ex Carem. Epiſcop.* 1

2 *Caſus notandus.*

Si ante vltima verba, *Accipite, &c.* moreretur Episcopus, dico cum multis infrà. Ordinatum esse Sacerdotem habentē solam potestatem consecrandi, sed non absoluendi; apud Valent: *tom.* 4. *diſp.* 9. *q.* 1. *pun.* 5. & Sanchez *in Opuſc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 12. *num.* 20. Ita tenetur Apostolū Iudam damnatum, qui postquam fuerit Sacerdos in Cœna, prodiit suæ perditionis venenum, non expectans promissionem Spiritus Sancti, quia laqueo se suspendit. Ad controuersiam autem autem dico, suppleri debere defectum per alium Episcopum; ex cōmuni sent. DD. modo, & sensu, quo diximus *Poteſt.* 82. *num.* 15. *verſ. in caſu, & R. poſt. Imp.* 50.

3 *Sed num hac erit diſpenſatio?*

Respond. Negatiuè cum dictis in no-

nouissima potestate. Tum quia vitetur forma legis, & Trident. tum quia non discedit, nec relaxat legem, cū ipsa lex de se id vult, adeoq; non dispensat in decreto, in quo duo simul sunt, & prohibitio, & relaxatio eiusdem; in casibus necessitatis, & vtilitatis. Idcircò datis his duobus, vel altero diuisim, Episcopus obedit Tridentino, non expectandó tempus annuum, ita cum DD. suprà apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 14 *à num.* 7.

De Episcopo conferente ordines Regularibus extra tēpora à iure statuta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest probabiliter ordines Regularibus extrà tempora à iure statuta conferre.*

2 *Sed quid respondēdum dictis Potest.* 90.

Potestas LXXXXII.

1 Potest Episcopus ꝓbabiliter cōferre ordines Regularibus extrà tempora à iure statuta. Ita DD. Post quæstionem agitatam in partē affirmatiuam inclinauère non pauci ex classicis, ex quibus hæc positio redditur probabilissima, & in praxim ponēda. DD. autem huic sentētiæ subscripti sunt sequentes.

Barbos. *in Collect. DD. Trid. sess.* 23. *de Refor. cap.* 4. *num.* 4. *&* *de Episcopo Alleg.* 17. *num.* 6. habet hæc verba. Fratres Minores, & omnes, qui illorum priuilegiis concessis, & concedendis fruuntur, ex cōfirm. Clem. 8. possunt extrà tempora à iure statuta Dominicis, vel aliis festiuis diebus S. ordines suscipere.

Fr. Emanuel Rodriq *quæst. Regul. tom.* 3. *q.* 23. *ar.* 5. affert indultum Alex 6 in fauorem Monachorum S. Benedicti, *in comp. mend. v. Ordines Sacri* §. *in fine*, & Respondet ad Concilium *d. l. c.* 8. quod nō derogat, neque reuocat ibi priuilegia Regularium: ex non apposita Clausula *non obstantibus quibuscunque* vt fieri solet: docetque, nec obstare similiter *cap.* 22. *sess.* 25. in quo apertè videtur reuocare priuilegia Regularibus cōcessa contraria decretis Concilii, inquit: intelligi de decretis in eadem *sess.* 25. appositis, non verò de illis aliarum sessionum. Pariter respondit ad Gregor. 13. & Sixtum v. confirmantes priuilegia Regularium cum Clausula *dummodò non sint contraria decretis Concilij*. Sic non confirmat, ex quo nō sequitur, ergo reuocat; etenim in 1 stricto iure non sequitur à contrario sensu, idcircò in suo robore, quo erant, remanent; licèt non confirmata. Affert denique indultum Greg. 13. pro Patribus Societatis Iesu, vt possint etiam extra tempora ad S. ordines promoueri *in comp. Soc. tit. ord.* Cum prohibitione Communicationis huius gratiæ, quam Clausulam ait: non impedire quo minus 1 alii posteriores Pontifices potuerint aliis Religionibus dictam concessionem communicare; quarè nulli dubium est Fratres minores posse dicto quoque priuilegio frui ex confirmatione Clem. 8. cuius confirmatio nè dum firmat, sed innouat concessiones, & indulta à S. Apostolica reuocata, & per consequens estò Priuilegium suprà dictum Benedictinorum sit à Sixto v. reuocatum, per Clem. 8. in sua cōfirmatione. fuit

Fuit reualidatum, & innouatũ, & in fine d. Articuli fatetur vidisse Epistolam declaratoriam ostensam ab Episcopo Petro iunco de Pedosa. Clem. 8. sic. Ordines Minores diebus festiuis, etiam semiduplicibus conferri posse; hæc Rodriq. *d. l.*

3 Portell. *dub. Regul. v. Ordines Sacri num.* 4. refert concessionem Clem. 8. factam Patribus Congr. S. Ioann. Euang. *sub datum* 23. *Nouemb.* 1596. vt possint extra tempora tribus Dominicis, vel festiuis cõtinuatis, aut interpollatis, non seruatis interstitiis, ordinari; quod breue se vidisse testatur *in Bullar. d. Ord.*

4 Tamburinus Iesuita *lib. 7. cap.* 10. *num.* 18, cum aliis affert bullam Greg. 14. pro Teatinis. & Gregor. 15. pro Patribus Barnabitis, ex Marchino *de Sacr. Ord. tom.* 1. *p.* 7. *cap.* 7. *num.* 6. & Hurtad. *in Moral. p.* 1. *tr.* 12. *cap.* 1. *n.* 1848. hẽ hæc verba: hoc priuilegium magnum esse, & illi sine scrupulo se posse Episcopos conformari.

5 Conradus vir in Cancellaria Apostolica hac nostra tempestate peritissimus *tom. de dispensationibus lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 3. idem notàuit, & docuit.

6 Layman *Teol. Moral. lib.* 5. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 2. adducit S. Cong. decretum sub Greg. 13. in fauorem dictæ sentẽtiæ, relatũ à Hyeron. Rodriq. *in Comp. qq. reg. r.* 105. *n.* 7.

7 Diana pluribus in locis P. 3. *tr.* 2. *r.* 31. *&* P. 5. *tr.* 13. *r.* 57. Donatus *in praxi Reg. tom.* 1. *tr.* 7. *q.* 8. Ioan. de la Crux *de statu Regul. lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. Martin. de S. Ioseph *Man. confess. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *de ord. num.* 13. & alii cum illis eiusdem sententiæ sunt.

8 Miranda refert indulta Alex. 6. & Eug. 4. sed tamquam anteriora ad Cõcil. Trident. impugnat, quæ secundum Rod. *num.* 2. sunt reualidata.

9 Lezana *in Summ. v. ordines Sacri num.* 19. notauit concessionẽ Fratribus Minoribus factam in Indiis ab Vrb. 8. ab aliis Regularibus ibi participabilem. Supradicta Priuilegia habet suspecta, at testibus visualibus magis credendum, quam suspectis.

10 P. Bellutus nouissimè *in Opuscul. Moral. Catanæ Impressis ann.* 1679. *p.* 2. *resol.* 19. positam habet sententiam, dicens; Non semel practicatam fuisse in hoc Siciliæ Regno ab Illustrissimis Præsulibus Montis regalis, Catanensis, Pactensis, & Agrigentini, è quibus omnibus probabilissima opinio insurgit à tot insignibus DD. aggregatisque Apostolicis fauoribus, defensa.

Probatur 2. adhiliùs statuta tempora ab Anacleto, & Gelasio *in* 75. *dist. tom.* 1. *de tempor. ordin. facta ann. circiter* 492. Sunt sex Sabbata pro Sacris ordinibus, primi quatuor sunt anni tempora, quæ ieiuniis ab Ecclesia celebrantur, post Cinerem, Pentecosten, Crucem, & lucem, & duo Sabbata, post Dõ. 4. Quadr. & Sabbato Sancto, de quibus fusè *Potest.* 83. *num.* 13. In quibus tamquam in fixis, determinatisque ac statutis temporibus ordinationes Presbiterorum, leuitarum, & Subdiaconorum habentur; extra quæ nisi de facultate, & fauore S. Sedis Apost. absque censurarũ incursu non licet Epis S. ordines conferre. Placuit tamen eidem S. Sedi tempora fixa cum Regularibus dictis in diplomatibus relaxare. Vel meliùs in alios dies Dominicos, vel festiuos commutare, iustis èquidem de motiuis, & causis ad licitam legis commutationem. v. g. ob peregrinationem, laborem, sanguinis effusionem pro fide Catholica tuẽda, prout eidem S. Sedi multotiès vi-

sum fuit liberè leges condere, dilatare, relaxare, confirmare, vel infirmare, innouare, reualidare illas fixas, ad seruandam Regularium militiam vnitam dicendo; indulgemus, & pro indultis haberi volumus; iubemus effectum suum sortiri, ne inania, vel inutilia redderentur. Quorum indulta ab illimo Romano fonte manàre dicuntur, à quo leges, Canones, bullæ, & decreta pro Ecclesia Catholica regenda, & gubernanda, à Spiritu Sancto recta per Pastorem suum Vicarium in terris, in cuius gubernio, & naui Petri regenda modò trahit, modoque relaxat cordas ad velas, prout occurrunt ventorum varietas, maris opportunitas, & aeris serenitas. Nil igitur mirũ si indulta Alex. & Eug. ante Concil. abrogat, si per sequentes concessiones reualidat; prout in dies, per breuia ordinantur Clerici, in tribus diebus festiuis, vel ante fixam ætatem, non seruatis interstitiis Addunt denique alii dicentes; Regulares in tali temporum commutatione non ordinari extra tempora, sed statutis ab Ecclesia, & si non per legem communem, saltem per particularem indultorum.

11 Peyrinus *tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 7. num* 11. Miranda, & alii fatentur dicta Priuilegia, sed negãt illorum vsum, contra quos est Villalobos *in Summ. tom. 7. tr. 11. diff.* 12. *&* 13. dicens; viros doctrina, iurisque consultos celebres iis vsos fuisse, quibus innixi Præsules vsque nunc non dubitant in praxim positã opinionem sequi.

Cui doctrinæ si ex contrariis insurgunt dicentes; id esse aduersus Bullas *Pii* 2. *Cùm ex Sacrorum*, 15. *Kal. Octobris* 1561. & Sixti v. incipit: *Sãctũ & salutare. ann.* 1588. contrà malè promotos. Verum tamen, quæ hæc Sixtina fuit à Clem. 8. incipit: *Romanum, ann.* 1591. *Prid. Kal. Mart.* reducta ad terminos Pii 2. & Concilii. Resp. 1. dictos Regulares, promoti, & promouentes in nullas incidere pœnas, quæ tantùm minantur eos, qui temerè, & malitiosè absque legitima facultate, vel absque dimissoriis, ætate, titulo, & tempore accederent, & ordinarentur, quæ omnia non procedunt contrà Regulares, accedentes pbabiliter vigore dictorũ Priuilegiorum ex sententia tot DD. in Sacris Canonibus peritorum; ideò probabilissima opinio ie laborãtes, & accedentes non dicuntur Rei Pianæ, Sixtinæ, vel Concilii constitutionum.

2 *Sed quid respondendum dictis Potest. 90.*

Hactenus dicta non contraire positis *in Potest. præfata* 90. quia bullæ, & decreta sunt in subsistentiam Trid. cuius obseruantiam intendunt, absque præiudicio dispensationis Apostolicę, huc vsque non derogatæ; vt per tot Doctores probatum est: ideò satis.

De Episcopo conferente S. ordines Regularibus, titulo Paupertatis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre S. ordines Regularibus professis titulo Paupertatis.*

2 *Sed num dicta Potestas extendatur ad Nouitios, & nulliter professos?*

3 *Sed quid de Patribus Iesuitis?*

4 *Sed quid de tacitè professis?*

Po-

Potestas LXXXXIII.

1 Potest Episcopus conferre Sacros ordines Regularibus professis titulo paupertatis, ita ex Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 2. vbi & si sermo sit de Clericis Secularibus, facta tamen fuit extensio ad Regulares professos à *B. Pio. v.* incipit: *Romanus Pontifex idibus Octobris* 1568. de quo titulo dixi *Potest.* 83. *n.* 10. & de cuius sufficientia ad decoré, atq; sustentationem vitæ, satis expertum est. Tum quia voluntaria paupertas Religiosorum inter opes meliorem occupat locum, ex oraculo Apost. *ad Corin. cap.* 6. *nihil habētes, & omnia possidentes.* Ideò arcentur ab ordinibus hi, qui absque vllo ex approbatis titulis, & sufficienti sustentatione accedere audèrent, quia turpè, indecorumque est Dei Ministros Altaribus seruientes imis, vilibusq; addictos esse, vlcisceret insup sublimitas, & diuina delubria euaderent. Caueant igitur Ecclesiasticæ militiæ ascripti, hominum seruituti, seù vilibus artibus abdicari, ꝓpterea à Trid. de remedio prouisũ est, vt nemo accedere posset absq; sufficienti titulo: Regulares igitur professi paupertatem vouentes, abrenunciantes huius Mũdi diuitias, humilique quæstui abdicati, eleemosynas ostinatim quærentes, Deo vacent securè, abundèque viuunt, quod sufficit ad titulum requisitum. Videant huius mundi diuitiarum amatores, Euangelicæ paupertatis diuitias, quæ cænobia implent, cælites ornant, pauperes ditant, clamatque omnia vẽdere, & dare pauperibus ad inueniendum in Agro Tesaurum Euangelicum. De quo factæ sunt expensæ pro construendis in orbe Cænobiis, & puellarum Monasteriis, & mirum in modum, eius diuitias celebrat Minoritica turba, etiam in partibus infidelium diffusa, & de vbere prouidentiæ Diuinæ satiata. Quapropter mirum non est si Trid. *in cap.* 2. *citato* non meminit de Regularibus, quia supponit id de indubitato iure, & ad maiorem explicationem facta fuit extensio à *B. Pio v. Bull. cit.*

2 *Sed num dicta Potestas extendatur ad Nouitios, vel nullitèr professos?*

Respond. Negatiuè, quia titulus approbatus paupertatis sufficiens ad ordines Sacros debet esse de paupertate votata in professione, quæ dat securitatem sustentationis. Nouitii, & nulliter professi non gaudẽt tali titulo, quia recedere possunt, & inter Seculares reputantur: idcircò si huiusmodi ad Sacros ordines accederent, pęnas à iure, & B. Pii prædicti sancitas non euàderent, vt in terminis denuò sanciuit *S. Congregatio* 3. *Martij* 1595. Refert Garzia, & recitat Barbos. *de Episcopo Alleg.* 19. *num.* 4.

3 *Sed quid de Patribus Iesuitis?*

Respond. Dictos Patres cum posita Potestate recurrere, posseque licitè, validèq; ordinari, quibus sufficiens est prima eorum professio trium votorum simplicium, immediatè sequens probationem, ita declarantibus *Paulo v. Greg.* 13. & 14. constitutionibus recensitis *Potest.* 83. *v. Titulus num.* 10. Nec obstat si eorum aliqui exire possint, quia ab eadem Sede Apostolica huic facto prouisum luculenter fuit, & Sacra Congregatio annuente *Sixto v.* apud *Molfes. cap.* 15. *num.* 12. ita delarauit quòad Iesuitas, *Cum post Sacerdotium exire non possint, nisi à Superioribus eiciantur; prouideatur illis de Redditu* 40. *aureorum annorum ex bonis Religionis. Quòad alios, qui arbitrio suo exire, quando* ve-

volunt, possant; ne detur illis occasio exeundi, vt fruantur illo redditu, vocentur priùs, & intelligatur, qua alia via prospici possit, deindè maturè deliberandum. Vigore dicti, quidam Ioannes Gentilius à Societate dimissus alimenta petiit coram Iudice, & illius sententia fuit exclusus, vt refert Facundez *tom. 2. decalogi lib. 7. cap. 6. num. 5. §. Tertio quia*. Rationem adducunt PP. quos Religio in delictis purgat, non debet alimentorum præmio remunerari; deindè Religio illis relinquit vsum rerum in sæculo ritè acquisitarum, hæc Facundez *d. l.* §. 4. & 5. Dian. *p.* 10. *tract.* 11. *resol.* 68. inspiciendę tamen constitutiones pręfatæ *Greg.* 13. incipit: *Ascendente* 25. *Maij* 1584. & *Cōst.* 14. incipit: *Ecclesia Catholica ann.* 1591.

4 *Sed quid de tacitè professis?*

Respond. Eosque comprehendi dicta sub Potestate; currentibus tamen conditionibus recensitis à Sanchez *lib. 5. cap. 3. à num.* 14. & recitat Bordonus *in Controuers. Moral. controu.* 20. *num.* 11. absque nota pęnarum contrà malè promotos. Ratio quia verè professi, professione tacita, & impressa, facta per annuam probationem, excessum 16. annorum, gestationem habitus professorũ; consensum tacitum Superiorum; atque per proprios actus Professorum. quæ omnia concurrere oportet ad tacitam, veramque professionem; nec dicas huiusmodi professionem sublatam à Trid. *de Regul. & Monial. sess.* 25. *cap.* 15. quia sermo indefinitus professionis comprehendit tacitam, & expressā, vt docuit Barbos. *in eodem cap. nu.* 37. & sequitur Bordon. *d. loco à nu.* 2. vbi de hac re quamplurima aduertit. 1. Professionem tacitam non habere locum in illa Religione in qua prescribitur forma recitandæ professionis determinatis verbis: quia expressè requisitum facit cessare tacitum. 2. Nec eamdem esse cum ratificatione professionis. 3. Actus proprios professorum esse ferre suffragia in electione, consensum præstare in instrumentis, vel aliis à quibus excluduntur non professi. 4. Gestatio habitus, susceptio ordinum, accessus ad Chorum, & officium Prioratus simpliciter non probant professionem tacitam. Primum quia habitus debet esse materialiter, & signatè distinctus ab habitu Nouitiorum. Secundum quia accessus est communis Professis, & Nouitiis, & Tertium, quia officia nulliter conferuntur nisi expressè professis, *ex cap. nullus* 28. *de Vitiis, & cap. Indemnitatibus* 43. *de elect. in* 6. 5. Metus reuerentialis non inducit illam; hodiè tamen tacitè professus cōgitur ad expresse profitendum: hæc Bord. *d. loco num.* 19. Episcopus igitur de litteris testimonialibus sui Prælati colligere potest professionem, sin minus ordinare non potest, absque alio titulo Patrimonii, vel Beneficii, sicut dictum est de Nouitiis. Vel prout aliqui Episcoporũ obseruarūt in Subd. iuramentum exigunt à Regularibus spontè professionem sollemnem emisisse, vt benè notauit P. Gauan. *in Enchiridion Episc. v. ord. ma. n.* 18. Aliis autem Episcopis placuit ante Subdiaconatum cogere Regulares ad ratificandam professionem, ibidem Gauant.



De Episcopo conferente munus Prædicationis.

Sun-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre munus prædicationis Sacerdotibus, vel Clericis idoneis.*
2 *Sed quid de licentia Regularibus præstanda?*
3 *Sed quid de electione, seù deputatione Concionatoris?*
4 *Sed quid de Eleemosyna?*
5 *Sed quibus temporibus solita est Prædicatio Euangelica?*

Potestas LXXXXIV.

1 POtest Episcopus conferre munus prędicandi Sacerdotibus, vel Clericis idoneis. Ita Trid. *sess.* 5. *de Refor. cap.* 2. *& sess.* 24. *de Ref. cap.* 4. De Clericis idoneis Sacris insignitis, tenet Nauar. *cons.* 2. & non insignitis refert decisum Rōdina, *in Prōmptuario tit.* 17. *num.* 24. Vgol. *de Episcopo cap.* 42. §. 2. *num.* 1. Henriq. & alii, vt meliùs dicam *Potest.* 219. & quia præcitata iura dicunt: hoc munus exerceri; *per se, vel per alios*, sensus est quod Episcopus tenetur sub graui, & lætali culpa suis ouibus diuini eloquii, pabulum verbo, & exemplo, ministrare, ita docet Laur. de Franch. *in controu. mihi pag.* 150. Eo autem legitimo impedimento detento, fit delegatio in personas idoneas, puta Sacerdotes ob dignitatem officii, & personatus, quibus congruè fit delegatio, sine qua ex munere proprio prędicare non possunt, cum sit actus iurisdictionis, & non ordinis; ex illo Apostoli *Rom.* 10. *Quomodò verò prædicabunt nisi mittantur*. Quapropter Innoc. 3. *in cap. excommunicamus* § *quia verò de hæret.* Mādat excommunicare eum, qui officium prædicationis assumere præsumpsit, ante obtentam licentiam à Sede Apostolica, vel Episcopo Diœcesano. Quidam dixerunt: hoc munus esse proprium Diaconorum, ergo fortiùs presbiterorum, sed perperàm, quia Diaconis tantùm conuenit in Missæ sacrificio S. Dei Euāgelia populo legere, & publicare, quod est aliud à prædicare, & pascere fidelium mentes, doctrinis, Sacrisque locutionibus SS. PP. quo in munere requiritur litteratura, præcellentia, & maturitas; ideò Trid. *d. loco* ait: proprium Episcoporum esse, vt possint liberiùs tamquam docti, & eruditi alios instruere in doctrina sana, & contradicentes arguere; quibusq; locutus Saluator in personam discipulorum; *Ite prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Dixi adhùc clericis non insignitis: quia prædicationis munus ordines Sacros in subiecto requirit, pro decore, & excellentia officij, dato tamen ęquiualenti in subiecto, ex defectu aliorum, poterit Sacrum munus prædicationis delegari illis idoneis prout vidi in Ciuitate herbita Archiepiscopatus Messanensis, quendam Clericum orbatum sufficientem prædicare, & sermocinare de Archiepiscopi licentia.

In ipso tādem prædicationis munere, persona electa summa prudētia, & maturitate docere debet, Quid credendū? hoc est in Mysteria, & Articulos fidei. Quid amplectendum? hoc est legem Diuinam, Ecclesiasticam, & Virtutes. Quid vitandum? scilicet peccata, & obnoxia. Quid timendum? videlicet supplicium Gænnæ, & iram Dei. Quid sperandum? hoc est præmium vitę æternæ, idque maxima qua decet breuitate. Audiant Concionatores verbi Dei sanum S. Francisci cōsilium in Regula *cap.* 9. *Moneo, & exortor eosdem fratres, vt in prædi-*

ca-

Digitized by Google

catione, quam faciunt, sint examinata; & casta eorum eloquia — annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate sermonis; quia verbum abreuiatum fecit Dominus super terram; ideò de munere satis, meliusque *in Potest.* 209.

2 *Sed quid de licentia Regularibus præstanda?*

Respond. 1. Regularibus volentibus prædicare in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, licentiam obtinendam esse ab Episcopo loci, ex dispositione Trid. *sess.* 5. *cap.* 2. *de Ref.* præuia tamen licentia, & approbatione suorum Superiorum *ibid.* Fideique professione emissa ante licentiam, non verò ante muneris assumptionem ex B. Pio v. si expedire videbitur, refert decisum Armendar. *in add. ad recopil. legum Nauar.* & notat Barbos. *de Episcopo Alleg.* 76. *num.* 35. Pro Ecclesiis autem suorum ordinum licentia sufficit petita, licèt non obtenta; nouissimè *Clem. x.* incipit: *Superna* 11. *Kal. Iulij* 1670. cuius verba sunt hæc.

Regulares, qui in Ecclesiis sui ordinis prædicare voluerint teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quãuis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem ne dum non concesserit; sed etiam contradixerit; nec in prædictis quidem Ecclesiis licère Regularibus *prædicare; eosque contrauenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiastici in vim Constitution. fel. Record. Greg.* 15. *Predecessoris nostri*, incipit: *Inscrutabili Dei prouidentia: coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, & rationabili causa contradicere non debere, & huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere; si in quibuscunq; Oratoriis sui ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesiis, aut Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis, & nullus Secularis ibi interfit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamuis ab vniuersitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam, absque examine concedere consueuerint; quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam, ob rationales causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum ordinum prædicent — Priuilegiis eorum non obstantibus.* Hæc Clem.

3 *Sed quid de Electione, seù deputatione Concionatoris?*

Respon. In Cathedralibus Ecclesiis, quacunque immemorabili consuetudine remota, ad Episcopum pertinère Cõcionatoris electionem, & decisum refert Armandar. *d. l. à num.* 11. In Aliis verò Ecclesiis locum habet inueterata consuetudo. Huiusmodi discrimen est, quia Cathedralis est propria sedes Episcopi, vbi personaliter tenetur Verbum Dei proferre, vel eo impedito per alium à se delegatum. *In* aliis verò consuetudo legitimè præscripta seruanda est, propterea facta electione per alios; Episcopo erit confirmare, vel infirmare ex causa, verum quippè, nulla data consuetudine, & nisi Parochus per se prædicare volue-

fuerit, ad Episcopum spectat deputatio, & in Cathedrali consuetudinem relinquere pro eleemosyna largienda, vel ad lites sedandas. DD. *citati*.

4 *Sed quid de Eleemosyna?*

Respond. satis dictum esse *Potest.* 52. *num.* 2. de Episcopo cogente, laicos ad soluendam Eleemosynam, enim verò labores prædicantium sunt prętio compensabiles, idcircò non debent illo fraudari, ex iusta lege, qui spiritualia seminant, temporalia metunt; nec obstat illos esse de Religione incapaci pecuniæ; puta Fratr. Minorum, quos satisfieri oportet, si non pecunia propter incapacitatem, ex instituto, saltem alijs beneficiis ad subleuandas Conuentuum, & fratrũ necessitates, scientes quod si pecuniam petere, & recipere nequeunt, eleemosyna ad substentandam eorum vitam, fraudari non debent, Nam pretium laboris recipere possunt, *ex eorũ Reg. c.* 5. sic: *De mercede laboris corporis necessaria recipiant*.

5 *Sed quibus temporibus solita est Prædicatio Euangelica?*

Respond. Temporibus Ieiunorũ, ex Trid. *d. loco.* idest Quadragesimæ, & Aduentus, vt moris est, quotidiè, vel Dominicis, aut tribus diebus in hebdomada; aliis verò temporibus nisi dominicis diebus consuetum est, *de eodem Trid.* & notat Eman. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 63. *ar.* 19. Adde incidenter, tempore etiam cuiuslibet interdicti prædicari posse; cùm tale munus non sit actus ordinis, sed iurisdictionis, ita tenet Fuscus *de Visitatione lib.* 1. *cap.* 14. *nu.* 13. Henriq. *in Summ. lib.* 13. *cap.* 44. & alii apud eosdem.



De Episcopo conferente Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, tempore interdicti Generalis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre solemnitèr Sacramenta Baptismi, & Cõfirmationis tempore interdicti generalis.*

Potestas LXXXXV.

1 POtest Episcopus conferre solẽniter Sacramenta Baptismi, & confirmationis tempore interdicti generalis. Ita ex variis iuribus tenet Barbos. *de Episcopo All. g.* 39. *n.* 13. præsertim *ex cap. Responso* 43. *de Sentent. Excom.* cuius sensus est de interdicto generali locali, & speciali: posito tamen quod causam nõ dederint: prout iura communiter clamant, apud Auilam *de Cens. p.* 5. *sect.* 1. *dub.* 4. *concl.* 3. Suarez, & alios. Probatur itaque breuiter: huiusmodi Sacramenta sunt ianua per quam ingreditur Christiana familia ad alia Sacramenta, propterea priuilegiata in illa clausula, (*præter Bapt. sm. parvulorum, & Pœnitentias*) per Baptisma intelliguntur duo Sacramenta *Baptismus*, & eiusdem *Confirmatio*, & *Viaticum*, quod est alia ianua, à qua egreditur Christianus ad Cœlum euolans. Hocque de iure communi à nullo correptum apud DD. Præmunt quidam dicere Confirmationem esse aliud à Baptismate excepto in illa clausula, quibus satisfit: esse aliud sic, confirmatiuum illius, quod si licebit pueros baptizare, abs re non erit illos in-

fron-

frontibus deliniri Sacro Chrismate, in quibus vigilantiùs S. M. Ecclesia procedit, ianuam semper habens apertam, nullo impedimento detentam, ad ingrediendum inuitans, ideò præcæteris voluit dicta Sacramenta priuilegiata. Quamplurima dicta sunt de hac materia *Poteſt.* 82. & dicenda *P. poſt. Impot.* 19. videto ibi.

De Episcopo conferente Ecclesiam in commendam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus poteſt conferre Ecclesiam in commendam, Parochiali excepta.*

2 *Sed quid, si Commendatarius obierit?*

3 *Sed quid de Ecclesia non egente alio Vicario, cũ sufficientes fuerint Ministri Rectoris defuncti, vel Resignatarij?*

Poteſtas LXXXXVI.

1 POteſt Episcopus conferre Ecclesiam suæ Diœcesis in commendam, Parochiali excepta. Ita Doctores infra. Ecclesiam commẽdare nil aliud eſt, quam si fuerit destituta, per obitum, aut resignationem, alteri commendatur idoneo, donec de proprio fuerit prouisa. Ita notauit Borrell. *tom.* 1. *tit.* 31. *nu.* 16. quæ prouisio fieri debet per legitimas formulas, & concursus ab Episcopo ob superintendentiam iuris, quam habet ad omnes suæ Diœcesis Ecclesias, nisi aliud ex priuilegio contingat, *in cap. Nemo deinceps, & cap. plures.* 12. *q.* 1. vt notauit Azor. *inſtit. Moral. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 31. *quæſt.* 11. in quo docet prouisionis discrimen ab Episcopo sedandum intra semestre, ita exigentibus Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate; vacantia verò perseuerante, ob litium dilationes fit prorogatio ad aliud semestre. A Papa verò absque vlla temporis prędefinitione. Ratio, quia de iure procedit, cui non abstringitur Papa. Pro Ecclesiis autem Parochialibus accedit alia dispositio Trid. *seſſ.* 24. *de Ref. cap.* 18. quo Episcopus tenetur à die notę vacantis Ecclesię Parochialis. *Idoneum Vicarium cum congrua, eius arbitrio fructuũ portionis aſsignatione, conſtituere: qui onera Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur*, vt ipse notabo *Poteſt.* 109. Itaque si primo Parochialis quoque dabatur in commendam, modo de iure correpto debet seruari forma pręscripta à Trid. *d. loco.* Per aliis verò Ecclesiis exemptis, vel Regularibus, solus Papa commendat in casu vacantię; ita Apud Azor. *d. loco. quæſt.* 15.

2 *Sed quid, si Commendatarius obierit?*

Respond. Vacationem prouidendam, vt priùs, quare attendi non debet mensis obitus Commendatarii, aut Resignatarii, sed à quo incepit nota vacationis, hocque nẽ secundus Commẽdatarius excedat semestre, vt aduertit Nauar. *in Man. cap.* 25. *num.* 126. Flam. *de Reſignat. lib.* 2. *q.* 19. Sayr. & alii apud Tul. *deciſ.* 25. *lib.* 1. *num.* 6.

3 *Sed quid de Eccleſia non egente alio Vicario, cũ ſufficientes fuerint Miniſtri Rectoris defuncti, vel Reſignatarij?*

Respond. Illos proculdubio posse ab Episcopo substitui, confirmari, & deputari cum debitis portionibus

bus, modò sint magis idonei ad Ecclesiæ seruitium, immò hi præferendi; & si posset institui vicinus Vicarius, per quem præstabile foret munus commendæ, ei commendari debet, nec opus esset alium substituere: ex verbis Trid. (*si opus fuerit*) ergo ad libitum Episcopi subuenitur indigenti Ecclesiæ. Addo deputationes huiusmodi fieri posse absq; forma concursus, qui solum præscribitur à Tridentino pro Parochis, ita notauit Nicol. Garz. *de Benef. p.* 4. *cap.* 2. *num.* 16.



De Episcopo conferente officia Episcopatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conferre omnia officia sui Episcopatus quibus maluerit.*

2 *Sed quid de officio à suo Antecessore collato, & à Sede Apostolica confirmato?*

Potestas LXXXXVII.

1 POtest Episcopus conferre omnia sui Episcopatus officia, quibus maluerit, ita substinent Afflict. *decis.* 101. Molin. *de Primog. lib.* 1. *cap.* 25. & alii *in Clement. de Procurationibus.* Et fundatur in pleno sui regiminis dominio, quo vigilans, personas aptat idoneas, ad illa officia iuxtà pondus, & mensuram illorum. Quapropter Vicariatus, Aduocatorum Fiscalium, Notariatus, & similium, Personis in tali noticia, & praxi expertis confert, nè reprehēderetur à Paulo, *ad Tim. c.* 1. vt ne sciens domui suæ præesse. Tū quoq; quia ita dictat Pastoralis sollicitudo de bono regimine. & prudentiùs ageret, si primo sui ingressu nouitatem aufugeret, vsque dum experiretur personas à suo Antecessore positas, quas posset prò libitò confirmare, vel amouère; ita plures consueuère, & est conformis doctrinæ Cauell. *q.* 425. *num.* 11. vbi docet officia ab antiquo concessa amoueri non posse ab Officialibus; quia longeua diuturnitas facit titulum.

2 *Sed quid de officio à suo Antecessore collato, & à Sede Apostolica confirmato?*

Respond. Episcopum teneri sequi conditiones confirmationis, à qua collatio vim immobilem sumere dicitur. Ita Ripa *in cap.* 1. *num.* 14. *de Iudic.* Idipsum si officium fuisset collatum ab Episcopo simul cum capitulo, non posset de facili amoueri absque consensu Capituli, iuxtà illud *à qua construitur ab eadem, & resoluitur*, ita *in cap. liberi* 12. *q.* 2. *apud eosdem.* hac de re vide *Impor.* 139.

De Episcopo cõpellente quascunque personas etiam exemptas ad soluenda legata pia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere ad soluenda legata ad pias causas.*

2 *Sed quænam sint legata ad pias causas?*

3 *Sed quid de legatis ad causas profanas?*

Digitized by Google

Potestas LXXXXVIII.

1 POtest Episcopus compellere prosolutionibus ad pias causas, est de iure *In cap. Quia contingit de Religios. domibus*, & Trident. *sess.* 22. *de Ref. cap.* 8. vbi ad eruendas de medio difficultates ex priuilegiis, & exemptione oriundas, Episcopis indultum fuit procedere, etiam tamquam delegatos S. Apostolicç in fauorem vltimarum, vel Defunctorum piarum voluntatum, vt quod Deo, Sanctis, vel Pauperibus relictum est, inuiolabiliter seruetur, ex iusta lege *Promittens tenetur stare promissis*, adeoque pro adimplendis huiusmodi operibus, cogit Episcopus omnes, & singulos etiam laicos, hęredes, vel executores, molestiis, atque pœnis Ecclesiasticis. Ita notant Ricc. *in collect.* 714. & Abbas *in repet. cap. Cum officio.* Nec valet quorundam dictum; delictum esse mixti fori, etiam si executores fuerint laici, cum sit iusti, & competentis fori Ecclesiastici ratione causę, & non personę, quę benè submissa dicitur Ecclesiasticę Iurisdictioni, ratione delicti, quo soluere renuit: propterea cogendus ab Episcopo. Nec valet exemptio ob delegationem in Episcopo à Sede Apost. ex Trid. *d. loco.*

2 *Sed quęnam sunt legata ad pias causas?*

Respond. Vltra dicta P. 56. *num.* 2. *de Comm. legat.* inquam legatum ad pias causas dici.

1 Relictum pauperibus ad sublevandam illorum miseriam, in victu, vel vestitu. *Ita* Menoch. *de præsup. lib.* 4. *q.* 115. *num.* 17.

2 Relictum alicui Religioso, vel alteri, causa studii in vniuersitatibus, pro eorum sustentatione, & subsidio doctrinę. Tiraq. *de pia causa in præf. col.* 12.

3 Relictum pro Anima sua, vel existentibus in Purgatorio, aut in peccato, vt Dei ope reuiuiscant ad gratiam.

4 Relictum pro Ecclesia, eiusque supellectili, ornamentis, & luminibus, cœmiterio, & cappellis, Concionatoribus, Rectoribus, aliisque ministris, quę omnia sub nomine Ecclesię veniunt.

5 Relictum pro celebratione Missarum, & omnibus dictam celebrationem concernentibus.

6 Relictum pro alimentis Clericorum Ecclesię inseruientium.

7 Pro Monasteriis, Locisque piis, Hospitalibus, Seminariis, & Orfanis.

8 Pro maritandis puellis, egenis, vel filiabus egenorum.

9 Pro redimendis captiuis, Quę omnia, & similia dicuntur pia, facta ex Mortis cogitatione, amore virtutum, vel remissione peccatorum, *ex cap. Pontifices* 12. *q.* 3. Relicta vero pro reparatione pontium, & viarum custodia, vel similibus bonũ publicum concernentibus, dicuntur largè ad pias causas, Ita Barbos. *de Episcopo Alleg.* 82. *num.* 14.

3 *Sed quid de legatis ad causas profanas?*

Respond. cum multis apud Dian. *p.* 3. *tr.* 1. *resol.* 21. Episcopum anno elapso posse, compellere hęredes, vel executores ad solutionem dictorum legatorum, vt defendit Panor. ex variis iuribus, docẽs: Episcopis concessam esse facultatem adimplendi voluntates defunctorum, in eorum profectum, & sequitur Molin. *de Iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 295. *num.* 5. Valet etiam quãdo Iudex laicus non esset sedulus in administranda iustitia, adhuc quãdo vellet, Episcopus procedere ex iustitia, vel ad instantiã partis, apud eosdem.

De

Digitized by Google



De Episcopo compellente hæredes ad legata pia soluēda, etiā si Testator interdixisset Episcopum se intromittere.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere hæredes ad legata pia soluenda, etiam si Testator probibuisset Episcopum se intromittere.*

Potestas LXXXXIX.

1 POtest Episcopus compellere hæredes ad legata pia soluenda, etiam si Testator prohibuisset Episcopum se intromittere. Ita DD. infra, & quia Potestas sola Clausula differt à Pr.Pot. ideò hic examinabitur vis clausulæ, quam dico pro non apposita censeri, *ex cap. Tua nobis de Testamentis*, colligunt quamplures apud Alfonsum de Leon. *de off.* Cappell. *q.* 5. *sect.* 12. *à num.*203. Quorum efficax ratio est: Contra iuris communis, & Trident. dispositionem *loc. cit. in praced. Potest.* nil valet apponi, ideò clausula ignoranter, & impotenter apposita, lædit libertatem iuris in damnum, & detrimentum Testatoris, propterea cedit ignorātia clausulæ, & præualet dispositio facta in Tridentino, & quamuis Testator posset aliis cōditionib⁹ se ligare, sed tamē illis, pro quibus dispositum est in fauorem sui. Meliùs autē *in dict. c. Tua nobis*, ex Gloss. Prob. non potest priuata voluntas testatoris prohibere Episcopum exequi voluntatem eius, quia non potest constitutionem generalem legis, vel Canonis immutare, prout habetur in dicto capite, cuius hęc sunt verba: *Cum igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant, licet etiam à Testatoribus id contingenter interdici: mandamus quatenùs executores Testamentorum huiusmodi, vt bona ipsa fideliter, & plenariè in vsus prædictos expendant, monitione præmissa compellas.* Nota: Monitionem oportere præcedere ad compulsum, tamquam monitum ad vindictam *in d. cap. ex gloss.*

De Episcopo cōpellente subditos ad doctrinam Christianam edocendam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere subditos quorum interest, ad doctrinam Christianam edocendam.*

2 *Sed quid si pueri accedere renuissent?*

Potestas C.

1 POtest Episcopus cōpellere subditos quorum interest, ad doctrinam Christianam docendam. Ita ex Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 4. his verbis: *Iidem etiam saltem Dominicis, & alijs festiuis diebus, pueros in singulis Parochijs fidei rudimenta,*

& obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt: & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellant, quod munitur Bulla B. Pii v. incipit: *ex Debito 6. Octobr.* 1572. Tu autem intelligas: compulsum faciendum non pueris, sed iis, quorum interest docere; idest Magistris, & Curatis, ex verbis (doceri curabunt) quapropter suadere debent Animarum curam tenentes, parentes vt cogant, alliciendo pueros ad addiscenda fidei Rudimenta, Symbolum Fidei, orationem Dominicam, X. præcepta, & alia in Catechismo, quibus satisfit Concilio volenti, vt doceatur obedientia erga Deum, & Parẽtes, ad quod tenentur sub mortali, apud Azor. *inst. Moral. p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 5. Pariter adultos cogere, negando absolutionẽ talia nescientibus. Quod si ob memoriæ tarditatem, & hebetudinem quidam nescirent; saltem interrogati respondere sciant. Demum nescientes impediri possunt matrimonia contrahere, quod est leniter intelligendum, docet Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 15. *sub nu.* 19.

2 *Sed quid si pueri accedere renuissent?*

Respond. Quia Præceptum Parochorum est, debent minis, vel blanditiis pueros allicere ad discẽdum; immò parentes debent sub mortali omnem intentare viam pro adimplẽda Concilii mente, in re tã graui, qđ si omninò renuissent, tenentur eorum parentes instruere illos. Vel eorum Patrini, ad cuius effectum antiquitus fuerunt dati. In Sacramento Baptismi, & Confirmationis, ne grandiores facti, & Mundi negotiis dediti, Christiano fundamento carẽrẽt. O mira Spiritus Sancti prouidẽntia, qua M. Ecclesia regitur, & gubernatur. Ecce Sancta Synodus pro tanto adimplẽdo munere Parochos compellit, parentes onerat, & pueros allicit ad rudimẽta, quæ sunt Christiani ædificii robur, & fũdamentũ. legatur Lud. de Baia *p.* 3. *cap.* 27. Zerolla *in praxi v. doctrina Christiana*, & Trull. *in Expos. decal. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4.

De Episcopo compellente Regulares ad legendam Sacram Scripturam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere Monachos Regulares ad lectionem Sacræ Scripturæ.*

2 *Sed quibus lectio Sacr. Scripturæ proponi debet in Monasteriis?*

3 *Sed quibus iuris Remediis compellit Episcopus Abbates?*

Potestas CI.

1 Potest Episcopus compellere Monachos Regulares ad lectionem S. Scripturæ, ita ex Tridẽtino *sess.* 5. *de Ref. cap.* 1. his verbis: *In Monasteriis quoque Monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam lectio S. Scripturæ habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc, vt S. Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, S. Scripturæ lectio similiter habeatur*: Quo circa in obseruantiam

am dicti Decreti emanarunt Constitutiones Pauli v. incipit: *Apostolica seruitutis* 1610. 1. *Augusti*. 2. Clem. 8. *de Refor. Regul.* incipit: *Nullus omninò* 25. *Iulij* 1599. vbi habetur: *Lectio Sacr. Scripturæ, vel casuum Conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eaque absoluta: mutua collatione, circà explicatam doctrinam se se vtiliter exerceant*, huiusmodi lectores non debent ab Episcopis examinari, seù de vita, & moribus approbari, vt in dubio decidit S. Congregatio apud Sell. *in Selectis Canonicis cap.* 38. *num.* 47. *in vna Mediolanensi.* Refert Barbos. *in Apost. decis. coll.* 445. *num.* 11. vbi similes habet decisiones, pro dubiis emergentibus in lectores Seculares.

Ex dictis constat Monachos Regulares, nec non alios, etiam mendicantes, vel non Mendicantes teneri ad lectionem S. Sripturę, primi quidem vigore Tridentini, secundi verò Clem. & omnes subiacère pœnis, à Sacr. Concilio Tridentino inflictis, ecce verba Clem. *Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nè dum à Concilio Tridentino præscriptas, sed alias quoque multo grauiores Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.*

2 *Sed quibus lectio S. Scripturæ proponi debet in Monasteriis?*

Respond. Religiosis in eorumdem Monasteriis degentibus, ex apertis verbis Clem. 8. *Ad quam omnes fratres conueniant, eaque absoluta mutua collatione, circà explicatam doctrinam se se vtiliter exerceant*, & quia prædictū Decretum directū est ad omnes Regulares, tā Monach' quàm Médic. ideò nullus immunis. Mens autem Concilii, & Decreti est, ne Regulares libertate carentes, sacro doctrinæ pabulo, prout habetur in Secularium Ecclesiis, priuentur vt lectionib' Sacræ paginæ pasti, sint populis Christian. exemplum, Hæreticis, & infidelibus malleum, lucerna super Candelabrum, & Sal ad condiendam omnium fidelium mentes.

3 *Sed quibus iuris Remedijs compellit Episcopus Regulares?*

Respond. Ecclesiasticis, puta excommunicatione, post monita, & recordationes, ita Lezan. *in Summ. cap.* 11. *num.* 11. De deputatione lectorum, eorumque præbendarum in aliis Ecclesiis, vide Potest. 135. vbi fusiùs.

De Episcopo compellente administratores hospitaliū, & Cōfraternitatum ad rationes reddendas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere Administratores Hospitalium, & Cōfraternitatum ad reddendas rationes.*

Potestas CII.

1 Potest Episcopus compellere administratores Hospitalium, & Confraternitatum ad rationes reddendas. Vigore Tridentini *sess.* 22. *de Ref. cap.* 9. his verbis: *Administratores tàm Ecclesiastici, quàm Laici fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confra-*

fraternitatis, *Eleemosynæ*, *Montis Pietatis*, *& quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario*: quod decretum innouat Canonem: *Quia contingit de Relig. domib.* ad fraudes ministrantium tollendas, vigilantiamq; Pastoris excitat, & nè Priuilegia obstarent, sublatum eorum robur fuit à Tridentino in illa Clausula *Consuetudinibus*, *& Priuilegijs quibuscumque in contrarium sublatis*. Vel meliùs: si consuetudo, vel Priuilegiū staret, vt Administratores aliis rationem redderet, cum iis adhibeatur Episcopus. Alias: *tales liberationes alitèr factæ, minimè suffragentur*. Ex textu Tridentini. Cui semper fuit vigilare, nè pauperes, & loca pia, suffragio debito priuentur ex adiecta ministrantium malitia, in perniciem, & notabile Animarum damnum. His concordant dicta *in Potest. 98. & 99.* vnà cum DD. ibi citatis. Quòad profana vide *P. post. Impot.* 53. pariter de Ecclesiis exemptis. *Impot.* 52.



De Episcopo compellente Parochos, & Rectores ad residendum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere Parochos, & Rectores ad residendum.*

Potestas CIII.

1 POtest Episcopus compellere Parochos, & Rectores ad residendum. Ita ex Trid. *sess. 6. de Ref. cap. 1. sess. 7. de Ref. cap. 3. & sess. 23. de Ref. cap. 1.* Virtute pariter vigorata à Pio 4. incipit: *De salute prid. non. Sept. 1564.* B. Pio v. incipit: *Cupientes 8. idus Iuly. 1568.* & Vrb. 8. incipit: *Sancta Synodus 10. Decembr. 1634.* ideò, quia hoc per sanctiones procedit, impunè erit in probatione morari. Memores tamen sint dicti *à Potest. 21. vsque ad 25.* ex quibus luculentèr apparet, quoscunque Præfectos curam Animarum gerentes teneri personaliter residère, tamquam illi, de quorum manibus Deus erit requisiturus omnes Animas sibi subditas, Christi sanguine redemptas; scientes: Animas non posse, nec debere aliis Mercenariis committere, & si lupus ouem comedit, ignorantia Pastoris erit peccaminosa, & non admittitur à Deo, ita *ex Decretal. cap. vlt.* cuius memini *Pot. cit.* ideò Episcopus negligentes compellit per censuras Ecclesiasticas, tamquam supremus Pastor omnium Rectorum in sua Diœcesi, omni alia excusatione posposita, vt notarunt quamplures apud Garziam *de Benef. p. 3. cap. 2. num. 176.* Proindè habens duas Parochias vnitas, tenetur vbi maluerit residère, si sint equales; secùs si vna fuerit altera principalior, de quo vide *Potest. cit.* & in domo vicina, vt sit paratus ad per se inseruiendum, Excusationibus Volentis distributiones, vel quia Parochia multum distat: aut quia obtinuit beneficium cum libera facultate illud exercendi; penitùs exclusis, apud Ricc. *resol.* 393. Inspice vigilantiam Ecclesiæ, quæ in vtilitatem Parochianorum cōpellit Rectores absentes, & non residentes. De pœnis autem, sicut de causis excusantibus, Vide *cit. Potest.*

De

De Episcopo compellente Abbates, & Canonicos ad residendum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere Abbates, & Canonicos ad residendum.*
2 *Sed quid de tempore dispensabili?*
3 *Sed num Episcopus poterit dispēsare residentiam Abb. & Canonic. vltra Trimestre?*

Potestas CIV.

1 POtest Episcopus compellere Abbates; & Canonicos ad residendum, ita ex Tridentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. his verbis: *Propterea, obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatus, prabendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltrà tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse:* (Subtus) *Omnes verò diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia.* Id ipsum in *Cap. Licet vobis: De prabendis*, quibus verbis ait Garzia *de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *à num.* 181. Posse Episcopum cogere Abbates, Priores, aliosque superiores Collegiatarum ad residēdum, nè dum propter Animarum curam, verum, & propter assistentiam in Choro, & Ecclesiis, quibus se voluntariè ascripserunt in dignitates, vt sunt Canonici, statutis, & consuetudine, etiam immemorabilibus sublatis. Saluis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quæ longiùs vltrà tres mēses seruitij tēpus requirunt ex *Cap. ad audientiam de Cler. non residētibus.* Ricc. *in collect. decis. p.* 7. *coll.* 1591.

Quod si statutum esset Apostolica authoritate firmatum, quoad absentiam quatuor mensium quolibet anno iā permissū Canonicis à Trid. non derogari docent decisum Garzia, & Armendar. apud Barbos. *de off. Episcopi Allegat.* 53. *num.* 114. Tu verò caue illud intelligere de omnibus simul Canonicis, quia sensus esset in præiudicium Ecclesiæ contra principale intentum Concilii, nec indulgentia dirigitur ad destitutionem. Sensus igitur indulgentis est ad summum, pro quarta Canonicorum parte, apud Zerolla *in Praxi p.* 1. *v. Priuatio dub.* 4. vbi quoque docet pro spatio dictorum 3. mensium non requiri licentiam Episcopi. Nec causæ assignationem. Ipse verò indico requiri, ad cauendam coincidentiam absentium, neuè illa caderet in festiuitatibus maximis, putà Natiuitate, Resurrectione, Ascentione, & similibus. mecū est Santarell. *var. resol. q.* 4. *à num.* 20. Castropal. *in oper. moral. trac.* 7. *disp.* 3. *p.* 9.

2 *Sed quid de tempore dispensabili?*

Respond. prædefinitum tempus posse Episcopum dispensare, ad dictos tres menses, iuxtà exigentiam negotiorum Canonicorum, continuos, vel interpollatos; modò tamen non sint in festiuitatibus prædictis; ita Menoch. *de Arbitrar. cas.* 56. *n.* 12. cuius ratio est indefinita loquutio Concilii.

3 *Sed num Episcopus possit dispensare residentiam Abb. & Canonic. vltra Trimestre?*

Respond. cum Comitolo *Resp. moral. lib.* 1. *q.* 59. *num.* 2. Affirma-

matiuè per 4. menses, cui adhæret Alzedo *de præstan. Episcopi p.2.cap. 9. num. 39.* & melius dicam Potest. 135. Immò procedunt dicta ad obtinentes Canonicatum, vel Monasteria in commẽdam; quod si Commendatarius erit laicus Secularis non tenetur ad Residentiam, vt resoluit Rota apud Farinacc. *decis. 112. num. 10.* Sed tota illius cura inest Superiori Conuentuali, neque extenditur dicta Potestas ad Canonicos, quorum Ecclesia esset diruta, & collapsa, non habens vnde illos alere, vt docet Garzia *decis. d. loco cap. 2. num. 197.*

De Episcopo compellente Superiores Regulares pro restituẽdis bonis Nouitio nolenti profiteri.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere censuris Superiores Regulares pro restituendis bonis Nouitio nolenti profiteri.*

2 *Sed quid, si egressus Nouitij sit factus intrà bimestre ante professionem post factam renunciationem?*

3 *Sed num vestimentũ erit quoque restituendum?*

4 *Sed quid, si ante professionem moreretur Nouitius?*

Potestas CV.

1 POtest Episcopus compellere censuris Superiores Regulares pro restituendis bonis Nouitio nolenti profiteri. Potestate accepta à Trident. *sess. 25. de Regul. & Monial. cap. 16. in fine* his verbis: *Præcipit S. Synodus, sub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant; quod vt rectè fiat; Episcopus, etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Affert Zeroll. *in praxi p. 1. v. Monialis* §. 3. vnà cum aliis. Accedunt declarationes Greg. 13. pro Societate Iesu, incipit: *Ascendente Domino* 1584. Pauli 3. incipit: *Regimini* 1540. *Iulij* 3. incipit: *Exposcit* 1550. Sixti v. 1587. 6. *Kal. Octobris.* & Greg. 14. incipit: *Circũspecta*, quibus clausus est Cuilibet, modus dandi, & recipiendi prætextu probationis, variis sub pœnis, & censuris ad seruandam incolumẽ profitentis libertatem, litesq; iurgeaque oriunda cauenda. Nouitii enim in Religione probant, & probantur; adeoque liberum esse debet ex vtrisque in fauorem Religionis, & Religiosorum. Quapropter notauit Fuscus, & testatur Seli. *in Selectis Canon. cap. 51. num. 24.* ex S. Congregatione 24. *Augusti* 1617. Patrem Nouitii non posse dare paramentum Altari Monasterii, vbi filius Nouitius existit, Ad tuendam itidem libertatem profitentium, & recipientium, amanarunt Decreta Clem. 8. incipit: *in suprema.* Innoc. x. & Alex. 7. vbi de locis designatis, modo, & receptione Nouitiorũ, quæ omnia concordant cum Tridẽtino, & prẽstant vim potentiæ Episcopi ad compellendum. Nouitio igitur règredi volenti ad sæculũ, nõ erunt eius bona deneganda, neq; minis, aut blanditiis retinenda.

2 *Sed quid, si egressus Nouitij sit factus intrà bimestre ante professionem post factam renunciationem?*

Resp.

Respond. In casu, fortiùs procedere Potestatem positam, nec Renunciatio quid impedit, vel alicuius est valoris, quia non intercedit professio, à qua suum desumit robur, & valorem. Adhùc.n.Nouitius est in statu, vt probet, & probetur. Ideò semper stat in iure possessionis ad regressum. Excipe tamen ab hoc casu fructus alimentorum, quos sēper soluere tenetur Nouitius pro rata temporis, vt notauit Azor *instit. moral. p. 1. lib. 13. cap. 9. quæst. 2.* quod intelligas, si ita praxis obtinuit.

3 *Sed num vestimentum erit quoque restituendum?*

Respond. Prætium saltem eius soluere debere, respondit S. Congregat. *in d. loco Trident.* vt testatur Lezan. *q. regul. cap. 25. num. 38.* quod intelligas de Religionibus soluere valentibus, ne habitu restituto aliquod insonū religioni accideret, In illis autem non valentibus, consuetudo obtinuit, caputio, quod è forma habitus, retento, cætera restitui in obseruantiam dicti decreti.

4 *Sed quid, si ante professionem morerētur Nouitius?*

Respond. cum Fusco *d. loco*, omnia Monasterio donata, & consignata, relinquenda in possessione eiusdem Monasterii, morte intercedente Nouitii; secùs de non consignatis. Ratio prioris, quia nō sumus in casu Tridentini, sed in morte, tempore Nouitiatus. Posterioris autem, quia succedunt proximiores de iure. Num autem Monasterium succedat in bonis Nouitii profitentis in mortis articulo, intrà annum probatiuum? vt fieri potest *ex concess. B. Pij v.* Collige ex *Potest. 126. n. 4.* vbi quamplurima de Nouitiis, & quia professio huiusmodi vim sumit ex indulto, & non via iuristica, ideò reputandus tamquam non professus.

Vide de Nouitiis *Potest. 71.* vbi multa perutilia.

De Episcopo compellente Laicos ad vendendum frumentum tempore penuriæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest compellere Laicos ad vendendum frumentum tempore penuriæ.*

Potestas CVI.

POtest Episcopus compellere Laicos ad vendendum frumentum tempore penuriæ. Ita Surdus *consil. 301. num. 47.* & alii apud Abb. *de Testam. in repet. cap. cum esses. cap. 1. num. 8.* Ita probant : Episcopus positus est tamquam Iudex in concernentibus pietatem, & officium charitatis in laicos, vt fatentur quāplurima iura *in cap. 1. 2. dist. 82. cap. Super quibusdam de significatione verborum, & Clem. 1. de Testam. § si quis.* At nil immaniùs in hac vita videre Catulos fame perire, laicosque diuites detinere triticum tempore penuriæ, est enim res ploratu digna maximæq; considerationis, ideò illorum auaritia punibilis, ab Episcopo vi ordinariæ potestatis, ex præfatis iuribus, prout notarunt citati DD. expressè loquentes de hac materia venditionis. pptereà ab Episcopo compelluntur in humanitatis, & charitatis subsidium ad vendendum frumentum, & penuriæ subueniendum. Tenentur in-

ſuper Diuites ſuccurrere pauperibus tempore neceſſitatis, ex præcepto charitatis; ideò ad obſeruantiam talis præcepti compelluntur. Addo, qđ ſi adhuc eſſet pecuniæ penuria; creditores dare creditū compelluntur, nè populus fame pereat, hocque per iuris remedia, ad ſubleuandam populi miſeriam, tantam inhumanitatem credere non cogor in populo Chriſtiano. Si fortè diues tenax fuerit legat diuitem in inferno aquæ guttam à Lazaro mendicantem. *Luc.* 16. vel audiat Saluatorem *Matth.* 25. *Ite Maledicti; Eſuriui enim, & non dediſti mihi manducare*, & contremiſcat.

De Epiſcopo componēte perſonas Eccleſiaſticas pro ſoluendis decimis in futurum.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt componere perſonas Eccleſiaſticas pro ſoluendis decimis in futurum.*

2 *Sed an Clerici cogi poſſint ad taxam à publicò impoſitam ab Epiſcopo?*


Poteſtas CVII.

1 POteſt Epiſcopus componere perſonas Eccleſiaſticas pro ſoluendis decimis in futurum; hanc reſolutionem ſuſtinent Moneta, Facundez, & alii, quos citat Rebuff. apud Barboſ. *de Epiſcopo Alleg.* 121. *à num.* 13. explicando probatur. Compoſitio tripliciter eueniri poteſt extrà præiudicium Paulinæ. *Ambitione* de qua abundè dixi *Poteſt.* 30. 1. modo. Perſonæ Eccleſiaſticæ componuntur inter ſe; vt decimæ vni curato debitæ Alteri ſoluantur: accedente cauſæ cognitione, vtilitate, & conſenſu Epiſcopi; quo ſenſu Facundez *in.* 5. *Eccleſiæ præcep.* 5. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. ait: Compoſitionem factam de decimis in futurum ſoluendis inter Parochos valère tantum, vita componentium, etiam non accedente conſenſu Epiſcopi, vel eius Vicarii. — 2. modo. De Translatione compēſatiua decimarum ſoluendarum in futurum, id eſt accedente Epiſcopi conſenſu, fit decimarum tranſactio, compenſata priùs Eccleſia cū aliis rebus; vt ſi daretur prædium Eccleſiæ pro ſe, eximendo ab onere decimarum, modò tamen fiet cum vtilitate, & Authoritate. — 3. modo ſi fieret compoſitio cum Laicis ſupra tempus, & locum decimarum ſoluendarum. Quibus dictis modis vti poteſt Epiſcopus in componendo dictas perſonas abſque contrauentione bullæ Paulinæ. Tu autem inſpice conſuetudinem legitimè præſcriptam, eaque ùtere, vt par erit in re tanti momenti, cui adhibe prudentum conſilium, illudque ſectare. De exigentia autem quartæ decimalis ab Eccleſiis curatis videto *Poteſt.* 200.

2 *Sed an Clerici cogi poſſint ab Epiſcopo ad taxam à publico impoſitam?*

Reſp. cum Donato *tom.* 4. *tr.* 12. *q.* 96. niſi currentibus his limitibus v. g. magna ex neceſſitate, vel vtilitate publici, 2. ſi facultas laicorum non ſit ſuffectura. 3. de conſēſu Papæ, & totius Cleri, niſi periculū ſit in mora. Aliàs negatiuè propter bullam Cœnæ §. 18. vt notauit Bonac. *de Cenſ. tom.* 3. *diſp.* 1. *qu.* 19. *p.* 2. *num.* 8. Regulares autem non

non possunt ab Episcopo cogi. Idē ibid.




De Episcopo componente Inimicitias.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest componere inimicitias ortas in suo Episcopatu.*

Potestas CVIII.

1 POtest Episcopus componere inimicitias ortas in suo Episcopatu. Ita ex Gloss. *Neglexerit* notarunt M. Antonius Gennen. *in Manual. Pastor. cap.* 43. & Felin. *de tregua, & pace cap.* 1. Ratio: habet Episcopus de munere sibi iniuncto, rixas, & discordias euellere, iurgia, & contentiones populorum eradicare, pacemque inter fideles stabilire, dicente Saluatore. *Luc.* 24. *Pax vobis*. Quod si neglexerit, erit sui muneris deses. Meminerit quoque quod Regnum Diaboli est desolationi subiectum, propter discordias, vbi nullus ordo. Regnum verò Dei, concordiæ, propter vnitatem charitatis. *Vbi charitas, & amor ibi Deus.* Proprium Dei est bonum pacis triticum seminare, Diaboli verò zizaniam ad perdendum illud. Pax in terris æquè cum sit cum gloria in Cælis. Virtus adeo amabilis, populorum compositiua; quæ differentias tollit, pacemque refudit: si quandoque dissidiosi erunt perseuerantes, vbi restitit illorum duritia, supplet Episcoporum disciplina: Exēplo quamplurium Pontificum, & Episcoporum enixè vigilantium in Principum concordiam ad minoranda populorum iurgia, prout his nostris retro tēporibus Catholicū, & Christianissimum Reges composuit Alex. 7. d. mem. Proindè dispositū in iure est, Episcopum posse renitentes pœnis compellere. *Vide DD. cit.*



De Episcopo constituente beneficiatum in Absentia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest constituere beneficiatum in Absentia.*

2 *Sed quid si collatio beneficij simplicis fieret commutando beneficium Parochiale?*

3 *Sed quid de Beneficijs iuris Patronatus?*

Potestas CIX.

1 POtest Episcopus constituere beneficiatum ab absētia; quādo ei nota esset idoneitas. Sensus est de beneficio simplici. *Ita resoluunt* multi apud Henriq. *in Summ. lib.* 10. *cap.* 18. & Sa *in Aphoris. v. Examen.* Nam de curatis aliter dispositum est à Trid. *sess.* 7. *de Ref. c.* 15. in quo c. notauerant quamplures sic: Nisi essent famosi, & egregii DD. vel Vicarij Episcopi, quorum omnium clausit ora B. Pius V. *in Conferendis ann.* 1567. & dixi *Potest.* 26. Probatur: Nulla videtur repugnantia, quando nota fuisset idoneitas, vel sufficientia subiecti per clamorositatem, puta quando Episcopo offerretur persona virtute clara, graduata in aliqua vniuersitate, quia talis claritas æquiualet e-

examini aliàs habẽdo, in collatione omnium beneficiorum, vt per examen exploratiuum notesceret subiecti sufficientia, quod totum habetur ex clamorosa habitudine in ore omnium posita, quodque valeret, prout olim valuerat pro curatis, ni per Trident. tale argumentum in curiis non amisisset vires, pro forma concursus seruanda, cum clausula collationem irritante, Ita discurrunt *cit. DD.*

2 *Sed quid, si Collatio beneficij simplicis fieret, commutando beneficium Parochiale.*

Respond. eamdem esse rationem, quacunq; de causa procederet, siuè per discessum à Parochiali, siuè per accessum, ascendendo ad simplex, idem sonat pro collatore, vt in hoc puncto notauit Nicol. Garc. *de Benef. p. 9. cap. 2. num.* 162. apud quem alii multi.

3 *Sed quid de Beneficijs iuris Patronatus?*

Respond. requiri præsentationẽ Patronorum, ita quòd si præsentatus erit sufficiens, & notoriè idoneus absque alio prævio examine: posse approbari, & institui beneficiarium, propter recurrentem eandẽ rationem. Sin autem, debet personaliter præsentari pro examine, & probatione. Ait Barbos. *in Collect. Apost. decis. v. Examen num.* 3. asserens *decis. Sacr. Congregat. Examen Episcopi non esse necessarium in beneficijs simplicibus, quæ non sunt de iure Patronatus,* quod ipse intelligo, vel in primæua eorum institutione. Vel nisi essent notoriè idonei. Adeòque absens beneficiarius præsentatus à Patrono, idoneus aptus, & notus Episcopo, non est cur ab eo institui non posset.



De Episcopo constituente Seminarium Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest constituere Seminarium Clericorum.*

2 *Sed quinam teneantur soluere pro Seminario?*

3 *Sed quinam excipiuntur soluere pro Seminario?*

4 *Sed quid de Deputatis?*

5 *Sed quid de munere Episcopi vnà cum Deputatis?*

6 *Sed quid de Clericis Seminaristis?*

7 *Sed quid de contributione, & sumptibus Seminarijs?*

Potestas CX.

1 Potest Episcopus cõstituere Seminarium Clericorum in sua Diœcesi, *Ita ex varijs Concilijs*, & nouissimè ex Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 18. estque hoc Sanctum, salutare, pium, & optimum opus, directiuum puerorum à teneris annis ad præstandum Deo, Ecclesiæ, & Parentibus debitum obsequium, instruendum eos moribus, & disciplinis, vt sint ipsismet profectum; Mundo exemplum, fidelibus iuuamen, & Ecclesiæ adiutorium. Adeò enim est efficax Tridentini mens, vt si Seminariũ non fuisset ab Episcopo negligenter constitutum, ab Archiepiscopo cõstrui debet his verbis: *Quod si Cathedralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum Prælati in hac Seminarij erectione, eiusque conseruatione negligentes fuerint, ac suã portionem soluere detrectauerint, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum, & Superiores, Synodus Prouincialis acriter corripere, eosq.*

ad omnia supradicta cogere debeat; idest quibuscunq; non obstantibus, cogitur Episcopus per iuris remedia, ad constructionem, & contributionem Seminarii pro effectuanda Concilii mente. Quapropter plurima sunt expetenda sub hac constituta Potestate, quę in sequentibus elucidabuntur. 1. De ijs, qui contribuere tenentur ad constructionē Seminarii. 2. De exemptis ad solutionem. & 3. De officio ipsorum Clericorum in Seminario, prout sic.

2 *Sed quinam tenentur soluere pro Seminario?*

Respond. Ad erectionem, & conseruationem dictorum Seminariorum in singulis Diœcesibus, Cathedralibus, Metropolitis, aliisque maioribus Ecclesiis, tenentur, & soluere coguntur sequentes.

1 Episcopus de fructibus suæ mēsæ integris, idest de tota mensa Episcopali, nihilo detracto, accipienda est Portio pro construendo, & conseruando, Monasterio, vt suo exēplo, alios cògere facilius possit. Barbos. *de Episcopo Alleg.* 77. *num.* 2.

2 Cardinales S. R. Ecclesiæ de fructibus beneficiorum, quæ sunt in Diœcesi, vbi Seminarium existit, ex S. Congregatione 11. Ianuar. 160 . Apud Sell. *in select. Canon. cap.* 10. *num.* 11. refert Barbos. *ibid. num.* 5.

3 Hospitalia quæcunque habentia beneficia, redditus, vel prouentus Ecclesiasticos, siuè data in titulum, siuè in administrationem, apud Zeroll. *in praxi Episcopi p.* 1. *v. Hospitale vers.* 10. *dub.* siuè non data, vt suprà; modò administratio non fieret à Laicis, apud Armēd. *in add. ad recopil. &c. lib.* 4. *tit.* 29. *nu.* 15.

4 Ecclesiæ Secularium confraternitates, Cappellæ, & scolæ habentes redditus Ecclesiasticos, etiam si existant intrà Regular. Ecclesias, ex S. Congregat. refert. Ald. *in compend. canon. decis. lib.* 2. *tr.* 14. *num.* 8.

5 Omnes patrimonii de fructibus, & redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum, pro rata in subsidium soluere tenentur, Ita notauit Garzia *de Benef. p.* 1. *num.* 171. refert Barbos. *d. l. num.* 12.

6 Beneficiati beneficiorum collationis Monachorum, si existunt intra fines Diœcesis, apud Ald. *loc. cit. num.* 17.

Ita sonant verba Trident. quorum tenor hìc apponuntur claritatis gratia. *Ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, prebendarum, portionū, Abbatiarum, & Prioratuum, cuiuscumque ordinis, etiam Regularis; aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, iuxtà constitutionem Concilij Viennensis, quæ incipit:* Quia contingit. *Et beneficiorum quorumcūque etiam Regularium, etiam si iurispatronatus cuiuscumque fuerint; etiamsi exempta, etiamsi nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasterijs, & Hospitalibus, & aliis quibusuis locis piis etiam exemptis, annexa, & ex fabricis Ecclesiarū, & aliorum locorum, etiam, & quibuscumque aliis Ecclesiasticis redditibus, seù prouentibus, etiam aliorum Collegiorum, & omnium Monasteriorum, non tamen Mendicantium.*

Ex quibus verbis apertè constat: omnes Beneficiarios quocunque nomine appellentur, etiam exemptos teneri ad taxam ab Episcopo per deputatos factam, soluere ad constructionem, conseruationem, seù manutenendum dictum Seminarium, pro erudienda iuuentute excogitatum, & ita efficaciter à S. Sy-

Synodo volitum.

3 *Sed quinam excipiuntur soluere pro Seminario?*

Respond. Monasteria Mendicantium expressè, & nominatim excipi à solutione ad contribuendum pro Seminario, ex apertis verbis Tridentini, *in eodem cap.* (*& omnium Monasteriorum, non tamen mendicantium,*) & quia in varias classes sunt diuisi dicti mendicantes, de ipsis aliqualem notitiam dabimus.

Prima classis mendicantium de iure communi in *cap. vnico de Relig. domib.* sunt quatuor Ordines.

1 Ordo Prædicatorum à S. Dominico institutus, confirmatus *ab Honorio 3. ann.* 1216. & exemptus *à B. Pio v. Diuina disponēte Clementia* 1568.

2 Ordo Minorum à S. P. meo Francisco Assisiate, cuius Regulam approbauit *Innoc. 3. ann.* 1209. & confirmauit *Honorius 3. ann.* 1224. diuisus in conuentuales, & obseruantes à *Leone x. ann.* 1517. incipit: *Ite.* Ab obseruant. exiere Refor. & Cappucini *ann.* 1532. Ambo à Clem. 7. confirmati, incipit: *in Suprema*, *in Cronolog. ordinis. cap.* 49. *mihi fol.* 245. A Conuentualibus quoque eorum Reformati sub Sixto v. incipit: *Apostolici. ann.* 1587. Sub hoc Patriarcha estat secundus ordo Dominarum Damianitarum, seu S. Claræ. *de Ann.* 1212. Deinde Tertiarii de pœnitentia, quorum institutum est viuere sub 3. Regula S. P. Francisci approbatum à Clem. 7. incipit: *ad Vberes* 1526. ex quibus exiere alii Reformati de Pœnitentia *ann.* 1595. Quorum omnium magnam militiam enarrant. Eman. & Hyeron. Rodriq. cū aliis, apud Barbos. *in Summ. Apost. decis. coll.* 386. *v. fratres*, & quia maximo sub hoc vexillo Patriarchę pauperū adunati ferè sunt innumeri vtriusque sexus, & conditionis, triplici sub ordine viuentes. S. Mater Eccles. legitur canit in festo Seraph. Patriarchę: *Tres ordines hic ordinat, primumque fratrum nominat, Minorum pauperumque, fit Dominarum medius, sed pœnitentium tertius, sexum capit vtrumque.*

Nota insuper Conuentuales, & obseruantes obtinuere exemptionis Priuilegium *à Leone decimo.* incipit: *Omnipotens Deus ann.* 1517. 11. *Kal. Iunii.* Reliqui vero de eorum capitib⁹ indultis, & priuilegiis gaudent, vt videre est in eorum mari magno, aliisque diplomatibus, quæ tacentur ad prolixitatem fugiendā; vide Sorbo *in compend. Priuileg. mend. v. Communicatio Priuilegiorum.*

3 Ordo Hæremitarum S. Augustini, cuius idem fuit institutor, reparatus *ann.* 1157. à Guglielmo Duce in Gallia, & diuisus in obseruantes, & Conuentuales; exemptus ab Alex. 6. incipit: *Ad fructus Vberes* 14. *Kal. Aug.* 1348. quibus amplicatum, & confirmatum fuit Priuilegium Fratrum Minorum,

4 Ordo Carmelitarum, primo ab Elia Profetarum maximo; postea à Ioāne Patriarcha, 44. Hierosolymi. & tādem ab Alberto pariter Hierosolymorum Patriarcha. *ann.* 1110. exordium sumpsit, Alberti tamen Regula firmata fuit ab Honorio 3. *ann.* 1226. Diuisus in obseruantes, & Reformatos à Ioanne Soreth. exemptus à B. Pio v. incipit: *Romanus Pontifex* 1. *Octobris* 1568. In qua Bulla pariter, & nominatim recensentur dicti 4. ordines Mendicantes primæ Classis.

Secūda Classis mendicantiū est, ad quam redducuntur ex Priuilegio Apostolico, aliique Regulares, suntq; sequentes.

Digitized by Google

1 Ordo Cler. Reg. Societ. Iesu à S. *Ignatio* Loyola institutus, à Paul. 3. *an.* 1450. approbatus. Mendican. aggregatus *à B. Pij v.* incipit: *Indefessa 7. Iulij* 1571.

2 Ordo Minimorum à S. Franc. de Paula *ann.* 1450. instit. confirmatus *à Sixto* 4. *& Innoc.* 8. Aggregatus *à* B. *Pio v.* incipit: A*postolica.* 9. *Nouemb.* 1567.

3 Ordo Carmelitarum Discalciatorum zelo, & industria S. Teresiæ in obseruantiam r. Reg restitut⁹. cōfirmatus *à Greg.* 13. *ann.* 1587 positus inter mendicantes *à Clem.* 8. incipit: R*omano* 20. Aug. 1603.

4 Ordo Iesuatarum S. Hieronymi, Authore Ioan. Colombino *ann.* 1553. approbatus *ab Vrb. v. ann.* 1367. Seruorū S. Mariæ, *sub Greg.* 9. *ann.* 1233. aggregatus *ab Alex.* 4. *ann.* 1253. apud Rodriq. *infrà cit.*

Tertia Classis Mendicantium sūt illi, qui de Gratia S. Apostolicę gaudent priuilegiis primæ, & secundæ Classis. Suntque Congregationes quædam Canonicorum Regularium S. Augustini ex mandato *Sixti* 4. *Gregor.* 12. *&* M*artini v. ann.* 1408. Monachorum S. Benedicti Cōgregationis Cassinēsis, ex B Pio v. Montis Oliueti, Vallis vmbrosæ, Cistertiensium, Camaldulensium, S. Hieronymi à Pisis, Cœlestinorum, Cordigerorum, Redemptionis, seù Mercedis SS. Trinitatis, Theatinorum, Ministrantium infirmis, & Clericorum Minorum quorum omnium meminit Sorb. *in compend. Priuilegiorum in principio.*

Hic sub nomine Mendicantium à solutione pro Seminario exemptorum, in dicto C*ap. Trident.* venire omnes primæ, & secundæ classis pro comperto firmissimè habetur, & recenset cum praxi Barbos. *de Episcopo* Alleg. 77. *à num* 14. & cum eo Emanuel Rodriq. Nouār. & Alii apud Gauant. *in Enchi. v. Seminarium Clericorum, à num.* 30. Opinionum tandem tempestates sedauit B. P*ius v. Dum ad Vberes an.* 1566. non reuocata, *à Greg.* 13. *in Bulla de* Ann. 1573. vt aduertit Lezan. *in Summ. de Priuileg. cap.* 3. *num.* 14.

De aliis verò Tertiæ Classis; tutū non est, sed consulenda praxis rerū Magistra, vnum scio quod si Monasteria omnia demas, quid reliquū erit pro mente Trident. adimplenda? Vide Rodriq. *in Summ. resol.* 63. *num.* 14.

Pariter eximuntur à contributione Seminarii Equites Melitenses, etiam Vicarii per expressam exceptionem Trident. & Greg. 13. incipit: *Circumspecta.* 25. *Nouembris, ann.* 1580. & Pii 4. incipit: *Romani* 24. *Martij*, & propter particulam (*dumtaxat*) in Concilio non eximūtur cæteri Militares. — Neque soluere tenentur Clerici Camerales Apostolici ratione beneficiorum, quę obtinent, *ex* S. C*ongregatione* 20. *Maij*. 1604. apud Barbos. *d. loco.* — Neque Abbates, modò in suis Territoriis Seminaria erexerint, *ex* S. C*ongregat.* 1594 — Neque Hospitalia à laicis administrata, quæ data non sunt in titulum, commendam, vel administrationem. Barbos. *d. l. num.* 8. — Neque Canonici de quotidianis distributionibus suarum præbendarum, ex decisione S. Cōgregat. Barbos. *d. loco num.* 13. vel de Emolumentis, prouentibus, legatisque relictis pro Celebratione Missarum. — Neque Abbatia vnita capitulo cathedralis, ante Conciliū. — Neque ex his, quæ consistunt in incertis, vel Eleemosynis piorum, & similibus *ex varijs decisionibus* S. C*ongregat. in Collect. citata à num.* 14. Pro complemento, & cōfirmatione hactenus dicti, apponūtur

tur verba Trid. *in eodem cap. Non tamen Mendicantium, etiam ex decimis, quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia Ecclesiastica solui solent, & Milites cuiuscunque militiæ, aut ordinis pertinentibus (fratribus S. Ioannis Hierosolemytani dumtaxat exceptis.)*

4 *Sed quid de Deputatis?*

Respond. Deputatos præscribi à Trid. *d. loco §. Et quia.* His sub terminis. — *Iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio, similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat.* — Et hi quatuor electi dicuntur cōsiliarii Episcopi pro quacunque difficultate oriunda, in institutione, cōseruatione, & administratione Seminarii, in quibus votum decisiuum habet Episcopus. Eorūq; Consilia sequi non tenetur *ex S. Congregatione 11. Ian. 1620. in Manual. Episcop. d. loco.* Exactio tandem, deputatis pænitùs exclusis, ad Episcopum spectat. Electi demum sunt perpetui, & immutabiles sine iusta causa. *ibid.*

5 *Sed quid de munere Episcopi vnà cum deputatis?*

Respond. apud Barbos. *d. l.* Munus Episcoporum esse, vnà cum deputatis præscribere certum puerorū numerum. & Taxam de illis, quos teneri diximus suprà, ad portionem. — Pauperes pauperum filios adminus 12. annorum, ex legitimo Matrimonio procreatos, scientes legere, & scribere, spem afferentes Ecclesiæ seruituros. Si verò ditiores fuerint, de sumptibus alantur propriis — Scolasticos, & substitutos eligere deputatorum est; approbare autem, Ordinariorum. Solius tandem Episcopi erit sæpiùs visitare ter saltem quoque mense, inquirendo de Magistris, de Alumnis, nec ne si legantur, & obseruentur leges præscriptæ, necnè omnia, pro felici gubernio rectè procedant.

6 *Sed quid de Clericis Seminaristis?*

Respond. Eorum omnes, & singulos debere tonsuram, habitumq; talarem deferre, Cathedrali, vel aliis Ecclesiis diebus festiuis inseruire, quotidiè Missæ interesse, singulis mensibus Sacra communione refici Cathechismo Romano, & Ritibus Ecclesiasticis vacare, atque propositis ab Episcopo, vel deputatis sedulò incumbere. Scientes, quod si insolentes, aut vitiosi extiterint tāquam indignos, correptosq; à tam pio, & Santo loco expelli debere.

7 *Sed quid de Contributione, & sumptibus Seminarij?*

Respond. Contributionem anticipatè soluendam, de quadrimestre, & si decima soluenda esset, singulis annis in duobus terminis; notando, non esse magis grauandum Beneficium simplex, quàm curatum. Si verò Seminarium fuerit constitutū, redditibusq; sufficientibus auctum; posset exactio remitti pro rata, & accessione beneficiorum, quæ haberi contingerit. Rationes autem quotannis Episcopo, & deputatis præsentibus erunt reddendæ, cogēdo per Censuras Ecclesiasticas, quos nouerint negligentes: ita discurrunt Barbos. *d. loco. collect. 668.* Gauant. *Enchirid. Episcop. v. Seminarium.* Ricc. *resol. 386. & decis. 492.* Rota *pluribus in locis, ibidem citatis.*



De

De Episcopo constituente Vicarium Generalem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest constituere Vicarium Generalem.*
2 *Sed an habebit Authoritatem ordinariam, vel delegatam?*

Potestas CXI.

1 POtest Episcopus constituere Vicarium Generalem, prout iura noua, & vetera clamant; in cap. *Cum Episcopus de officio Ordinarij, & cap. vl. de hæreticis*, & de eo elegantèr scripserunt Ludouicus Gomez, & Blesensis; refert Barbos. *de Officio, & Potest. Episcopi p. 3. Alleg.54. num.* 1. Sbroz. *de Vicaria Episcopi lib.* 1. Aldan. & alii, apud Gauant. *in Enchirid. V. Vicarius Generalis*, & ipsa praxis magistra docet extrà dubium esse: Episcopum ordinariam iurisditionem habentem substituere posse virum idoneum in Vicarium, ad onera Episcopalia ferenda; quarè decet Vicarium huiusmodi ornatum tot esse virtutibus, quot Episcopus, quia vnicũ simul erigunt Tribunal, idemque munus simul ministrant, & quæ ratione impedimentorum à solo Episcopo subueniri non possunt, à duobus congruè fieri obtentum est; ad Sanctè, rectèque regendum; & quia Vicarius Episcopalia ministrat, sub Episcopus appellari solet ab aliquibus. Ad decorem tanti muneris esse debet Vicarius vir rectus, ac timẽs Deum, non inclinans ad dexteram, neque sinistram, sed æquo pondere præbens vnicuique quod suum est. Pro complemento virtutum, debet Vicarius Episcopi doctrina Canonica, & ciuili pollère, vt ad se venientes de suo iudicare possit. Peritus in forensiũ causis, & Theologiæ non ignarus. In rebus arduis consilia Assessorum, seù consultorum (de quibus *Potest.* 177. & 179.) adhibère. Sitque Vicarius Sacerdotali ordine insignitus, ætate Senex, vt seriùs experientia, & doctrina sit aliis exemplum, & Regula morum. Ad minus sit ordinibus sacris, & ætate matura, vel saltem prima Tonsura signatus, ætate non minus 25. annorum, vt defendit Sbroz. *d. loco q.* 35. in Hyspania adest *Bulla Vrb.* 8. incipit: *Decet Romanum* 16. *Decembris*. 1623. de qualitatibus Vicarii Generalis; vetitum tandem est Episcopo in Vicarium assumere Bigamum, aut Monachũ absq; licentia Abbatis, vel Superioris. Numquam tamẽ Minoritam; Clericum coniugatum, Parochum, vel eum, qui ministrauit iustitiam maleficiorum; ex variis iuribus, apud Sbroz, Barbos. & alios, quos refert Gauant. *d. loco v. Vicarius*, vt melius dicam *P. post. Impot.* 94. In Constitutione Vicarii Generalis non debet precedere examen, vel approbatio, sed supponi, nec consensus Capituli, quia independenter creatur ille, quem maluerit Episcopus; de Diœcesi nec nè? expedit tñ esse alienigenã; vt liberiùs agat. *In scriptis*, vult Sbroz *lib.* 1. *q.* 70. concedi facultatem Vicario generali, eaque constituitur Iudex, Administrator *Ecclesiasticus* in Temporalibus, & Spiritualibus, 2 cum facultate liberè exercendi omnia munia Episcopalia, illis exceptis, ad quæ speciale mandatum requiritur. Ni adhùc ampliorem vellet *Episcopus* erogare potestatem, cum clausulis specialibus; prout verè fieri potest, elargiendo omnia, & singula de natura delegabilia.

Digitized by Google

2 *Sed an Vicarius Generalis habet authoritatem ordinariam, vel delegatam?*

Resp. Ordinariam; vt defendunt Sbroz; Sanchez, & alii apud Barbos. *d. loco num. 37.* fortiter satisfaciens ad potiora argumenta in contrarium adducta. Enimverò licet sit ab Episcopo nominatus, est tamen delegatus à lege *in Cap. cum Episcopus, de officio Ordin.* ideò ab illa iurisdictionem consequitur. Modò quo Vicarius Papæ, Viceregentes, omnes sic nominati, dicuntur à iure iurisdictionem recipere, nec obstat quorumdam dictum posse remoueri ab Episcopo. Cum hoc nõ aufert iurium vim, & iurisdictionem ordinariam; ex Regulis Iuris, *ab illa re à qua nascitur ab eadem resoluitur.* Tandem hæc authoritas dicitur Ordinaria nõ primaria, quia hęc in Episcopo residet; sed secundaria, pendens quoad esse, & exerceri à lege, per quod facile conuincitur Sententia opposita. Addunt citati, dici ordinariam, etiam quoad specialia, si quæ haberet ab Episcopo, eo quia accessorium sequitur naturam principalis.

De munere, Præcedentia, Apparatu, Functionibus, & Reuerentia præstanda, dicemus alibi. De Remotione Vic. Gen. vide *Potest.* 48.

De Episcopo constituente Vicarium Generalem alterius consuffraganei, in causa negligentiæ Metrop. & Capituli.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus antiquior constituere potest Vicarium Generalem alterius consuffraganei in causa negligẽtia Capituli, & Metropolita.*

2 *Sed quid de notitia vacationis Ecclesia?*

3 *Sed à Quonam erit regẽda Ecclesiã, vsque ad prouisionem Vicarij?*

4 *Sed num Vicarius constituendus debeat esse de corpore Capituli, vel extrà?*

Potestas CXII.

1 Potest Episcopus antiquior cõstituere Vicarium Generalẽ alterius consuffraganei in Ecclesia vacante, negligente Capitulo, & Metropolita, *ex textu* Concil. Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 16.* Retorne igitur casus, quando Ecclesia vacante quacunque de causa circulo dierum octo à die sententiæ, si Capitulum Vicarium non elegerit, vel minus idoneum elegerit; hoc est personam non aptam, tunc deuoluitur electio ad Metropolitam, eo tamen negligente, vel si casus acciderit in Metropolitana Ecclesia, Episcopus antiquior succedit ad eligendum Vicarium Generalem; quod si Ecclesia fuerit exempta, propinquiori Episcopo contingit eligere, ecce verba Tridentini: *ad Metropolitanum deputatio huiusmodi deuoluatur: & si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, vt præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropol. & propinquior Episcopus in exempta Oeconomum, & Vicarium idoneos possit cõstituere.* Crassius sustinent, & aperte docent hanc Potestatem, Garzia, ... *Quaranta,* ... *Capitulum* ... *Vicar. num. 4.* Suarez *de Censuris disp. 28. sect. 3. num. 3.* vbi docent hanc Po-

te

festatem deuolutam, non spectare priuatiuè ad assignatos, sed cumulatiuè, scilicet, non ita vt Capitulum amplius purgata mora non possit Vicarium constituere. Tum quia hæc deuolutio non est instar beneficiorum; quia pœnalis. Vide *Barbos. de Episcopo Alleg. 54. à num. 164 in fine.* Itaque penes Antiquiorem residet authoritas deuoluta à Capitulo negligente, pro electione Vicarii in Ecclesia Metropolitana, & penes viciniorem pro exempta. Quod si antiquior, & vicinior nominare tenuerint Vicarium, non recedo à priori sententia cum DD. dicentibus Capitulū nō priuari debita potestate, vt possit eligere, per reuolutam, & retrogressam Potestatem. Neque in hoc contrauenitur Tridentino, quod iam seruatum est in prima deuolutione; in qua repertis Episcopis antiquioribus, & vicinioribus discrepantibus, nè Ecclesia in longinquo viduata protraheretur, providetur ab illis, à quibus aliàs ante deuolutionem. Vel meliùs si prouideretur à Papa.

2 *Sed quid de notitia Vacantis Ecclesia?*

Respond. Ecclesiam vacari, vel per obitum Pastoris in eadem Diœcesi, aut Ecclesia, & illicè habetur notitia, vel si longiùs, per Epistolas personæ fide dignæ, aut Secretarii. Vel per renunciationem, seù translationem ad alium Episcopatum, moxque habita notitia à Secretario Sacr. Congregat. deficiunt iura Episcopi, & incipiunt de prouidendo Vicario nouo. Ita *ex Sacra Congregatione 14. Decembris. 1624. apud Barbos. in Collect. decis. v. Cap. S. V. num. 7.*

3 *Sed à Quonam erit regenda Ecclesia, vsque ad prouisionem Vicarij?*

Respondit Sbroz *lib. 1. q. 63.* Iurisdictionem penes primam dignitatem Archidiaconum tempore interlocutorio residere. Sed veriùs toti capitulo inesse, in quod transit iurisdictio, ex translatione, renunciatione, resignatione, vel obitu Pastoris, ex iure nouo Trident. *d. Cap.* & antiquo, vt notarunt multi apud Quarant. *v. Cap. S. V. §. 12. quaro,* itaque successiuè à Capitularibus, vt mox obtinuit, ministrabitur, & sequitur Barbos. *dicto loco num. 1. ex Decreto Sacr. Congregat. 19. Septembris 1620.* Consulit tandem Quarant. *ibid. num. 3. versu Terminum,* vt Capitulum deputet personam ad ministrandum eius nomine per 7. dies ad actus currentes, absque eo quod procedat ad actus irrefragabiles, vel ad determinationem sententiæ. Quòd meliùs placet, absque præiudicio consuetudinis.

4 *Sed num Vicarius constituendus oportet esse de corpore Capituli, vel extra?*

Respond. Nullo iure restringi ad nominandum quemdam de corpore capitulari, quin possit exterum, & alienigenam constituere. Ratio, quia in Antiquiori, vel proximiori prædictis residet illa eadem facultas ordinaria, & per negligentiam deuoluta, quæ erat in capitulo negligente, ad quod aliàs spectabat Vicarii constitutio. Nec limitibus arctatur propter deuolutionem; igitur si fas erat Capitulo eligere, quem maluisset idoneum, siuè de corpore capituli, siuè extra, alienigenam, seu exterū, vel eundem, quem Episcopus nominauerat, confirmare; ita liberum erit illis, ad quos facta est deuolutio, constituere virum doctorem in Iure canonico, vel licentiatum in Teol. aut aliàs idoneum.



De Episcopo constituente pœnitentiarium in Cathedrali.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest constituere pœnitentiarium in Cathedrali.*
2 *Sed quid, si Episcopus neglexerit eligere dictum pœnitentiarium?*
3 *Sed quid S. Vacante?*
4 *Sed quid de qualitatibus pœnitẽtiarij?*
5 *Sed quid de munere?*
6 *Sed quando tenetur pœnitentiarius confessiones audire?*
7 *Sed quid de præbenda proximè vacatura?*

Potestas CXIII.

1 POtest Episcopus cõstituere pœnitentiarium in Cathedrali cum vnione præbendę proximè vacaturæ. Vigore Trident. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 8. his verbis: *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesijs, vbi id commodè fieri poterit, pænitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel iure canonico, & annorum 40. seù aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum in Confessione in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.* Quibus ex verbis apertè constat: Pœnitentiarium constitui ab Episcopo, tamquàm Parochus totius Diœcesis ad excipiendas omnium vtriusque sexus, vndequaque venientium confessiones, in quo Episcopus satisfacit, qđ suũ est, & qđ p se adimplere non valet; illud alteri committit. Se solo eligit absque Capituli consensu, prout decisum refert *ex S. Congreg.* Nauar. Garc. *p.* 5. *cap.* 4. *num.* 138. & notauit Gauant. *in Enchirid. v. Pœnitentiarius.* & Barbos. *de Episcopo Alleg.* 55 *num.* 2.

Hanc potestatem V. instituitiuam, delegabilem esse ab Episcopo suo Vicario, defendit Nicolaus Garc. *in Add. ad cap.* 4. *num.* 143. non tamen absq; speciali mandato, & tũc eligere debet in pœnitentiariũ, personã qualitatibus prænarratis præditam. Consultum tamen Barbos. *d. loc. n.* 15. magis placet; idest in absentia per se ipsum Epus instituere potest; quia authoritas non est contentiosa, sed voluntaria, & est decisum *in vna Burgensi.*

2 *Sed quid si Episcopus neglexerit eligere dictum pœnitentiarium?*

Respond. Episcopo, eiusuè Vicario negligente eligere pœnitentiarium, probata mora 6. mensium à die notitiæ, pertinere ad Capitulum, docet Barbos. *d. loco num.* 16.

3 *Sed quid sede vacante?*

Respond. Ad capitulum non pertinère, neque ad futurum Episcopũ, sed ad sedem Apostolicã. Ita quod absque deuolutione Sanctissimus poterit eligere, quem maluerit, attentis requisitis Trid. Garz: *d. loco num.* 145.

4 *Sed quid de qualitatibus pœnitẽtiarij?*

Respond. Cum eleganti, raroque sermone, quem habet Salazar de Mendosa, & Fusco, *de Visitatione lib.* 1. *cap.* 19. apud Barbos. *d. loco.* — Canonicum pœnitentiarium debere esse ætate 40. ann. ex Trident. qua in ætate graui representat in quod succedit, ad prudentiam Episcopi, cuius munus adimplet in tàm iudiciali Sacramento; oportet enim Iudicem esse experientia senem, & pru-

prudentia præditum. Cuiusmodi ætas debet esse completa, ex Nauar. *in consul.* 17. Azor. autem sufficere inchoasse docet, *instit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *q.* 6. At Trid. ait: (*seù aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur*) ideò tenendum: defectum ætatis non vrgère, vbi aptior reperiri non potest in Ciuitate, vel Diœcesi; nec extrà quærendum, cum Mendoça *in libello de Instit. Canonicat.* Nouar. & aliis, qui pariter notant, quod si in Diœcesi nõ reperiretur persona apta, liberum erit Episcopo de aliena eligere, dictis qualitatibus ornatam. — 2. Pœnitentiarius debet esse magister vel doctor, aut licentiatus in S. Theologia, vel iure Canonico, ex Trid. factaque fidei profess. *ex Pio* 4.

5 *Sed quid de munere?*

Respond. Pœnitentiario instituto iuxtà formam: munus impositum dirigi ad confessiones audiendas omniũ vndèquaq; ad se cõfluentium, semperque paratũ non respuere. Aliàs punibilis ab Episcopo, *ex decis. Sacr. Congregat.* refert Garc. *d. loco.* Nec indiget noua approbatione pro excipiendis confessionibus, sed sufficit eius institutio, vigore Trid. ad similitudinem Parochi apud Vgol. *de officio Episcopi cap.* 33 *à num.* 2. — Facultas pœnitentiarii est indelegabilis. Nec obstat esse Confessarium ordinarium Diœcesis, quia electio facta est industria personæ, *ex cap. vlt.* §. *Is autem de officio delegati* contrà Cucc. & Capiauill. *de cas. reser. cap.* 3. *diff.* 2. Itidẽ eius facultas nõ extenditur ad casus Episcopo reseruatos, absque specifica erogatione, vt docent Nauar. Sayr. Henriq. & alii. Distinguunt tamen Piasech. *in praxi p.* 2. *cap.* 1. & Capiauil. *d. loco q.* 1. Ni suæ præbendæ annexum fuerit officium pœnitẽtiariæ, At securiùs quod primum. Quod si elargita fuerit facultas reseruatorum, hæc erit indelegabilis, cum multis docet Mancin. *pract. instr. p.* 3. *dub.* 33. §. *nec obstat.* Tu vide dicta Pos. 1. *sub. n.* 3.


6 *Sed quando tenetur Pœnitentiarius confessiones audire?*

Respond. Certis quibusdam horis ab Episcopo designatis, ex decis. Rotæ apud Garc. *d. loco num.* 118. & diebus sollemnibus in Quadragesima, Aduentu, Quatuor temporibus, Paschate, Ascensione, & similibus, apud Man. *Episcop.* Gauant. *v. Pœnitentiarius, num.* 25. In quibus solet opportuniùs conuenire Populus, propterea semper paratum esse conuenit, hoc est commodè, relinquendo tamẽ locũ humanæ vitæ substentationi; item in Ecclesia Cathedrali, & non extrà, confessiones audire debet, si distributiones, & Eleemosynas percipere vult, ex tenore Trident. in fine *d. cap.* Id autem non prætereundum; quòd debitis horis, siuè intrà, siuè extrà Ecclesiam Cathedralem tenetur non respuere ad se venientes, sed eos excitare vt debito conueniant tempore, contrà quosdam dicentes: teneri in loco, & sede assignatis tantùm. Quoniam id, quod est substantiale in Decreto, est esse paratum non respùere; locus verò est quid accidentale pro lucro distributionum.

7 *Sed quid de præbenda proximè vacatura?*

Respond. Debere esse integram, & Canonicalẽ, *ex decis. in vna Conimbr.* 31. *Martij* 1602. apud Sell. *in select. cap.* 21. *num.* 8. Vacaturam in mense Episcopi, non verò Apostolico; aliàs exprexisset Trid. si comprehèndere intenderat, prout voluit in aliis locis, pro Seminario, *sess.* 23. *de Ref. cap.* 18. & altera, *sess.* 24. *cap.* 15. ante adeptionem præbendæ Pœnitentiarius non habe-

betur pro Canonico, nec locum, neque vocem habet in Capitulo, vt aduertit Garc. esse decis. *d. loco nu.* 111. Denique huiusmodi præbenda optari nequit; quia industria personæ erecta, de qua latius locuti Sayr. Henriq. & Barbol. *d. locis.* Vlterius dicam de pœnitentiario, *Potest.* 238. ideo latis.



De Episcopo corrigente Clericos, & Regulares delinquentes extrà claustra.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest corrigere Clericos, & Regulares delinquentes extrà Claustra.*

2 *Sed quid de Regulari delinquente notoriè, & cum Populi scandalo, in Ecclesiâ sui ordinis?*

3 *Sed quid de Regulari notoriè delinquente remisso cum industria ad alienam Diœcesim, ad fugiendas pœnas?*

4 *Sed num Episcopus delinquentem captum possit in Carcerem detrudere Episcopalem, & formato processu vnà cum eo ad Superiorem remittere?*

5 *Sed cuinam Superiori Conuentuali, vel Prouinciali remittendus sit Regularis delinquens?*

6 *Sed, an Episcopus possit fulminare censuras contrà Regularem delinquentem?*

7 *Sed quid, si Regularis deliquerit ergà personas intra septa degentes, aut circa Clausuram Monialium?*

Potestas CXIV.

1 Potest Episcopus corrigere Clericos, & Regulares extra claustra delinquentes. Hæc Potestas habet pro fundamento ne dum Ius antiquum *in Cap. quod Christus* 45. *dist. & cap. licet non numquam*, verum, & nouissimum *Tridentini sess.* 13. *de Ref. cap.* 1. & melius *sess.* 6. *de Ref. cap.* 3. his verbis: *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum Subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant, & nemo Secularis Clericus, cuiusuis personalis, vel Regularis extrà Monasterium degens, etiam sui Ordinis, priuilegijs prætextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit ab Ordinario loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Manifestum est posse Clericos recognosci, & corrigi in suis excessibus ab Episcopo loci tanquam à suo Iudice competente, vigore immunitatis Ecclesiasticæ; quocirca ob fori priuilegium nullus laicus potest recognoscere Clericum sub pœna excommunicationis reseruatæ à Martino v. incipit: *Ad eximia. const.* 4. & contrà impedientes Iudices Ecclesiasticos ne sua iurisdictione vtantur, lata est excōmunicatio *in cap. Quoniam de Immunit. Eccles. in 6. & in* Bulla *Cœnæ cas.* 16. refert Bonac. *de Cens. disp.* 2. *q.* 2. *punt.* 18. Ita pariter de iure priuilegiato Regulares, vt constat ex dictis *Part. prior. Potest.* 110. Subduntur Sedi Apostolicæ immediatè, à qua quibusdam in casibus delegata est facultas Ordinariis ad procedendum contra ipsos; prout hic; contrà tandem delinquentes notoriè extra claustra latiùs se declarauit Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 14. his verbis: *Regularis non subditus Episcopo, qui intrà claustra Monasterij degit, & extrà ea, ità notoriè de-*

Digitized by Google

deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore, intrà tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, à Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

Pro obseruantia dicti *Cap. Trid.* adiecta est *Bull. Clem.* 8. incipit. *Suscepti muneris* 18. *Martij.* 1596. Contrà Superiores non punientes, sub poena priuationis ipso facto dignitatum, & priuationum, inhabilitatis, &c. de qua Potestate tot iuribus apertè probata, inspiciendus erit modus, quo vti debet Episcopus, & quia pro comperto habetur: Regularem delinquentem, notoriè, extrà claustra, & cum populi scandalo, de mandato Ordinarii captū, statim ad suum Superiorem remittendum, vt puniatur iuxtà sua Regularia statuta; certiorando Episcopum in scriptis de executa poenitētia; ita decidente Sacr. Congregat. in Lucana, 14. *Decembris*, 1630. & Panormitana, vt notauit Sperell. *decis.* 38. *num.* 13. circa quod notabis sequentes resolutiones.

2 *Sed quid de Regulari delinquente notoriè, & cum populi scandalo in Ecclesia sui ordinis?*

Respond. Casum subesse dispositioni Tridentinæ, vt Episcopus procedat dictis modo, & forma contra ipsum. Secùs si solis videntibus suis Religiosis: ratio, quia dispositio Trident. dirigitur contrà delinquentes cum populi scandalo. Ita decidisse Sacr. Congreg. testatur Sperell. *d. loco.*

3 *Sed quid de Regulari delinquente remissiuè in dustria ad aliquā Diœcesim ad pœnas fugiendas?*

Respond. Superiorem delinquētis teneri reuocare delinquentem, intra terminum ab Episcopo præfixum, & sistere in eo, in quo deliquit; secùs, Episcopo non instante, ex bulla citata Clem. 8. Ratio quia fuga maliriosa non fauet Reo, neque Superiori industrioso, aliàs delictū impunitum legem feriret per industriosam malitiam. Secùs si remissio facta sit non ad fugam pœnæ, sed in delicti pœnam, vt decentiùs puniretur. Rodriq. *tom.* 2. *q. regul. q.* 2. *ar.* 5. *citat.* Lezan. *infra.* Pariter si delinquens existeret extra claustra cum licentia Superioris in domo ad erectionem Monasterii deputata, cum scandalo populi, In his, & similibus; Reus constitutus, pro patrato notoriè delicto, & à Superiore suo non punito, subintrat dispositio Trident. & insurgit posita Potestas Episcopalis ad puniendum, & corrigendum Regulares delinquentes; ita quod Superior pro rata negligētiæ puniri, & priuari debet à suo Superiore, & delinquens ab Episcopo.

4 *Sed num Episcopus delinquētem captum possit in Carcerem detrudere Episcopalem, & formato processu, vnà cum eo ad Superiorem remittere?*

Respon. Piasech. *in praxi noua Episcopi p.* 2. *cap.* 3. *à num.* 43. Barbos. *de Episcopo alleg.* 105. *nu.* 20. cum Sellio, & aliis: posse illum deducere ad Carcerem Episcopalem, & sumpta informatione sine mora, cum illius copia remittere ad Superiorem, instando punitionem intrà talem terminum, vt de illa certioretur Episcopus, aliàs ab eo erit puniblilis; Lezana tamen *in Summa quæst. Regul. cap.* 16. *num.* 27. limitat in casu, quo timetur fuga. Probabiliùs tamen, & veriùs non licère, sed deprehensum ad Superiorem remitti, à quo primo facienda erit punitio, ipsoq; negligente ab Episcopo. Nec dicas: Detrusionem

non

non esse punitionem, sed cautelam, vt capto processu delicti, mittatur ad Superiorem. Tum quia Carcer est ad punitionem destinatus. Tum quia Sacr. Congreg. primo casu aliter decreuit; scilicet captum statim remittendum esse ad Superiorem.

Instat quis dicendo: vt delinquẽs seuerè puniretur; debet Episcopus instàre, sed non nisi cum copia processus, ad quem prærequiritur delicti informatio; ergo vsque ad formationem processus poterit detinere captum, & deinde remittere Regularem puniendum.

Ad instantiam Respond. Totum adimpleri posse, absque detrusione capti, immò in fraudem posset differre informationem, & Regularem delinquentem carceribus vexare, non absque incursione excommun. comminatæ *in Clem. cap. frequens de excessibus Prælatorum* contra detinẽtẽ Regularẽ carceratũ. Quare vi noti delicti remittere potest, & deindè specificam informationem, vnà cum literis requisitorialibus delinquentis præsentare coram duobus testibus, vt moris est, & docet de Franch. *in Controuer. pag. 37.* Vel obseruet Episcopus in tali euẽtu se esse Patrem, & Iudicem, vt vnà cum rigore iustitiæ paternam adhibeat charitatem, in Religionis decorem; cuius splendor si deficit in filio reperitur in Padre. Quam resolutionem amplexati sunt pii Prælati Religionum amatores. Quamplurima dubia fuisse declarata *à S. Congregat. 19. Septembr. 1625.* refert Barbos. *Alleg. 105.* de hac materia *super cap. 14. Concily.* 1. Quod Episcopus informationem capere posset, & ad Superiorem remittere. 2. In instantia Episcopi sufficere vnicam requisitionem. 3. Non sufficere, vt Episcopus certior fiet per acta, & sententiam transmissam, sed requiri, vt certioretur à Superiore de executione sententiæ latæ. 4. Dispositionem Trid. locum sibi vindicare. Quando delictum fuerit scandalosum, & notorium in Ecclesia; secùs si intra Claustra. Hæc Barbos.

5 *Sed cuinam Superiori, Conuentuali, vel Prouinciali, remittendus sit Regularis delinquens?*

Respond. Locali, seu Conuentuali secundum Portell. *v. Episcopus num. 2.* quod si localis non posset punire ob aduersa statuta, scribat Prouinciali, cui seruatum est punire atrociora crimina, nam seruãda, & non paruipendenda Regularium statuta; negligente verò Prælato, punit Episcopus delinquentem, & Superior à Suo Superiore priuatur, iuxtà Sanctiones Apostolicas. Addit Portellus *d. loco.* Pluribus conditionibus debere euentum constare. 1. Quod delictum sit notorium, 2. Scandalosum. 3. Extrà claustra. 4. Instantia Episcopi, & 5. Precedente negligentia *Prælati.* His omnibus habitis insurgit Potestas Episcopi. Secùs vna deficiente.

6 *Sed an Episcopus possit fulminare Censuras circa Regularem delinquentem?*

Respond. Rodriq. *tom. 2. q. 63. ar. 7.* Affirmatiuè, sed non placet Portellio *d. loco in Add. num. 5.* Tũ quia *in dicto Cap. Trid.* non expressè elargitur talis facultas, prout in aliis locis experimur *sess. 25. cap. 16.* Pro restituendis bonis Nouitio nolenti profitèri, & *cap. 5.* contra Moniales clausuram non seruantes, *&* *sess. 22. in decreto de Celebr. Missarum* Contrà Regulares celebrantes in Oratoriis priuatis. Ipsi tamen placet dicere cum Portellio ad seruandum Sixti 4. Mendic. Priuil. dictam compulsionem, & punitionem fieri posse per alias pœnas, etenim ex diuerso verborum tenore in Trident.

ali-

aliiſque diplommatibus; colligitur diuerſa mens legum, quæ niſi exprimunt, non intelligunt derogare Priuilegio, prout in caſu. Munitur hæc ſententia authoritate plurium DD. ſuprà viginti, apud citatos.

Demum Regulares prædicantes contradicente Epiſcopo, poſſunt cōpelli Cenſuris, aliiſque pœnis vigore *Conſtit. Greg.* 15. *Inſcrutabili.* Innouatę *à Clem. x.* incipit: *Superna,* 11. *Kal. Iulij* 1670.

7 *Sed quid, ſi Regularis deliquerit ergà perſonas intrà ſepta degentes, aut circà* Clauſuram *Monialium?*

Reſpond. Epiſcopum poſſe procedere virtute ſupra dictæ conſtitutionis Greg. 15. tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, Cenſuris, & pœnis à iure ſtatutis, licèt huiuſmodi delicta nō eſſent notoria, vt voluit Lottier. *de Beneſ. lib.* 1. *q.* 24. *num.* 66. probabiliùs tamen aliis non paucis placet intelligere de notoriis, modo præſcripto à Trid. *dicto Cap.* De declaratione Cenſurarum contra alloquentes Moniales abſque licentia, vide *Poteſt.* 127.



De Epiſcopo conſecrante Calices, & Patenas.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt conſecrare* Calices, *& Patenas.*

2 *Sed quid de Reconſecratione?*

3 *Sed quid de Sacro Vaſculo, ſeù Pyxide, vbi aſſeruatur SS. Chriſti Corpus?*

4 *Caſus notandus de furto* Calicis.

Poteſtas CXV.

1 POteſt Epiſcopus conſecrare Calices, & Patenas in quibus SS. Chriſti D.N. Sacrificiū offertur, & conſecratur. Ita *ex Cap. vn. §. vngitur præterea, De Conſecratione.* Ratio eſt, quia vſus Sacri Chriſmatis ſoli Epiſcopo competit vi ordinis, & characteris Epiſcopalis; cuius virtute pariter habet in Eccleſia Sacra Olea benedicere, eiſque dicta vaſa delinire, vt fuſius dixi *Pot.* 40. Tantæ inſup dignitatis eſt vaſa Sac. conſecrare, vt inter indelegabilium numerū ab Epiſcopo reputatur. Vt notauit Sbroz *de Vicario. lib.* 2. *q.* 9. *num.* 8. Rodriq. *q. Reg. tom.* 1. *q.* 19. *ar.* 1. Poteſt quidèm delegari à Papà, de cuius priuilegio noſtris PP. Minor. & PP. Ieſuitis in Indiis, ſicut & Guardianis in Hyeruſalē indultū eſt; vt notat Henriq. *in Summ. lib.* 9. *cap.* 118. §. 2. *lit. H.* Poſſe quoq; dicta vaſa conſecrare Abbates vtētes Baculo, & Mitra, defendunt Gemin. Syluester, Facund. & Azor. apud Lezan. *in Summ. cap.* 18. *nu* 58.

2 *Sed quid de Reconſecratione?*

Reſpond. Et quia quandoque accidit S. Vaſa execrari per fractionē, vel amiſſionem deaurationis, in ea parte, qua Corpus, vel Sãguis Chriſti habent contactum. Oportet in his, & ſimilibus caſibus, nō verò p ſeparationē cuppæ à pede calicis tornatilis, reconſecrari, Tum quia benedictio iniecta Calici, & Patenæ pro vſu conſecratiuo, videtur turbata, quia principali deperſo, vas clamat nouã benedictionem, vt reſtituatur in priſtinum, prout dixi de Sacr. Suppellectilibus, *Poteſt.* 41. Aduertit tñ Armilla *v. Calix. n.* 4. Vaſa non execrari per aliquos ictus à fabro inflictos, & ſequitur Azor. *quæſt.* 5. Ratio dicti eſt, quia non amittitur benedictio, niſi per duo, videlicet: fractio, & exauratio, per

quæ munus, ob quod benedicuntur, impeditur. Neque valet Axioma: benedictum trahit non benedictum, inquam non; cum Calix nō sit benedictus, nisi pro munere ad quod inseruit, quo ablato, per duo prædicta, nil eius manet benedictū; idcircò in tali casu vasa erunt recōsecrabilia, & quidem ab illo, à quo fuère 1. consecrata; à quo enim fit res, ad eumdem spectat emendare, nisi dicere velimus, iteratam benedictionem, & consecrationem dici per respectum ad priorem, ex quo non desit esse veram Consecrationem, faciendam ab eodem potente vti oleis sacris in tali munere.

3 *Sed quid de Sacro Vasculo, seu Pyxide, vbi asseruatur* SS. *Christi Corpus?*

Respondet Suarez *disp. 89. sect.* 3. debere consecrari, Vasquez ait: non, quorum contrarias opiniones conciliat ipsa consuetudo in Episcopatu, semper consulenda, quæ si obtinuit id fieri, erit sequenda, cum Suarez; si verò non, cum Vasq; reuerèter erit relinquenda, eo quia Vasculum illud, tactu, & præsentia Authoris benedictionum benedicitur, & consecratur.

4 *Casus notandus de furto Calicis?*

Quis Calicem ex arca Religiosi in Conuentu furatus est, num in Excomm. incidat? Respond. cum Bonac. *tom.* 3. *disp.* 3 *p.* 12. *à num.* 8. Negatiuè, nisi sit cum fractione parietis, vel Ecclesiæ portæ, aut fenestræ, *ex cap. Conquæsti de sent. Excomm.* & subdit nomine Ecclesiæ solum venire materiale Ecclesiæ, excludendo Sacristiam, Oratoria, Monasteria, & alia Pia loca; cōtra Suarez, Nauar. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 6.

De Episcopo consecrante Ecclesiam in sua Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest consecrare Ecclesiam in sua Diœcesi.*

2 *Sed quanam obseruanda erũt in Ecclesia consecratione?*

Potestas CXVI.

1 POtest Episcopus consecrare Ecclesiam in sua Diœcesi. *Ita ex cap. Nemo* 1. *de Consecrat. dist.* 1. Tum quia ordinis Episcopalis est, eique inest Domos Dei seruitio dicatas, & constructas offerre, benedicere, obsecrare, & sanctificare; vt diuina celebrentur officia, & Missæ ad commodum, fideliumque profectum. Pariter quia hoc ne dum Ordinis, verum, & iurisdictionis est *ex cap. Aqua De Consecrat. Ecclesiarum*, vt aduertunt Bonac. *de Sacram. disp. vl. p.* 9. *num.* 8. & Miranda *in Manual. tom.* 2. *q.* 39. *ar.* 1. *concl.* 3. & fusiùs dicam P. *post. Impot.* 35.— Dixi in sua Diœcesi, nam in Aliena, etiam si ipse construxisset, nec posset, *ex c.* 1. *&* 16. *q.* 5. Quia hęc iurisdictio clauditur territorio, extrà quod exerceri nequit, idcircò nisi de facultate Episcopi loci, vbi sita est Ecclesia, consecrare posset; apud citatos DD.

2 *Sed quanam obseruanda erunt in Ecclesia consecratione?*

Respond. Ex parte Episcopi; Ieiunium, quoduè non sit suspensus, qui infingere debet 12. Crucibus S. Chrisma, dicens: *Sanctificetur, & con-*

consecretur, si verò fortè actus cõsecrationis non perficeretur, reinchoari, & perfici debet, ex S. Cõgr. 12. *Apr.* 1614. refert Barbos. *in Collect. dec. coll.* 215. *num.* 5. Verum quod si non posset Episcopus ob aliquod impedimentum circumire Ecclesiam, per 4. parietes, sufficit consecranti se conformare quoad fieri potest Regulis in Pontificali ex eadem S. Congreg. apud *Idem.*

Secundo ex parte Patronorũ, qui & ieiunare pridiè debent, prout iniunxit Leo Papa; Assignatio dotis competentis, & sufficientis ad ministrorum sustentationem, paramentorum, & luminum prouisionem; omnia examinanda ab Episcopo; aliàs de proprio dotare tenetur. *ex cap. Tuo de Consecrat. Ecclesiæ.*

Tertio ex aliis capitibus: decet Ecclesiã die festiuo cõsecrari; quamuis omni tempore possit, *ex eodem cap. ibid.* Festum verò pro altero die nõ immutare, inconsulta S. Apostolica. *ex S. Congreg. apud Gauant. in Rubr. Breu. sect.* 8. *cap.* 5. *num.* 14. Nec reconsecrare, nisi prout ex dicendis *Potest.* 246.

Si demũ controuersum fuerit, nũ fuerit cõsecrata? consulantur indicia, Cruces, acta, vel per testes, vnumq; sufficere, qa extrà alterius præiudicium; nec nisi probatur, in dubio consecrabitur, *ex Gloss. cap. Proposuisti, De Consecrat. Ecclesiæ.* Vna cum Missa; indecet tamen sine ea consecrari. *ex cap. Omnes de Consecrat. dist.* 1. & non sine graui scrupulo, factum tamen tenuere, apud Mirand. *d. loco.* Consecratio Ecclesiarum Fratrum Minorum fieri debet ab Episcopo loci, eoquè renuente, ab alio ad libitum fratrum, ex indulto Apost. Honorii 4. quòd pariter obtinuère Carmelitæ à Ioan. 23. refert *Compend. Priuil. Mend. v. Altare, & v. Benedicere.* Nec obstat Trid. *sess.* 6. *de Ref. cap.* 5. Quod Episcopi in aliena Diœcesi non exerceãt Põtificalia et cuiusuis priuilegii prætextu. Nam dicta priuileg. videntur esse ius commune *de supplenda Prælat. Neglig.* vt ait Barbos. *d. loco.* Nota tandem quod Episcopus nil sumere potest pro cõsecratione, nisi spontè oblatum, à non indigentibus, *ex cap. Statuimus* 1. *q.* 1.

De Episcopo consecrante Sacram Aram.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest consecrare Sacram Aram, seù Altare.*
2 *Sed quid de Altarium execratione?*

Potestas CXVII.

1 Potest Episcopus consecrare S. Aram, seù Altare. De cuius institutione, consecratione, & vsu latè habent Durandus in *Rationali Diuinorum lib.* 1. *cap.* 2. Graff. *in decis. Aureis p.* 1. *lib.* 2. *c.* 47. Henriquez, Suarez, aliique non pauci apud eosdẽ. Nomen Altaris significat Altam rem, in qua Veteres Diis sacrificabant, quapropter in Ecclesia reiecto nomine Arcæ, Altare vocatur, quod duplex est. Fixum, estque tota illa mensa, in qua fit Sacrificium, & Portatile, estque paruus ille lapis tantæ latitudinis, vt commodè reponi possint Pes Calicis, & Hostia, in medio perforatum, vbi reponuntur Sanctorũ

Reliquiæ (nũquam Corporis Christi) in sui consecratione ab Episcopo, hecque innuunt illa verba Sacerdotis: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt*, quasi Christi corpus reponẽdũ sit suprà Sanctorum sepulcrum; & de hoc lapide est sermo in presenti; cuius consecratio ad Episcopum spectat, tamquam ipsi reseruata ex ordine Episcopali *in Cap. cum sicut; & cap. Altaria de Consecratione Ecclesiæ*, adeoquod, nec possit delegari nisi à Papa alteri simplici Sacerdoti, prout diximus *Potest. antecedenti*. Ritus verò consecrandi Altaria habetur in Pontificali Romano. Congruit denique vt Altare maius (si congruè aptari possit) respiciat Orientem.

Quamplurima sunt præscripta de Altarium consecratione, 1. Ea non fieri sub quibus, vel eorum bradellis sepulta essẽt corpora Defunctorum, nisi illis remotis. *ex Sacra Congregatione 8. Nouembris* 1599. Gauant. *in Man. v. Altare*. 2. Permittitur Altare ligneum cum Ara lapidea, *Sacra Congregat.* 10 *Nouembr.* 1611. apud Lezan. *Q. Reg. tom. 3. v. Altare num.* 2. & fusiùs *P. post. Imp.* 55.

2 *Sed quid de Altarium execratione?*

Respond. Altaria exacrari, seù violari per amotionem Reliquiarũ, vel fractionem notabilem, videri Episcoporum. *Piasech.* & alii apud Miranda *tom 2. q. 39. ar. 1.* quo in Altari, seù lapide profanato, celebrari nequit absque noua Episcopi reconciliatione, & remotione impedimẽtorum. Exacratus autẽ lapis nõ potest vendi, nisi ad vsum decentem. Indulta Apostolica celebrandi in Altari portatili pro Regularibus non fuit in vsu, sed reuocata à Tridentino *in decreto de Sacrificio Missæ, sess.* 22. quidquid Rodriquez dicat: sed friuolè ait Barbos. *de Episcopo Alleg.* 23. *num* 4. Pro Episcopis autem aliter dicendum est in *Potestate* 43.

De Episcopo conueniente in Electione Abbatissę exemptæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conuenire in Electione Abbatissæ exemptæ.*

2 *De obseruandis ab Episcopo in Electione Abbatissarum exemptarũ.*

Potestas CXVIII.

1 Potest Episcopus conuenire in electione Abbatissæ exemptę, ex Const. Greg. 15. incipit: *Inscrutabili. Non. Febr.* 1622. & quia de electione cuiuslibet Abbatissæ fusiùs agam *Potest.* 180. hic de exẽptis separatim resolutionem apposui vigore dictæ constitutionis, cuius verba sunt hæc. *Ac similiter possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa*. Cui accessit declaratio Sacræ Congregationis sic: *Regulares ita demum teneri Episcopo significare diem Electionis Abbatissæ, eamq; vsque ad præfinitum*

Digitized by Google

tum tempus expectare, si ante ipse expressè declarauerit se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per aliū interesse, ac præsidère. Post eam verò declarationem licère Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die Electionis, eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Cos. Card. de Torres. *Loco ✠ sigilli. Prosper Fagnanus* S. *Cong. Secret.* Quod approbauit Vrb. 8. *ann.* 1626 vt refert Cespedes. *cap.* 22. *de exemptione Regular.* estque Constitutio Greg. in robur Tridentini *de Monialibus sess.* 25. *c.* 7. dū supra earū Superiores alium constituit Præsidentem ad vigilandam exactius obseruantiam dicti capitis; prout in sequentibus.

2 *De obseruandis ab Episcopo in Electione Abbatissarum Exemptarum.*

Primò videndum, num eligenda in Abbatissam fuerit ætatis quadragenariæ, & otto annorum post professionē, vitæq; laudabilis, aliàs eligenda ex alio Monasterio eiusdem ordinis, quod si incommodum videbitur Superiori, eligat ex eodem Monasterio aliam, quæ compleuerit 30. annos, & quinque Religionis post professionem, modò rectè vixerit, sup quā ætatē non potest dispensare Episcopus, vt notauit Azor. *in Instit. Moral. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. contrà Garc. *de Beneficijs*. Itaque deficiente quadragenaria estò minus apta, electio alterius inferioris ætatis erit nulla, ex Rota 22. *Maij.* 1604. apud Aldan. *in compend. resol. canon. lib.* 1. *tit.* 28. *num.* 12.

Secundò Videndum, num eligēda fuerit aliquo impedimēto irritāte vel impediente innodata, puta si laboraret infamis iuris, vel facti. Tūc nō poterit eligi, apud Lezā. *in Sūm. quæst. Regul. cap.* 26. *num.* 1. Vel illegitima, quæ absque dispensatione S. Apostolic. non potest eligi, aliàs nulla erit electio. vt notauit Homobon. *de Statibus p.* 1. *cap.* 24. contrà Eman. Rodriquez. Vel num Virgo? nisi consuetudo aliter obtinuerit, neutiquā verò si post castitatis votum fuerit preuaricata. Apud eosdem Sanchez *in præcep. decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 23. & Tambur. *de iure Abbatiss. disp.* 28. *quæst.* 13.

3. Videndū, nū Electa ab officio triennio vacauerit, nè absque dispensatione S. Apostolicæ immediatè reelegeretur ex Const. Greg. 13. incipit: *Exposcit* 1. *Ian.* 1583. Altera Soror Abbatissæ præteritæ non impedit immediatè eligi, estò deceat aliam eligere; ni tamen in Monasterio mox, vel Constitutio esset succedere in gradu ansianitatis. Tunc enim duæ sorores se inuicem succedere possunt, & conuenit, prout in praxi, in magno, ac Regali Monast. S. Claræ Neapolis, vbi confessarius de mandato Eminentissimi Protectoris Barberini destinatus, vidi vnam alteri Sorori succedere *ann.* 1671. & expedito Triennali cursu. R. Lauræ Billi Abbatissæ successit R. Beatrix Billi eius Soror.

4. Videndū, num vota eligentiū sint Secreta, & data à Monialibus professis post 2. annos ab emissa professione, numquam tamen à recenter professis, vel cōuersis quid quid sit in aliis electionibus; præsertim in Italia *ex Const. Vrb.* 8. *Exposito nobis*. Apud Tamb. *de Iure Abbatiss. d. loco quest.* 5. Per Superiores Regulares Monialium; non verò ab Episcopo colligēnda, *ex S. Cong.* 10. *Septembris* 1659. apud Lantusbam *in Theatro Regular. v. Abbatissa*, *num.* 2. estque tenoris sequentis.

Sacra

Sacra Congregatio censuit Episcopũ in Electione Abbatissæ Monasterij Monialium Regularibus subiectarum non posse exquirere, seù recipere vota Monialium, sed illa exquiri, & recipi debere à Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo. Ioannes Baptista Panfilius. Loco ✠ Sigilli. Franciscus Paulutius Sacra Congregationis Secretarius.

Quantò Vid. cdam, esse electionẽ, in qua debet concurrere maior suffragantium pars. Adeò quod si duæ partes discordes fuerint, & non conuenerint, tunc Superior deputabit vnã in Abbatissam, assignãdo illis tẽpus ad se concordãdũ; quo elapso, & non conuenientibus votis, Superior nominabit vnam, quam maluerit, conformiter ad præscripta de Electione Abbatissæ. Ita *Sacra Congregatio* 12. *octobris.* 1592. apud Lezan, *v. Abbatissa num. 6.* Et quia, in iure decernitur vota debere esse Secreta; *ex dictis n.* 4. Alias inualida electio; pro eo tamen qd sciret Episcopus, eiusque Vicarius, & Secretarius, cum Superiore, non diceretur publica, sed secreta, atque adeò valida electio, *ex eadem Congregatione* apud Lezan. *ibid. num.* 3.

Pro complemento huius Potestatis, Episcopus assistit tamquam Præses, ad omnia munia obeunda à Superiore, qui si negligens, vel obses fuerit decretis, & statutis, pro vera, & valida electione, curabit Præses obseruantiam, aliàs eũ p censuras compellere poterit; *de supplenda negligentia Prælatorum.* ita Doctores citati.



De Episcopo cõuertente Redditus Missarum, pro emptione Paramentorum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest conuertere Redditus Missarum vna vice tantum, in emptionem paramentorum Ecclesiæ.*

Potestas CXIX.

1 Potest Episcopus conuertere Redditus Missarum vna vice tantum, pro emptione paramentorum Ecclesiæ. Probatur ex dictis *Potest.* 50. & 60. Sic: currentibus iusta causa, & consensu heredũ accommodare, seù aptare potest Episcopus redditus Ecclesię pro Missis, ad commoditatem Paramentorum. indè, vt Regis sponsa vilibus lacerisq; nõ incederet vestib⁹, ex quo Mũdo ridiculum esset, si Missarum cibis satiata, debitos desideraret ornatus; neque vetitum est Episcopis pro vna vice voluntatem Defunctorum commutare ad necessarium Ecclesię, seù Cappellę vsũ seù accommodare, vel occurrere eius indigentię. Nec obstat *Clem. quia contingit de Religiosis Domibus,* quia moderata fuit à Trid. *sess.* 22. *de Ref. c.* 6. vt innui *Potest. cit.* vel habet vim nulla currente causa. Stantibus itaque Ecclesię necessitate, & voluntate heredum, videtur Testantium dispositio rationabiliter cõuincta, vt Episcopus possit accommodare redditus præfatos dictis necessitatibus Ecclesię. *Dicet quis*: Missam quolibet opere præualere. Ideò inalterabilis voluntas Testatoris, quę semper est ad melius: Resp. absolutè id verum esse: attenta autem necel-

Digitized by Google

cessitate Ecclesię, hoc meliùs exuperans est, videre nouam illā Hyerusalem paratam, sicut sponsam ornatam viro suo; nilque tandem indecorum, eam scopis respicere mundatam; nilque meliùs apud Deum, quam accepta voluntas testatoris, ad retributionem. Ita sustinent Aloys. Ricc. *coll.* 558. *vers. Cuius* Vgol. & alii apud Dian.



De Episcopo curante, & sollicito in Augmento Diuini Cultus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest curare in tota sua Diœcesi, vt fideles baptizentur, & augeatur Diuinus Cultus.*
2 *Sed quid de Confessione, & Communione Annua fidelium?*

Potestas CXX.

1 POtest Episcopus curare in tota sua Diœcesi, vt fideles baptizentur, & augeatur Diuinus cultus. ad satisfaciendum muneri, & oneri impositis. De quibus fusè actum est *Potest.* 253. hic autem est, sola mentio data Episcopis à Tridentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 4. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 20. & *sess. v. de Ref. cap.* 2. ad vigilandum in gregem sibi suppositum, vtque fideles rudimenta fidei, & obedientiam Parentibus debitā addiscant, compellendo inferiores curatos per Censuras, & alia iuris remedia ad executionem iniuncti muneris Præsertim obligat hæc Potestas in partibus vbi abundant infideles, quos totis viribus, & conatu vocare debet ad fidem, vt vna voce profiteantur omnes symbolum fidei, & Christi doctrinam; ideò tamquam Doctor, expulsis ab infidelibus falsis dogmatibus, sanam doctrinam in cordibus inserat fidelium; & tamquam Pater Agricola ab agrestibus maturos racemos segregare debet. Deindè Episcopo erit diuinum augere cultum, quia vinea in fidei radicibus plantata, deseri non debet, sed coli, & augeri verbo, & exemplo; Veneratione, & frequentia Sacramentorum; Diuinorum officiorum celebratione, & aliis Ecclesiæ ritibus; his enim crescunt radices bonorum operum, in Palmite Diuini cultus. Memores præterea Ecclesiarum Pastores, & Principes: Deo reddituras oues in sollicitudinem alsūptas, in Valle Iosaphat immaculatas, fide firmas, atq; bonis operibus satiatas præsentare, scientes hanc excusationem non admitti; si lupus oues comedit, & pastor nescit; quia curare, vigilare, eradicare, seruare, pascere, nutrire, & visitare tenentur.

2 *Sed quid de Confessione, & Communione Annua fidelium?*

Respond. Teneri cògere fideles ad præceptum Ecclesiæ, quæ relictis antiquis iuribus, ait in Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *lic: Sed vt præceptum Confessionis saltem semel in Anno, ab omnibus, & singulis, cum ad Annos discretionis peruenissent, impleretur,* & de Communione *sess.* 13. *can.* 9. *Si quis negauerit, omnes, & singulos Christi fideles vtriusq; sexus, cum ad ānos discretionis peruenerint teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandū, iuxtà præceptū* S.M.E. *anathema sit*. Quapropter placuit Episcopis in Synodis Diœcesanis excommunicationis neruo minitare fideles ne-

negligentes, in obseruantiam dicti præcepti. Vel declarare feritos esse excommunicat. gladio, illosque repertos non adimpleuisse. Estque consuetudo laudabilis, & retinenda.

Ad cognoscendum verò tempus ab Ecclesia præfinitum dico: Necessitatem Confessionis vrgère semel in anno; hoc est à Ianuario in *Ianuarium*; vel à Quadragesima ad quadragesimam, ita Suar. & Vasquez apud Dian. *in Summ. v. Confessionis necessitas*. Pariter in Articulo Mortis, & quoties peccator vult Sacramentum Eucharistiæ suscipere, vt colligitur *ex Cap. Omnes vtriusque sexus*. — Tempus autem S. Cõmunionis est. à 1. Dominica Quadrages. vsque ad Dominicam in Albis, *ex Decreto S. Congr.* 19. *Nouembr.* 1619. refert Sell. apud Barbos. *Collect. decis. Apost. v. Communio Sacra, num.* 1. *Itaque* satisfaciunt præcepto suscipientes S. Communionẽ in hebdomada Sancta, vel infrà octauam Paschatis, *ex Bulla Eug.* 4. incipit: *fide digna* 8 *Iulij*. 1440. Potest tamen dictum præceptum extendi ab Episcopo, aut Parocho, seù Confessario, ex rationabili causa, veluti quandò timetur peccati relapsus; ob grauitatem delicti, vel id expediret conscientiæ serenitas, *ex Sacra Congregatione citata*, apud Barbos. *d. loco, num.* 5. Non desunt tandem dicentes: Tẽpus Communionis esse à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in albis, fortè hoc quia sic solet in Synodis determinari, tamen sententia supra est decisa. Aduerte deniq; quod quando quis manè communicauit, & post meridiem in periculum incidit moriturus, posse iterum communicare absq; nota peccati. Docuit Hurtad. *de Euchar. disp.* 10. *diff.* 2. Summ. Dian. *v. Commu. necessitas. num.* 9.

D

De Episcopo dante benedictionem in itinere, etiam tempore interdicti Generalis.

SVMMARIVM.

Episcopus potest dare benedictionem in Itinere tempore interdicti generalis.

Potestas CXXI.

1 POtest Episcopus dare benedictionem in Itinere, etiam tempore interdicti Generalis. Prior pars habetur ex Pontifical. Roman. & memorant Vgol. *de Potest. Episcopi cap.* 31. *num.* 2. & Barbos. *de Episcopo Alleg.* 27. *num* 63. Atq; ipsa praxis omnium rerũ magistra confirmat, videndo Episcopos tamquã Patres filiis suis benedictionem impendere, ad differentiã Sacerd. simplicium. Episcopi. n. vocantur Præsules, quia in Concilio President. Antistites, quia ante alios stant, primã occupantes Sedem. Pastores, quia sibi oues creditæ, vocem eius audiunt, & fratres Summ. Pontificis, quasi

Digitized by Google

quasi illi ęquales benedicentes populum. Ideò iure optimo semper, & vbiq; subditis suis benedictionis beneficiũ impendere possunt. *Instar* quod Patriarchæ benedictionẽ impertiebãtur filiis suis in hęreditatem omnium bonorum; virtute cuius filii crescebant, in rore Cæli, & pinguedine terræ. Enim verò in veteri lege, Patrum benedictiones Sacramentalia habebantur, quibus innita Mater tãtæ fidei Rebecha conabatur auertere benedictionem Esaù ad Iacob de Patre eius Isaac, & multiplicata fuerunt semina Iacob, meruitque videre in somnis Dominum Scalæ innixum. *Gen.* 27. & 28. Tanti demũ valoris extabat benedictio Patris in filios, vt in semine benedicti benedicebãtur cunctæ tribus terræ, ex verbis Saluatoris. Propterea Episcopus in sua Diœcesi actus dignitatis, iurisdictionis, eminentiæ, & Paternitatis exercens, Populum, etiã iter agens, benedicit publicè, *Ex quo* fideles lucrantur 40. dierum Indulgentias, de quibus *Potest.* 33. & 42. Posterior verò pars si patitur difficultatem ita conuincitur: Actus benedicendi Populum non contradicit interdicto generali, cuius vis ad solam priuationem officiorum ordinis se extendit, non verò circà spiritualium iurisdictionem; vt fusè probat Syluester. *v. Interdictum* 5. §. 3. *num.* 4. At publica benedictio in itinere est actus iurisdictionis, & Præeminentię paternalis, ideo, &c. Quare interdictum generale tantum operatur, vt Episcopus ordines tunc conferre, etiam primam Tonsuram, Aquam, Populum sollemniter benedicere non possit, cum hi sint actus officii; apud Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 176. Modo tamen ipse non dederit interdicto causam, quia tunc, & ipse interdictus est, tamquã culpabilis, & censetur sicut alii personaliter interdicti. Verùm quippè est, quod interdictis Ciuitate, Populo, vel Vniuersitate, ipse tamquam exemptus ex priuilegio iuris posset celebrare, vt docent multi apud Couar. *in Cap. Alma Mater*, *p.* 2. §. 4. Quid autem erit presente Metropolitano? Vide *P. post. Impot.* 166.



De Episcopo dante Parochis coadiutorem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dare coadiutorem expertum Parochis illitteratis, & inhabilibus.*

2 *Sed quid de inhabilitate?*

3 *Sed quid si Beneficiarius perpetuò detineretur impedimento?*

4 *Sed quid de Beneficiario administratore in temporalibus, & spiritualibus, in vno ex his inhabili?*

Potestas CXXII.

1 POtest Episcopus dare coadiutorem Parochis illitteratis, & inhabilibus. Ita ex antiquo iure, *in Cap. Illitterat.* 36. *dist. Cap. Nisi cumpridem de Renunciatione cap.* 1. 38. *dist.* & *cap. cũ ex eo de Elect. in* 6. Quod ius renouatum est à Tridentino *sess.* 21. *de Ref. cap.* 6. his verbis.

Quia illitterati, & impediti Parochialium Ecclesiarum Rectores, Sacris minus apti sunt officijs, & Alij, propter eorum vitæ turpitudinem, potius destruunt, quàm ædificant: Episcopi etiam tamquam Apo-

stolicæ Sedis delegati, eisdem illitteratis, & imperitis, si aliàs honesta vita sint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare; partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel alitèr procedere possint, quacunque appellatione, & exemptione remota. Et quia hodiè vix àccidit casus, Trident. prohibente beneficia curata huiusmodi illitteratis conferri, & collata irritari, *sess. 7. cap.* 3. his verbis: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam Animarum habentia, personis dignis, & habilibus cõferantur; alitèr autem facta collatio, siue prouisio, omninò irritetur.* Idipsum *sess. 22. de Ref. cap.* 4. sic; *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, alitèr irrita sit prouisio.* Ex quibus textibus colligitur; prouisum sub mortali teneri, necessariam scientiam habere; vel renunciare, intereaque fructus restituere. Quocircà Potestas firmatur ex prædictis textibus, pro illitteratis, hoc est minus idoneis, & per malam vitam factis ineptis post prouisionem, quibus ritè dispositum est: Vicarios, seù coadiutores assignari deberi, qui et tenentur vna cũ beneficiario residère, ad subueniendum oneribus impositis, interessendo diuinis, *ex decis.* apud Quarant. *in Summ. Bullarij v. Residentia num.* 1. cum assignatione fructuum. In casu tamen Parochi infirmi placet sententia Barbosæ *de Episcop. Alleg.* 63. *num.* 15. cogendos esse parochianos ad alimenta vtriusque.

Dicet quis: illitteratorũ, & insufficientium prouisio est irrita: ergo renouanda, & non emendanda cũ assignatione coadiuctoriæ.

Respond. Illitteratos, & insufficientes esse in duplici differentia; sunt enim primò omninò illitterati, de quibus locũ habet argumẽtum. Sũt secundò illitterati, hoc est minus apti, vel sic facti per malam vitam, & de his habet locum posita Potestas, vnà cùm Trid. *dicto cap.* 6.

2 *Sed quid de inhabilibus?*

Respond. Inhabiles dici Parochos, Sacramenta Pœnitentiæ, Baptismi, Matrimonii, & Extremæ Vnctionis, vel alia munia ministrare non valentes; quo casu assignantur Coadiutores ab Episcopo. contra quosdam dicentes; assumi posse ab iisdemmet Rectoribus, & est contra dispositionem Conciliarem; nisi dicamus: id ad tam breue tempus, puta per 8. dies, vel ad mensem; etenim per duos menses alitèr dispositum est à Tridentino *sess. 23. de Refor. cap.* 1. prout de Absentia Rectorum; Nota tamen quod inhabilitas, siuè sit perpetua ex senectute, siue ad tempus fundat coadiutoriam in fauorem parochianorum, quorum interesse subuenit Trident. in Animarum profectum.

3 *Sed quid si Beneficiarius perpetuò detineretur impedimento?*

Respond. Parochum perpetuo impedimento laborantem. Puta Lepra, Amentia, & simili, deberi ab Episcopo remouèri, ne sit Populo inutilis, & horror. Si autem esset omninò impotens ad munus; potens tamen ad instruendum Coadiutorem assignatum, ipsum docere tenetur, quid agendum in casibus occursuris. Si tandem esset sui, & alterius muneris turbator, Coadiutor denunciabit Episcopo, cui erit vti iure suo *in cap. Tua nos. De Clerico ægroto*, illum ab officio remouendo. Ita Flam. *de Resign. lib.* 5. *q.* 6. *num.* 17. Grac. *de Benef. p.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. & aliis relatis à Barbos. *d. loco. Alleg.* 64. *num.* 12.

4 *Sed quid de Beneficiario admini-*

stra-

Digitized by Google

stratore in Temporalibus, & Spiritualibus, in vno ex his inhabili?

Respond. Coadiutorem assignari ad subueniendũ inhabilitati illius partis; pariformiter si inhabilitas coadiuti esset ex omni parte, tunc tota administratio resideret pænes Coadiutorem. *ex Cap. de Rectoribus*. Azor. *in st. moral. p. 2. lib. 3. cap. 2. quæst. 10.* Itaque Episcoporum iudicio relictum est assignare coadiutorẽ, quòad partem, & totum; tamquam illi, cui principale, quoque accessorium. Coadiutoris denique officium, & potestas est ad mensuram indigentis coadiuti; itaq; illa omnia posset quãtum Coadiutus. Ita defendit Leo *in Thesauro p. 2. cap. 4. num. 64. & Alij apud eundem.*

De Episcopo dante consensum ad acquirendum ius Patronatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dare consensum ad acquirendum ius Patronatus.*

2 *Sed quando præstari debet consensus?*

3 *Sed num in casu præsumitur acquisitum?*

Potestas CXXIII.

1 POtest Episcopus darę consensũ ad acquirendum ius patronatus Ecclesiasticum. Colligunt multi numero DD. *ex Cap. Piæ mentis 17. q. 2.* apud Farinac. *decis. 321 p. 2. recen. &* Azor. *in stit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 11.* Nouissimè autem innouatur *Cap. Nobis de iure patronatus*, à Tridentino *sess. 25. de Ref. cap. 9.* plurib. aliisq; cap. & locis. Vbi de fundatione, vel dotatione. *& sess. 24. de Ref. cap. 18. & sess. 14. cap. 13. de Ref.* Vbi de institutione. Qua in re vnà cum citatis, & citandis sic discurrendum. Ius patronatus Ecclesiasticũ, tùm à Clericis, tumque à Laicis tribus modis acquiri potest: Per Fundationem, Constructionem, & Dotationem Ecclesiæ.

1. Modo, quãdo quis assignaret fundum ad Constructionem Ecclesiæ, siuè ipse, siuè alii cõstruerẽt, eruntque omnes compatroni. Ita Abb. *in Rubr. de iure patronatus num. 2.*

2. Modo per Constructionem, quãdo quis propriis expensis operam daret Ecclesiæ, eãq; perficeret; apud Lamber. *de iure Patron. p. 1. lib. 1. q. 4.* vbi quoque sustinet, si vnus incipit, & alter perficit, vel totam restauraret collapsam, tunc in iure succedit perficiens, vel restaurator, vt docuit Gratian. *discept. for. cap. 177. num. 26.*

3. Modo, quando quis viduatam Ecclesiam dotaret sufficientèr ad sustentationem Ministrorum, & aliorum necessariorum. dixi sufficienter, aliàs tamquam solus Benefactor non posset prætendere ius; *in Cap. Filijs 16. q. 7.* vt Sacra Congregatio voluit, pęnes Garc. *de Benef. p. 5. cap. 9. num. 58.* & Barbos. *in Collect. v. Iuspatr. num. 4.* Similiter si cum dotis insufficientia computarentur Elæemosynæ, quæ non possunt rationem totalem sortiri, ob incertitudinem, apud Alois. Riec. *in praxi resol. 163.* Vel si Ecclesia fuisset fundata, constructa, vel dotata à multis de Populo, v.g. qđo singulariter dedissẽt plura modica, ad faciendum vnum satis. Tũc

Ecclesia libera erit; Secus si à tota vniuersitate, ratione communitatis, vt ait Lambert. apud Barbos. *alleg.* 90. Ad quæ omnia validanda, & in formam iurispatronatus reducēda, accēdere debet Episcopalis consensus, *ex Cap. Nobis. De iure patron.* fusè defendit Viui. *p. 1. l. 1. cap.* 11 *num.* 14. apud Gauant. *in Man. Epis. v. Ius patron. num.* 16. Igitur ius fundantis, Construentis, vel dotãtis examinari potest ab Epo, præcedente cognitione congruæ sustentationis; aliàs libera maneret Ecclesia, & dotabilis ab Episcopo de proprio. Quapropter Castropalao *in opere morali tom. 2. tract.* 13 *disp.* 2. *p.* 2. *num.* 8. ait absque Superioris authoritate, nec ædificari, neque in seruitutem redigi potest Ecclesia. Tandem adnectemus quidam apud Lambert. *d. l. art.* 4. Tres modos assignatos non debere omnes in praxi sigillatim concurrere, sed eorum vnum disiunctiuè sufficere: alterutro tamē ex duobus prioribus annecti semper debet tertius dotationis, videlicet: si quis ædificare voluerit Ecclesiam pro iure patronatus acquirendo; id non acquiret, nisi dotet, idipsum defundaure; contra Garc. defendentem alterutrum sufficere, apud *Barbos. d. loc.* non improbantem.

2 *Sed quando præstari debet consensus?*

Respond. ante, vel post factum, videlicet fundationem, constructionem, vel dotationem, vt sustinet Castropalao *d. loco.* Versu. *hic consensus.* Nota insup quod Episcopo, renuente præstare consensum, nulla præcedente legitima causa, compelli potest ab Archiepiscopo, vel Primate, ad quem licitè recurritur, pro supplenda negligentia *Prælatorum, in dic. cap. Nobis,* apud Azor. *d. l. lib.* 9. *cap.* 3. refert autē Barbos. *d. loco num.* 37. sub nomine Episcopi venire Abbatem, *& Cap. S. V.* docet Viui. *d. l. num.* 17.

3 *Sed num in casu præsumitur acquisitum?*

Respond. Quandoque præsumi 1. quando transfertur per successionem hæreditatis. Abb. *ibid. in cap. ex litteris.* Secùs in emptione castri, aut prædii, cui fuit annexum tale ius. Alias esset Symoniaca venditio. 2. quando fieret translatio ad locum Religiosum, *ex Cap. Illud de iure Patron.* Secùs si ad Laicum, apud Farinacc. *p.* 1. *recen. decis.* 685. *num.* 3. 3. in Donatione facta Religiosis à Patrono. *In eod. cap. Illud.* 4. in Remissione facta per Patronum suo socio compatrono. Achill. *decis.* 10. *de Iure Patronatus.* Secùs si remissio fieret filio compatroni; his, & aliis similibus potest præsumi acquisitum dictum ius, absque nouo Antistitis consensu, apud DD. citatos, quos pariter refert, & sequitur Barbos. *dicto loco.*

Accedunt Decreta Sacræ Congregationis hac de re edita *in cap.* 9. Concilii pro dubiis euentis, & veniendis; videlicet: titulum Iuris patronatus non acquiri per solam confessionem, aut narratiuam supplicantis; neque ex enunciatiuis antiquis cum quasi possessione: Neque ex priuilegio inualido; sed seruata forma Trident. constito limine fundationis, dotationis, vel constructionis, & immemorabili, quod excedat hominum memoriam. Vel cum præsentationibus continuatis spatio 40. Annorum, & per authenticas scripturas; prout notauit Barbos. *in decis. Apos. collec.* 441.

De

De Episcopo dante licentiam Monialibus sibi subiectis egredi è Monasterio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dare licentiam Monialibus sibi subiectis egredi à Monasterio, casibus infrà expressis.*

2 *Sed quid nomine incendij?*

3 *Sed quid nomine lepræ?*

4 *Sed quid nomine Epidemiæ?*

5 *Sed, an præter dictas causas liceat Monialibus egredi?*

6 *Sed quid de Casibus repentinis?*

7 *Sed quid de Monialibus exemptis, & Regularibus subiectis?*

Potestas CXXIV.

1 POtest Episcopus dare licentiam Monialibus sibi subiectis egrediendi à Monasterio, casibus infrà expressis. Hæc potestas vim suam sumit variis ex Sacr. textibus, & ex Tridentino *sess 25. de Regul. cap. 5.* vbi postquam Professarum exitum occlusit, etiam ad breue tempus, & quocumque prætextu, subiungit, sic: *Nisi ex legitima causa ab Episcopo approbanda*. In qua Sessione Concilium renouat Const. Bonif. 8 incipit: *Periculoso*, dicente: *Nisi fortè tanto, vel tali morbo, earum aliqua laborare constaret, quod non possit cum aliis absq; graui periculo, seù scandalo commorari.* Sed clariùs postquã ex B. Pio v. qui iniunxit obseruantiã dicti decreti per bullam, quæ incipit: *Curæ Pastoralis. 1. Iun. 1565.* Alteram edidit *ann. 1569.* incipit: *Decori*, vbi sic: *Numquam licère egressum, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*: Ex quibus apertè constat in adiectis causis legitimis, & expressis, posse Episcopum vti dexterà, tribuendo facultatem Sanctimonialibus professis exeundi à Monasteriis. Aliàs ex præfatis capitibus nulla ex dictis causis præcedente, interdictus est egressus, Tàm concedentibus, sub pœna excommunicat. ipso facto, ac priuationis dignitatum, officiorum, aliisq; ex B. Pio v. tàm Egressis, sub excommunicat. reseruata. Etiam si Monasteria sint Regularibus subiecta. Debet insuper Episcopus primò approbare præcisam causam, ex dicendis infrà *num. 7.* Licentiam deinde in scriptis, & ad tempus, ad metam necessitatis, ex dictis causis, & non aliàs, concedere. Hoc luce clariùs ex tenore vltimæ Constit. Diane.

2 *Sed quid nomine incendij?*

Respond. Intelligi ignem ita magnum, ex quo certò, vel probabiliter Mors violenta sequeretur, in omnibus Monialibus, prout vidi in mea Patria, Æstu ardente anno 1663. non sine magno Populorum terrore, & lacrymis, Moniales quasi omnium Monasteriorum exire, aliò ne seruandas pergere, maxima quidem Pastoris vigilantia. Aut si dice noctuuè repentinè accenderetur ignis, minitans in Monasterio mortem. Quare si ex ignis accensione non sequeretur id, sed esset extinctu facilis, adhuc magno Monialium labore, non licèret egressus. Verum quippè magnitudinem ignis probari, tùm ex circumstantium clamore, tumque ex leuitate Mulierum, & irruente de nocte, ita ut non possit subueniri ab aliis, & earum videri timeretur mors, Licet re vera non esset talis, poterunt egredi cum licentia tacita, & reponi simul in loco tuto, Ecclesia, vel alio statimq; certiorem facere Episcopum, cui erit

erit illicò prouidère, *vt infrà.*

3 *Sed quid nomine lepræ?*

Respond. Infirmitatem illam, cuius radix serpit ad alios, adeò quod si Monialis infecta non extraheretur à Monasterio, Mortem aliarũ ministaret; quia aufugi debet commune malum ab omni lege vetitum; ob quod vi bullæ præfatæ, licitus erit egressus, per facultatem Episcopalem in scriptis, & ad tempus, ex Const. B. Pii v. citata.

4 *Sed quid nomine Epidemiæ?*

Respond. Esse aliud infirmitatis genus contagiosum, pestiferum, & perniciosum vetans consortium populorũ iuxta dicta de lepra. Quare Monialis infecta vitari debet, & extrahi ab aliarũ cõsortio. Ad occludendam autẽ latiorem interpetrationem in re tanti ponderis. *Sacra Congregatio* 8. *Nov.* 1594. apud Lezan. *in Summ. quæst. Reg. tom.* 3. *v. Clausura. num.* 13. & Dian. *p.* 2. *tract.* 1. *resol.* 23. *In obseruãtia* Pianç Cõstit. declarauit. *esse veram, & realem* Pestem, *ita vt ob alias infirmitates, huic nomini, vel pacto consimiles, sed benigniores nullo pacto licères egressus, & ab omnibus inuiolabiliter seruari mandauit.* Card. Mellinus Loco ✠ Sigilli.

5 *Sed an præter dictas causas liceat Monialibus egredi?*

Respond. Attenta vi Pianæ constitutionis nulla adest causa, qua licitus de licentia Episcopi apparet egressus. Eo quia constitutio directa est ad claudendum egressum, contrà frigolas Monialium causas inuentas intuitu infirmitatum, vel prætestu vtilitatis aliorum parentum, & proximorum. Ex alio tandem capite constat, pro eligenda Abbatissa, quadragenaria, si quæ nõ reperiretur in eodẽ Monasterio, & absque magno incommodo conducibilis ab alio, tunc posset egredi vigore Tridentini *sess.* 25. *de Reg. & Monial. c.* 7. vt fusiùs dicam *Potest.* 180. Nonnulli insup putauerunt pro fundando nouo Monasterio, vel reformãdo; at in hoc casu consulenda sedes Apostolica, quæ ex causa sibi benè visa, & examinata concedere consueuit dictas licẽtias. Pro translatione deniq; Monasterii in eadẽ Ciuitate, Episcopalem licentiam sufficere defendunt non pauci, prout vidi magna cũ vigilãtia Pastoris F. M. Angeli Bonadies Epi Catanensis ex Generalis Seraf ord. Moniaales Monast. S. Luciç *die* 5. *Decemb.* 1679. de priori, ac solitario Monasterio, ad aliud nouitèr erectum transferri in eadem Ciuitate, ad Ecclesiam S. Thomæ Apostoli. De quibus licentiis fusè loquutus Zerolla *in praxi p.* 1. *v. Monialis* §. 16. & Tamb. *de iure Abbatiss. disp.* 21. *q.* 1. notauit Dian. *p.* 2. *resol.* 9. *&* 127. Idipsum de Moniali incorrigibili, apud Tamb. *d. loco*, contra Sanchez, & de Energumena, apud Lezan. *tom.* 3. *v. Clausura, num* 28. Alii verò sunt casus, in quibus licitus est egressus, Constitutionibus Ecclesiæ non suppositi, sed Naturæ legibus, vt in sequentibus.

6 *Sed quid de casibus repentinis?*

Resdond. Irruente persecutione inimicorum inuadentium, Imminẽte de proximo ruina domus, ridiculum esset expectare licentias, cum hi;, & similes casos, non dicuntur extrà mentem Concilii, & Constitutionum Ecclesiç, sed tamquam subiecti naturæ legibus, absque scrupulo de licentia ipsius naturæ, debitis circumspectione, & ornatu debent, & coguntur egredi absque licentia, & secuto casu certiore facere Superiorem, ad quem spectat; iudico tamen omnes Moniales

les sub earum Præfecta vnitìm fugere, & seruari posse in loco decenti; puta Ecclesia, alìouè ad seruãdam eorum pudicitiam, vsque ad notitiam, & remedium illicò præstandum ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, aut forano, quibus de tacita Episcopi voluntate iniunctum est occurrere casibus repentinis. Ita dela Crux *de Statu Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 4.* & Azor. *Instit. Moral. p. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1.*

Dubium verò quod magis vrget, est de Moniali ita periclitante quadam aliqua in infirmitate, vt nisi exitura esset consilio Medicorum moreretur; qua in consultatione, sũt pro parte affirmatiua, Nau. Suarez, Azor. & Peyrin. *ad Const. B. Pij v. cap. 6. notand. primo* sustinentes, licitam esse causam egressus de facultate Episcopi, ad non desperandam illius salutem. Alii verò plures sunt, apud Dian. negantes, quorum ratio est: estò verum sit, conseruationem proprię vitæ naturalem esse, neminique denegandam defensionem, tamẽ hoc de Morte violenta valere tantũ asserunt, cum de naturali probabilissimum est, non semper licere remedia; præcipuè in personis deditis Deo, propter quem Sacris Votis, Clausuraque fecierunt se. Earumque voluntatem subierunt Religioni, cuius martirium vsque ad mortem hilares, & voluntariè vouerunt, & quia hęc secunda opinio negatiuã est in praxi posita, ideò magis sequenda. Vide DD. *dictis locis.*

7 *Sed quid de Monialibus exemptis.*

Respond. Easque subiectas esse iisdem legibus, quibus supra. Itaquod probata causa liciti egressus ad formam textus. De consensu Episcopi, & Superioris Monialis professa posset egredi, & consignari, prout aliàs. Quod si solus Superior ageret, illum posset Episcopus, vnà cum egressa per censuras compellere, & punire, *ex S. Congregatione 21. Maij 1630.* apud Tambur. *loc. cit.*

De Episcopo dante licentiam Canonicis ad non residẽdum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dare licentiam Canonicis ad non residendum, prout infrà.*

2 *Sed quid de tempore, vltrà tempus definitum?*

Potestas CXXV.

1 Potest Episcopus dare licentiam Canonicis ad non residẽdum, vt infrà: habent peculiarem hanc resolutionem Armendar. *de Resid. num. 124.* Comitol. *Respon. Moral. lib. 1. q. 59. num. 2.* Alzedo, & alii à me citati *à Potest. 21. ad 25. & 114* vbi fusiùs de Residentia Abb. & Canonic. hic autem videndum, de vacantia Canonicorum, quam prædefinit Trid. *sess. 24. de Ref. cap. 12.* sic: *Non liceat vigore cuiuscumque statuti, aut consuetudinis vltrà tres menses ab eisdem Ecclesijs, quolibet anno abesse.* Et quia de hoc trimestre concesso non exprimitur à Tridentino Modus, par est indefinitam locutionem posse sumi continuè, vel interpollatè. Apud Menoch. *de Arbitr. cas. 50. à num. 12.* In absentia trimestri

non

Digitized by Google

non tenentur Canonici petere licentiam, vel assignare causam, quia indulta à lege ad subueniendum domui suæ. Non tamen omnes possunt abesse aliàs Ecclesia debito destrueretur seruitio, neque in sollemnitatibus Paschatis, Natiuitatis, & similium. In dubiis autem, num absentium quarta pars Canonicorum excedat, vel vltrà trimestre protraheretur? petenda erit licentia ab Episcopo, qui non vltrà quatuor menses concedere potest, legitima interueniente causa, ex variis decisionibus, apud Barbos. *in decisionibus Apostolicis v. Canon. Collect.* 101. legitima tamen causa illa intelligi potest, quæ approbata est à lege, & fortè ex assignatis à Tridentino *sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. & recessui Potest. 21.

2 *Sed quid de Tempore vltrà tempus præfinitum?*

Respond. Canonicos citandos esse ad alligandum, núm ex legitima causa; & de negligentia, vel malitia, aut dolo conuincti, primo Anno dimidia parte fructuum erunt priuandi. Si altero anno, omnibus careant fructibus. Crescente verò culpa, & contumacia, contra illos erit procedendum, iuxtà S. Canones, *ex Sacra Congregatione*, apud Garc. *de Benef. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 144. Pari dr cum aliis docentem; Canonicos non interessentes Ecclesiæ seruitiò culpabiliter, subiacère pœnis non residentibus impositis à Tridentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, hac in parte sublatis, & quia Tridentin. calcat statutum, & consuetudinem Ecclesiæ citrà tres menses, seruanda erunt; hoc tandem pacto; vt absentes, quotidianas distributiones percipere non valeant, nisi quando fructus subsunt loco præbendarum, apud Flamin. *de Resignat. lib.* 1. *q.* 10. *num.* 6. Portiones deniq; absentium ex Barbos. *d. loco, nu.* 11. crescunt deseruientibus, vel fabricæ Ecclesiæ, arbitrio Episcopi, prout *in Cap.* 3. *sess.* 22. & 23. Tridentin. *de Refor.* Coadiutores autem absentes nullis subiacent pœnis, Barbos. *de Episcopo Alleg.* 53. *num.* 124.

De Episcopo declarante professionem Regularium reclamantium inualidam factã ante 16. Annũ, vbi de causa expulsionis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest declarare professionem Regularium reclamantium inualidam factam ante 16. annum,*
2 *Sed quid, si reclamans fuerit Superior illius Monasterij?*
3 *Sed quid altero Iudice non agente?*
4 *Sed quid de Professis ante 16. Annum, causa infirmitatis, in periculo mortis?*
5 *Sed num solus Superior possit expellere subditum Professum absque Episcopi consortio?*
6 *Sed, an habens morbum gallicum sit expulsibilis cum solemnitate Concilij?*
7 *Sed quare Subditus professus non possit post quinquennium reclamare?*

Po-

Potestas CXXVI.

1 POtest Episcopus declarare inualidam professionem factam ante 16. annum pro Regulari reclamante. Ita citati à me *Potest.* 48. & Alii infrà, apud quos fusiùs. Pro faciliori huius Potestatis captu.

Scias primò: Ius illud antiquum *in Cap. ad nostram, & cap. significatam.* De *Regular.* in quo annus pubertatis in homine, & Puella, erat ad profitendum sufficiens, fuisse correctum à Tridentino, *sess.* 25 *de Regul. cap.* 15. disponente professionem virorum, vel mulierum fieri debere post annum 16. expletum, cum clausula irritante professionem, & si quod fuisset priuilegium, (prout in fauorem Fr. Minorum indultum erat à Leon. x.) elanguit vi clausulę derogatoriæ Trident. ità apud Bordon. *de Profess. Regulari. cap.* 6. *nu.* 16. Quo sub Concilii Decreto omnes Regulares, etiam Militares Ierosolymitani ex nouo ipsorum statuto, non verò alii, vt docent multi apud Tamb. *disp.* 6. *q.* 11. *n* 6 (quidquid antiquitùs tenebatur) apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 101. *n.* 8. Patres quoque Iesuitæ, quidquid sit de voto biennii: neutiquam verò Tertiarii, vel Conuersi; quæ nominetenùs dicuntur Religiosi; ideò non tenentur ad annum probationis, & minus ad professionem; in illis autem Religionibus, in quibus habetur statutum prohibens Professionem ante 20. annum; vt in Religione Redemptionis Captiuorum, quibus sub Annis pariter tenentur Conuersi in omnibus Regularibus, ex Decret. Clem. 8. *de Educat. Nouitior. &* Ministrantium Infirmis ante 18. ann. Minimorũque in eodem tempore, cũ clausula nõ irritãte; Professio eorũ facta post 16. annum tenet.

Scias secundò. Ætatem profitendorum numerandam esse nõ à natiuitate, sed à baptismate notato in libris Baptismorum; prout vsus obtinuit in Ordinibus, & Matrimonio: Multi apud Lezan. *tom.* 1. *cap.* 2. Item initium Nouitiatus debere esse, vt finis correspondeat expletioni correlatiuè, & currit post expletum 15. annum, qui est annus electus, maturus ad deliberandum, vtque probet, & probetur. Si quidem anni præcedẽtes, quibus si Puer habitum Religionis gestauerit, non dicitur probationis, sed deuotionis; ille autem annus verè dicitur probatiuus, qui in ætate præfata de facultate Superioris missus ad loca designata experitur vitam, seque deliberat velle perseuerare in ea. Adde tandem de valore Nouitiatus esse continuationem annuam, & perseuerantiam in asperitatibus, & Clausura. Ita quod interruptione probata, vel per fugam, vel aliter; absque Superioris licentia; Nouitiatus dicitur discontinuari, secùs si de licentia Superioris, etiam per semestre cum officio quæritandi, & simili. Vel mutaret locum designatum, cum alio designato, vel statum Laicale, cum Clericali, aut è contrà. Sicut neq; quãdo de Superioris facultate mitteretur extrà Monasterium ad curandas infirmitates, visendos parentes, vel loca sancta. Apud Pyerin. *de Pralato q.* 3. *c.* 1. *num.* 101. neque propter addiscẽdas litteras, apud Bordon. *resol.* 54. *q.* 62. *num.* 170.

Scias tertiò, Terminum anni 16. expleti, esse momentum illud in quo expletur circulus dierum, 365. & in Bissexto 366. ita quod morans per dictum temporis spatium, media hora, vel quadrante demptis, curreret pro Reclamante. Contra quem

non valet illud: *Parum pro nihilo reputatur*, quia oportet credere multis numero Doctoribus dicentibus: adeò strictiiuris esse, quod dempto minimo, integrum non diceretur, cui adheret. Barbos. *d. loco nu.* 22 recedens à sententia contraria.

Tandem ex summariè dictis cõstat: nullitatẽ professionis multiplici de capite puenire posse. Ex parte Subiecti incapacis, vel Religionis non approbatæ, vel loci non designati, aut ætatis præfatæ 16. ann. non completæ. vt constat *ex Potest.* 48. vbi diximus: Iudices competentes ad reclamationem professionis inualidæ; esse Superiorem suum simul cum Episcopo, ex Tridentino *sess.* 25. *de Reg. cap.* 19. Examinatur autem hic, nùm Episcopus se se solo possit efficere talem declarationem?

Dico: Superiore negligente, vel impotente, posse solum Episcopum declarare nullam pfessionẽ Reg. reclamantis, intrà quinquennium; modo negligentia, vel fuerit duennalis tamquam causa Ecclesiastica, quæ terminari solet in spatio prædicto, ex Decreto Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. Vel eò quia non potest, aut nolit, & tũc poterit solus Episcopus *ex cap. Prudentiam*, 21. §. *Adscimus de officio delegati*. Quòd procedit etiam ex alterutrorum nolle, vel impotentia; quia sunt in iudicio pares. apud Bordon. *d. loco cap.* 7. *de reclamatione, & cap.* 22. *q.* 21. *num.* 46. vbi sic. Altero requisito non curante censetur suam potestatem alteri delegasse; secùs illo irrequisito, sententia vnius erit nulla, *ex cap. Causam* 16. *de officio delegati* ex dictis *Potest.* 48. & infrà *num.* 3. Quòd dictum est de Episcopo, dicendum erit de Vicario S. V. succedente de iure ad omnia iurisdictionalia pro foro externo, & in proprio territorio, vt notarũt multi, apud Bonac. *de Clausura q.* 2. *p.* 10. *diff.* 31. *num.* 3.

2 *Sed quid, si Reclamans erit Superior illius Monasterij?*

Resp. Nisi deposito Superioris officio, nè sit in propria causa Iudex, erit reclamaturus coram Ordinario, & Superiore, qui succedit in loco suo; ita Bordon. *d. loco cap.* 22. *q.* 27. *num.* 42.

3 *Sed quid altero Iudice non agente?*

Respond. Agentem teneri obseruare omnia, quæ ambobus de iure competerent, videlicet: posset processum erigere, Iuramentum à reclamante, se non testificatum suam professionem excipere, Adhibère testes, Connouitios, vel Confratres degentes in illo Monasterio tempore professionis emissæ. quibus omnibus beneuisis, Episcopus ad metam concludentis processi, solus declarat professionem, vt par erit. si nullam, tunc Reclamans in suam pristinam libertatem restituitur, ad deliberandum, quam uiam tenère maluerit: quod si Sacris non fuerit insignitus poterit nubere, aliàs secùs, sed sequi viam inceptam; vel aliam, aut eamdem, quã dimisit, amplecti, aut denuò recipi tãquã vnus de seculo ad formam S. Canon. & Decretorum; cautiùs tamen est procedendum cum his recedentibus ab Aratro.

4 *Sed quid de Professis ante 16. annum causa infirmitatis in periculo Mortis?*

Respond. Professionem hanc indultam PP. Dominicanis à B. Pio v. incipit: *Summi Sacerdotis cura.* 23. *Aug.* 1570. quam participant alii Regulares: dumtaxat prodesse in foro Animæ; neutiquam verò in foro fori, & Ecclesiastico; idcircò nisi retificata fuerit tempore præscripto

Digitized by Google

scripto, tamquam nulla currit in fauorem reclamantis; tùm quia non est iuristica, secundum legum dispositiones, sed secundum priuilegium, ad fauorem Animæ; adeoq; cogi debet Nouitius qd'o conualuerit ad eā reualidandā, cum liberū ei sit illā ad mittere, vel respuere. Nec dicas: id derogatum esse à Greg. 13. incipit: *In tanta rerum*, quia in gratiam Animarum. Sermo verò Greg. est de spectantibus ad statum, & regimen Monachorum. Ita tenent plures apud Miranda *in Mā. Pral. tom.* 1. *q.* 22. *ar.* 10. & alii, quos refert Dian. *par.* 3. *tract.* 2. *ar.* 17. Aduerte tamen reclamanTem, cuius professio facta fuit in periculo mortis, non esse in conscientia tutum coràm Deo, quidquid sit coràm hominibus: Manum suam ab aratro redire, sed viros consulere doctos.

5 *An solus Superior possit expellere subditum professum absque Episcopi consortio?*

Respond. Hunc casum non semel agitatum inter quæstionantes, nostra hac tempestate, coram Illustrissimo Domino meo Michaeli Angelo Bonadies, ex Ministro Gen. totius Seraf. ordinis, nec non Episcopo Catanensi, voto quamplurium Doctorum in Sicula Vniuersitate, præsertim Mag. P. Belluti Min. Cōuent. peritissimi; sequentem resolutionem habuisse: Vel est sensus de legitimè professo, sed scandaloso criminoso, quo ante erat indultum Leon. x. Fratr. Min. 15. *Maij.* 1516. factum Generalibus, & Prouincialibus, sic: *Monitione præmissa — non obstante, quod professionem emiserint, ne morbida pecus ouile Domini corrumpat — è domibus, & Conuentibus dicti ordinis expellere, & remouere liberè, & licitè possint.* Apud Rodriq. *tom.* 2. *q.* 17. *ar.* 9. Peyrin. autem *to.* 1. *de subd. quæst.* 1. *c.* 25. §. 3. docuit id habere locum in omnibus Regularibus, & antequam fiat illius crimina deducta. Nostra tamen tempestate regimur, & gubernamur Decretis S. Cong. Vrb. 8. *de Apostatis, & eiectis.* 21. *Sept.* 1624. quorum clausulis modificatum fuit præfatum priuilegium, vt notauit Pellizzar. *in Man. tr.* 3. *cap.* 1. *num.* 67. Vel sensus est de nulliter professo, & tunc cum Rodr. Miran. & Lezan. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. *& cap.* 24. *num.* 26. posse eici etiam translacto quinquennio, & absque Episcopi consortio, in illa Religione, quæ præmittit in professione protestationem sic: *Si constares defectus substantialis in illa, sibi Religio reseruat potestatem eum expellendi.* In quo videtur: Contractū celebratum inter Religionem, & Subditum esse conditionatum. Pro vera autem resolutionis materia, meliùs inspice sequentem sub nu. 6.

6 *Sed, an habens morbum gallicum sit expulsibilis cum solemnitate Concilij?*

Respond. Intelligendo de morbo præcedente professionē, & sic cadit in subsistentiam casus (nam de sequenti nulla est quæstio) Angunt DD. Caramuel *tom.* 2. *Theol. Mor. Epist.* 44. distinguendo Morbum in perpetuum, seù incurabile, & non perpetuum, seù curabile, ait: posse expelli, laborātē de incurabili, secùs de curabili. Num autem cum solēnitate Concilii, tixat Fagnanus, dicendo teneri, cum Peyrino *d. loco cap.* 25. §. 4 docente posse solum Prælatum, vnà cum suis assistentibus. At conciliandi: Vel instat subditus, & sumus cum Fagnano; quia Concilium loquitur de Subditi reclamatione: vel Religio; sicque cū Peyrino, quia Religio semper habuit

Digitized by Google

buit dissensum in deceptione facta à subdito, in substantia requirendo-rum conditionatè professionem acceptās sibi q̄d reseruauit expulsionem adhuc post quinquennium.

Decretum autem Sacræ Congregationis *in vna Panormitana sub die 2. Aprilis 1672.* Duo præfata, qua sita respicit, prout sequitur: Nōnulli Regularium ordines, in vim earum Constitutionum prætendūt nullas declarare professiones eorū, qui ante votorum emissionem interrogati, morbum Gallicum, quo ante ingressum affecti erant, malitiosè subtacuerunt: Et asserentes: quod in tali casu Religio eos acceptare non intendit, illosq; ad sæculū dimittere posse, Ordinario loci incōsulto, etiā post lapsū quinquēnii. Hæc cum videantur contraria *Cap. Concilij Trid. xix sess. 25. de Regularibus.* Archiepiscopus Panormitanus supplicat declarari.

An dictorum ordinum Superiores possint in dictis casibus declarare nullas dictas professiones, ac Regulares ad sæculū eos dimittere, inconsulto loci Ordinario, & absque præuia restitutione in integrum aduersus lapsum quinquennii.

Die 2. Aprilis 1672. Sacr. Cong. Emin. S. R. E. Cardinalium Concilij Trid. interpetrum, Respondit *negatiuè. P. Card. de Alterijs Præfectus.* Quod decretum pręmanibus habui ex aula Illustrissimi mei Episcopi Bonadies Catanensis.

7 *Sed quæres: Subditus non potest post quinquennium reclamare?*

Respond: *Pasqual. qq. moral: q.* 204: quia taciturnitas quinquennalis, Religioni, & subditis sufficit ad ratificationem professionis ex vtraque parte acceptæ. At est dicendū: ex parte Religionis protestatæ non fuisse ratificatam, quia ab initio professio semper fuit conditionatè accepta, cum potestate reseruatiua adeoque ex hac parte non potest ratificari, Reliqua vide *Potest. 48. n. 9.* Num verò dicta de incorrigibilibus locum habent pro Monialibus? *Nequaquam, ob Decretum Sacr. Congreg. 21. Maij 1603. apud Gauand. in Manual. Episcop. v. Clausf. Monial. n. 23.* sed omninò recurrendum ad Sedem Apostolicam.

De Episcopo declarante pœnas incursas à Regularibus ex accessu ad Moniales absque debita facultate.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest declarare pœnas incursas à Regularibus accedentibus ad Moniales absque debita licentia.* 2

2 *Sed quænam sunt pœnæ incurrendæ à Regularibus?*

Potestas CXXVII.

POtest Episcopus declarare Regulares accedentes, & colloquentes ad Moniales absque debita licentia, tamquam contrauentores dispositionibus SS. Pontificum. Greg. xv. incipit: *Inscrutabili. nonis Febr. 1622.* ex varijs Sacr. Cōgregat. Decretis sub Sixto v. *anno* 1590. 3. *Iulij*, 1618. 8. *Nou.* 1657. & nouissimè *die 11. Maij* 1669. *sub Clem. 9.* vt inferius per extensum videbis. Nec obstat exemptio, quia Episcopi procedunt tamquam lu-

Iudices delegati contrà ipsos delinquentes in suo Territorio publicè, notoriè? & cum Populi scandalo. Ecce verba Greg. 15. *Ad hæc tam Sæculares, quàm Regulares huiusmodi nullis priuilegijs, & exemptionibus tueri se possint, quominùs si deliquerint circà personas intrà septa degentes, aut circà Clausuram, aut circà bonorum administrationem Monasteriorum, etiam Regularibus subiectorum, ab Episcopo loci similiter, tamquam etiam Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.* Eandem Sacr. Congreg. *sub Verbo* 8. *ann.* 1628. censuit: *Constitutionem illam habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum Populi scandalo.* Verba verò Decreti Clem. 9. sunt: *Regulares cuiuscunque ordinis — accedentes ad Monasteria Monialium — quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subiecta — absque legitima facultate accedunt, colloquendó etiam per quodcumq; modicum temporis spatium cum Monialibus, vel alijs intrà Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque contrà Regulares accedentes sine licentia, ad Monasteria Monialium, statutis pœnis posse ab Ordinario, tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri.*

Ducor ex dictis: ipsas quoque Moniales, vel alias intrà clausuram degentes, grauiter peccare ipsos Regulares colloquendo, & ad metam contrauentionis puniri debere à suis Superioribus, tamquam cooperantes pro violata SS. Pontificum efficaci voluntate, spernendo, mendicatis rationibus illorum iura, & decreta: DD. communiter.

2 *Sed quænam sunt pœnæ incurrendæ à Regularibus?*

Respond. consulenda dicta in *Potest.* 31. & 114. vbi pleniùs de Censuris à lege comminatis, & reseruatis ab Episcopo in Synodo, & modo, quo corrigi debet Regularis extrà Claustra delinquens. Hic addo Episcopum clàm debere delicta Regularium corrigere; prout Sacr. Canones præsertim Tridentin. clamant, remittendo reum ad Superiorem, vt puniretur secundum Regularia statuta, in vim *seß.* 25. *cap.* 14. roborata à Clem. 8. incipit: *Sumpti muneris* 1596. B. Pio v. incipit: *Circà Pastoralis officij.* 1. *Iun.* 1566. & *Gregor.* 13. incipit: *Deo Sacris Kal. Ian.* 1572. de quibus fusiùs *Potest.* 23. Nec remittere Regularem delinquentem ad suum Superiorem erit effugere pœnas, sed illas seueriùs infligere. Etenim acriùs in Religione, quam extrà puniuntur delicta Regularium, qui vltrà Carceres, subtractione ciborum, priuatione vocis, & similium plectuntur; immò verecundiùs: Hoc factum est à PP. Concilii, & Summ. Pontificibus, ne peccata Regularium sint, vnà cum Secularibus, communi carcere castigata, sed separatìm; quod non est effugere, vel minuere pœnas; ne tota Religio particeps fieret delicti à particulari Religioso patrati.



De Episcopo degradante Clericos perseuerantes in casibus criminosis.

SVMMARIVM.

1 *Epi-*

1 *Episcopus potest degradare Clericos perseuerantes in casibus criminosis.*

2 *Sed quid nomine Clerici in hac Potestate?*

3 *Sed num Episcopus posset hanc potestatem alteri delegare?*

4 *Sed quinam sunt casus Criminosi degradatione promarentes?*

5 *Sed quid de modo hoc in munere praestando ab Episcopo?*

Potestas CXXVIII.

1 Potest Episcopus degradare Clericos perseuerantes in casibus criminosis, vt infra. Colligitur hæc Potestas de iure antiquo *in Cap. degradatio. lib. 6. de pœnis. Cap. falix. q. 7. Cap. Si quis 15. q. 7. & nouo Trident. sess. 13. de Refor. cap. 4.* Relati à Bonac. *de Censf. disp. 4. p. vn. num. 9.* Henriq. *in Summ. cap. 55. lib. 13.* Scacc. *de Iudic. p. 1. cap. 9.* Quorum omnium Sententia elucidatur. 1. Quid, & quotuplex sit degradatio? 2. Quodnam sit eius Subiectum? 3. de eo, cui de iure fieri competit? & vltimò de Casibus criminosis, pro quibus definitum est: Primo communiter docent DD. *Degradationem, esse: Perpetuam ab Altarium administratione, officio, vel beneficio remotionem; ad differentiam suspensionis; quæ est Censura Ecclesiastica priuans vsu Ecclesiastici officij, vel beneficij, aut vtriusque.* Degradatio, alia verbalis, *estque sententia oretenùs facta contra* Clericũ, *priuans eum officio* Clericali. Alia actualis, qua à Clerico adhùc remouentur insignia omnia Clericalia, abraduntur loca capitis, & manuum, in quibus facta fuit Sacra Vnctio, & traditur foro; seù Iudici Sæculari; vtriusque speciei meminit Trident. *d. loco cap. 4.* hic autem sermo est de Actuali, seù sollemni degradatione, cum de Verbali erit *Potest. 252.*

2 *Sed quid nomine Clerici in hac Potestate?*

Respondeo quòd subiectum huius Potestatis est Clericus, qui gaudet Spirituali militia, indutus habitu Clericali, & insignitus caractere. Ita Abb. *in Cap. Clericus de vita, & honest. Clericorum*, contra Couar. ex quo colligitur; prima Tonsura insignitum non degradari actualiter, sed per solã verbalẽ sententiã posse deponi à militia incepta Idipsum de Clericis in Minoribus, prout vsus obtinuit, & refert Bonacin. *tom. 1. p. vn. prop. 4.* Apud quem, aliosque: propriè degradari Episcopos Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos. Qui degradati in casu, vigore Caracteris interioris adhùc validè munera exercèrent, v. g. Sacerdotes verè consecrarent, nec ab onere officii eximerentur; neque verè Matrimonium inhirent ob votum castitatis, quod emiserũt. Ita citati cum Grass. *de Effectibus Cleric. effec. 1. num. 819. & 834.* vbi sanam rationem assignat: Quòd si degradati restituerentur non deberent reordinari. Ideò.

Tertiò. Solus Episcopus, & quidem proprius ad degradandum procedit clericos in Sacris constitutos, vigore Trid. *d. loco.* Vbi postquam verbalem in manibus etiam Vicarii commiserit; tandem de actuali sic: (*Et per se ipsum etiam ad actualem, atque solemnem degradationem*) sicut solus Papa procedit ad Episcoporum degradationem; tamquam ille, cui reseruatæ sunt causæ Episcoporum degradatione promærentes, de quibus vide *num. 4.* Dixi; solus Episcopus ex iure antiquo correpto à Trid. sed

non

Digitized by Google

non sine Abbatibus, vel personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, vt inferiùs dicam; & quidem non tantum electus, & confirmatus, verùm etiam consecratus, à quo sicut pendebat S. Ordinum collatio; ità ab eodem degradatio. Hæcque doctrina habet locum in sola actuali. Ita Marta, Gemin. & alii, penes Barbos. 3. P. *de Potest. Episcopi Alleg.* 110. *num.* 24.

3 *Sed nùm Episcopus possit hanc Potestatem alteri delegare?*

Respond. Salua praxi, & consuetudine optima legum interpetre, non posse alteri etiam Episcopo cõsecrato, ex mente Concilii dicentis: *d. loco. per se ipsum*, quod est verbum reprimens facultatem, ne delegetur. ita apud Bonac. *d. loco nu.* 11. *in fine*, quidquid antea dixerat cum Alterio *tom.* 2. *disp.* 2. *cap.* 7. *vol.* 15. sed non improbabiliter; ideò vide P. *sequent.* loquor de Actuali, nam de verbali, extra dubium est, posse per alium sententiam ferre, & deponere Clericum ob crimina inferiùs recensenda; estq; valdè notandum in hac materia. Quando in iure, vel alio statuto ponitur pena degradationis, non explicata pro sollemni, vel actuali, intelligitur semper verbali; eo quia actualis est odiosa, ideò restringenda ad solos ipsius terminos. Ita non pauci contra Tolet. apud Bonac. *d. loco.* ad reprimendos antiquos Canones propentiores pro imponẽda degradationis pæna.

Religiosorũ insuper Prælati absque Priuilegio degradare subditos, ob immania crimina non possunt, sed aliis punire pænitentiis; vel nisi resipiscerent, tamquam incorrigibiles illos eicere, ex Decr. *V*rban. 8. *de Apostatis, & eiectis.* Incipit Sacr. Congreg. 21. *Sept.* 1624 vigore cuius, Eiecti remanent perpetuò suspensi ab ordinum exercitio; interdicta paritèr Ordinariis locorum facultate relaxandi, vel moderandi. Nùm denique dicti Prælati possint cognoscere de causis, & criminibus, quæ requirunt depositionẽ? Resp. Nauar. *in cap. non dicatis,* 12. *quæst.* 2. *nu.* 63. negatiuè: quia Trid. *d. loc.* solum hoc tribuit Episcopo, vel eius Vicario.

4 *Sed quinam sunt casus criminosi degradatione promerentes?*

Respond. Casus actuali degradatione promærentes esse, quæ sequuntur. — 1. Crimen hæresis, *in Cap. ad Abolendam, & cap. Excommunicamus. in* 2. *de hæreticis.* — 2. Crimen falsi commissi in literis Apostolicis. *ex cap. Ad falsarium. De Crimine fals.* — 3. Crimen conspirationis aduersus proprium Episcopum *ex cap. Si quis Sacerdotum* 11. *q.* 1. enarrat Zecc. *de Priuil. Ecclesiæ* 79. *num.* 7. apud quem requiritur incorrigibilitas, *ex glos. in d. cap.* — 4. Crimina celebrationis, vel Confessionis à non Sacerdote, *ex Bulla Clem.* 8. incipit: *Et si aliàs.* 1. *Decembr.* 1601. — 5. Crimen grauissimum sollicitationis in Confessione, ex Bull. B. Pii 5. innouata à Greg. 15. incipit: *Vniuersi* 30. Aug. 1622. — 6. Crimen abortus animati, ex Sixto. v. incipit: *Effrenatam* 16. *Nou.* 1588. sed redacta ad terminos iuris communis à Greg. 13. incipit: *Sedes Apostolica, prid. Kal. Iun.* 1591. Quidam addunt crimina Assassinii, læsę Maiestatis, & Sodomiæ exercitæ, seù consuetudinariæ. Apud Barbos. *d. loco à num.* 13. sed est consulenda praxis, vel probanda grauitas, & incorrigibilitas, quod est magis attendendum ab Episcopo, antequã deueniret ad tremẽdum, & execrabile vulnus degradationis, applicandum nisi in casibus à iure expressis.

5 Sed

5 *Sed quid de modo hoc in munere præstando ab Episcopi?*

Respond. Ex antiquo iure *in cap. Si quis 15. q. 7.* in degradatione Sacerdotis desiderabantur. 6. Episcopi, in Diacono, & Subdiacono tres. In Episcopo duodecim. De nouo autē iure Trident. *d. c.* facta est Translatio ad tot Abbates Mytratos, vel tot personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, omnes requisiti in proferenda sententia, & nemine discrepante. Multi apud Felin. *in cap. Non potest. de sent. & re iudicata.* Ac etiam in actuali executione degradationis, quod omninò tenēdum est, ex methodo Tridentini. contra quosdam cum Alterio, & sequitur Bonac. *d. loco num. 15. in fine §. Ego verò.* Deinde Episcopus in Ecclesiæ sacello, vel Altari, vestibus Pōtificalibus indutus, prout in ordinum collatione, nisi aliud Consuetudo suaserit, vt notat Gemin. *in Cap. degradatio, num. 7.* apud Bonac. *d. loco num. 17.* à degradandis propria instrumenta ordinum, in manibus tenentibus, illa aufert, ordine retrogresso, quàm in eorum collatione tradidit, vestesq; omnes vsque ad Talarem, ac demum abradetur caput, ne ampliùs appareat signum Clericale, dicendo: in instrumentorum, & vestium ablatione. *Auferimus tibi v. g. Calicem vel aliā vestem Sacerdotalem, teq; honore Sacerdotali priuamus.* Et in ablatione vltimi vestimenti, quod fuit primum in ordine Clericali dicat.

Authoritate Dei Patris Omnipotentis, Filij, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & degradamus, deponimus, expoliamus, ac exuimus te omni Ordine, Beneficio, ac Priuilegio Clericali. Aliouè simili modo, ex Bonifac. 8. *in cap. 2. de pœnis in 6.* Apud Barbos. *d. loco. num. 30.* Salua praxi, & methodo in Pontificali. De restitutione verò post actualem degradationem, vide *Impot. 152.*



De Episcopo delegante authoritatem absoluēdi casus reseruatos Summo Pontifici occultos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare authoritatem absoluendi casus occultos Summo Pontifici reseruatos.*

2 *Sed quinam sint casus occulti, & Papa reseruati?*

Potestas CXXIX.

1 POtest Episcopus delegare authoritatem absoluendi casus occultos, & reseruatos Summo Pōtifici. Ita DD. Citati *in Potest. 2. vsque ad 19.* vbi fusiùs. hic pleniùs agam de extentione, & delegatione authoritatis. Quarè præaducere libuit, Casus reseruatos Papales, hac nostra tempestate duplici classe distinctos esse, de quarū prima sūt quę in Bulla Cœnæ à Greg. 15. *sub die 24. Mart. 1622.* cū hac clausula, *quod à prædictis sententijs, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, quauis authoritate, aut Priuilegiorū, etiā prætextu Episcopali, ac maiori dignitate fulgentem absolui possit.* Insuper *per cuiusuis Concilij decreta, &c* ex quo patet; Potestatem concessam Episcopis à

Trid.

Trid. *in Cap. Liceat*, abrogatam esse super casus Bullæ cœnæ occultos, vigore dictæ clausulæ. Ita subscribunt non Pauci, & sequitur Bonac. *de Cens. lib.* 1. *q.* 22. *p.* 2. *num.* 2. vt innui *Poteft.* 2. *num.* 5. Dixerunt quidam; Clausulã illã derogare tantũ facultati priuilegiorũ quoad casus publicos, quia stat Tridentinum in fauorem Episcoporum pro occultis. At si hodiè hi gladium excommunicat. euitare cupiunt, cessare coguntur affirmatiuam sententiam tenentes propter Bullam Alex. 7. incipit: *Sanctissimus* 2. *Octobris.* 1665. *proposit.* 3. vbi confutat fundamentum aliter dicentium fortè ex decreto S. *Congreg.* 18. *Iulij* 1629. quo tollerata fuit dicta sententia.

In secunda Classe sunt alii casus Papales intrà, vel extrà ius vagantes, reseruati, de quibus Bonac. meminit *tom.* 3. *de Cens. disp.* 2 *per totum*, Pro quibus occultis stat virtute Trid. *cap. Liceat.* in fauorem Episcoporum, absq; DD. cõtrouersia. Quorum delegationem in multorum opinantium conflictu, tamquam probabiliorem ipse sustineo; fieriq; posse cum Homob. *de Caf. reseru. p.* 1. *de Absolutione casuum*: *Obser.* 5. apud quem Alii citantur sequentẽs: idipsum habet Dian. P. 3. *tract.* 4. *ref.* 141. Barbosa tamen fuit anceps, & expectans decisionem, *de Episcopo, Alleg.* 39. *n.* 14. Tandem Affirmatiuã fuit amplexus *in Collect. Concil. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *sub num.* 45. variis munitam rationibus. Tum quia delegatio facta à lege est Episcopo ordinaria, data industria personę. Tũ etiam quia nulla mentio restrictiua; prout fieri solet in controuersia, & factum fuit in occultis Bullę Cœnę; quod est signum euidentissimum; ergo licebit Episcopis vti dicta facultate, tamquã propria, vel delegata ad Vniuersitatem Causarum, cum qua stat vera subdelegatio, iuxtà dicta *Poteft.* 1. *sub num.* 3.

Tu fortè dicis cum Bonac. *de Cens. disp.* 1. *q.* 22. *p.* 3. *num.* 25. delegationem hanc esse specialem, ex illis verbis. Trid. *d. l. Per se ipsos, aut suũ Vicarium, ad id specialiter deputatum*) adeòque asseris: Episcopum posse delegare in casu occurso, non verò generaliter pro omnibus occursuris. Sed tibi respondeo: Verum esse de delegatione speciali vniuersali, non quidem de singulari, & in casu oblato, quia Potestas concessa est specialis, ideò nisi à specialiter delegato pro occultis Papalibus exerceri debet, vt benè notarunt quidam cum Sanchez, & est sensus Homoboni *d. loco.* vbi sic. Potest tamen in his, vices suas, vel in particulari casu, vel in generali alteri committere iuxtà tenorẽ dispensatiuum Trid. Etenim hæc est natura dispensationis, dilatare, ad differentiam pœnæ, cui est restringere; idcirco factus sermo de Absolutione, & dispensatione, debent explicari iuxtà ampliorem sensum in fauorem Animarum. Sequitur hanc Potestatem Alterius *de Cens. tom.* 2. *disp.* 8. *cap.* 3. *concl.* 4. *vers. Tertio notandum.*

2 *Sed quinam sunt hi casus occulti, & Papæ reseruati?*

Respond. Recurrendum ad varios Authores; laborem impendentes, & colligentes ex variis iuribus; & diplomatibus cathalagum omnium excommunicationum. Contrà Episcopos, Clericos, Regulares, & omnes. Præsertim Bonac. Alteriũ Barbos. & Alios peculiaria volumina efficiẽtes de Cẽsuris; apud quos pariter apertè constat irretitos Cẽsura aliqua publica, & reseruata, legitimèque impeditos adire Pontificem, posse ad Episcopi dexterã

recurrere, prout fusiùs *Potest.* 9. ideò satis pro prima, & secunda parte Potestatis.

De Episcopo delegante causas criminales Laico, defectu Clericorum, & quid de ipso Allegato suspecto?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare causas criminales, Laico, defectu Clericorum.*
2 *Sed quid de Episcopo Allegato suspecto?*
3 *Sed à quonam assignandi sũt Arbitri?*
4 *Sed quid, si Arbitri fuissent discordes?*
5 *Sed quid de causa remissa ad Vicarium, & allegatum suspectum?*
6 *Sed quid, si Vicarius cognouerit causam, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ?*

Potestas CXXX.

1 POtest Episcopus delegare causas criminales suorum subditorum Laicò, defectu Clericorum. Ita apud Grass. *de effectibus Clericat. eff.* 1. *num.* 564. Vega, & Alios, quos sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 108. *num.* 5. Et quia vetitum omninò est, Laicos cognoscere, discutere, & examinare causas Ecclesiasticas, vel delicta Clericorum, diuersis, ex iuribus, *in cap. Benè quidem* 96. *dist.* & *cap. Significasti de foro competenti*, quòd, & confirmatur Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. & *sess. vlt. cap.* 10 *de Refor.* vbi de mora litium, & causarum pertinentium ad forum Ecclesiasticum; ex quo, principali vetito; vetitũ quoq; est eius accessorium & delegatio. At quia quandoq; àccidit deficere Clericos idoneos in partibus, in quibus delegãda foret causa criminalis Clericorũ, tũc impotentiæ vi, Laicis idoneis in iure Ecclesiastico peritis posset Epũs delegare dictas causas visendas, absq; contrauentione Iuris Ecclesiastici d. cap. vbi prohibitio fundata est in sufficientia, & idoneitate aliorum Clericorum, quapropter fundamento negato; subuenitur causa, eo modo, quo potest, neuè res ĩniudicata, vel malè iudicata remaneat, quod est potioris iuris, apud citatos DD. Procedit quoque validiùs dicta Potestas, si ferenda foret sententia Sanguinis, postquam Episcopus cõpilauerit procesũ, causamque cognouerit; Vel qđo causæ essent ciuiles, & temporales, tamquam nullibi interdictę, vt notauit Barbos. *d. loco, à num.* 5. Itaque Laicus delegatus ab Episcopo tamquam Iudex casum criminalem discutit, & examinat, processum format secundum iuris Ecclesiastici dispositionem, illumque remittit Episcopo pro sententia ferenda, vel ipse profert ex delegatione sibi facta, exercendo nudum Mynisterium, non verò iurisdictionem propriam, quia vetitam in dictis iuribus: sed alienam, & commissam. Consuescunt conformiter Episcopi eligere Assessores, Doctores laicos, remittendo eis graues causas, & criminales discutiendas, de quibus fusè dicam: *Potest.* 179. quę firmant positam Potestatem.

Vindicat sibi locum posita Potestas,

Digitized by Google

stas, quando Clericus non esset totaliter in iure sufficiens, vel in aliquo deficiens, quia sic in totū est insufficiens ad dictum munus obeundum. Ideò sententia lata à Clerico, ita deficiente, vnà cum Laico perito esset bona, & absque iurium cōtrauentione. Aliàs tamen si stante Clerici habitudine vnà cum Laico proferretur sententia esset inualida, vt notat Abb. *in Cap. Significasti de foro competenti*. Quænam autem erunt causæ criminales, videto P. *Post. Impot.* 60.

2 *Sed quid de Episcopi allegato suspecto?*

Respond. Pro causa verè suspicionis coram Episcopo, poterunt assignari Arbitri ad cognoscendam ipsam: vt colligitur *ex cap. cum speciali de Appellationibus apud Sperell. in decis. fori Eccles. decis.* 93. *num.* 13 hocque ad tollenda de medio dubia, pro danda sententia definitiua coram Iudice competente, cauendam suspicionis notam, & frenandam malitiam recusatoris; neuè arriperet viam appellatiuam cum dedecore Iudicis cōpetentis. Etenim nisi iuridicè euelli potest causa de Iudice competente, & non ad nudum recusatoris dictum: *de Regulis Appellationis.*

3 *Sed à quonam assignandi sūt Arbitri?*

Respond. Eorum vnus ab Episcopo, & alter à Recusatore, nè alteruter grauaretur, iuxtà illud *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, in d. cap. Appellationis. DD. citati.

4 *Sed quid, si Arbitri fuissent discordes?*

Resp. Oportère adhiberi tertium, qui omnes tenentur decidere intrà terminum ab Episcopo præfixum, quod si conclusa fuerit suspicio, tunc vera, & legitima, fieri debet deuolutio causæ ad illum superiorem, cui de iure competit appellare. Ità Vulpè *de Appell. cap.* 25. *num.* 13. Si verò fuerit decisum, causam esse illegitimam, tunc remissum causæ spectat ad Episcopum, aut alteri remittenda de consensu recusatoris. Addit Vulpè: Recusantem non debere eligere Arbitrum remotè distantem, estò possit illum eligere alibi. Ratio quia foret vilipendere causam, & fugire sententiam in tempore intericcto. Quę doctrina valdè inseruit DD. tàm in iure Ciuili, quàm Ecclesiastico, pro causis decidendis, litibusque terminandis. Ita DD. quos citat, & sequitur Barbos. *d. loco.*

5 *Sed quid de causa remissa ad Vicarium, & Allegatum suspectum?*

Respond. Recusato Vicario in formam iuris, non intelligi recusatum Episcopum. *ex cap. Si contra vnam de Appell.* Sicque Episcopus posset dare alium Iudicem. Ratio prioris est, quia estò ambo idem Tribunal erigant, tamen ex eo valet, quòd priori recusato, etiam subsequens intelligitur recusatus. Secùs è contra, recusato sequenti nō recusatur ille, ad quem sequitur. Ita sustinet Suarez *de Cens. disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 15. Prout excommunicato Vicario, non intelligitur excommunicatus Episcopus: lege Scacc. *de Appell. q.* 8. *n.* 85. Sbroz. *de Vicario lib.* 3. *q.* 15. Vide *Potest.* 159.

6 *Sed quid, si Vicarius cognouerit causam tamquam delegatus Sedis Apostolicæ?*

Respond. In casu, Episcopo recusato, & Vicarius esset delegatus, vel confirmatus à Papa, aut alio Superiore non poterit recusari; Ratio, quia vi confirmationis, vel delegationis à Sede Apostolica videtur procedere distinctè, & separatè à iu-

Digitized by Google

iurisdictione, quàm aliàs exercèret, si à solo Epō fuisset electus; idcircò recusata Episcopali iurisdictione operatur alia, quàm habet in sui delegatione. Ita notarunt citati, contra Dacian. & Rebuff.

De Episcopo delegante alteri facultatem dispēsandi super denunciationibus matrimonialibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare alteri facultatem dispensandi super denūciationibus matrimonialibus.*

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Potestas CXXXI.

1 Potest Episcopus delegare alteri facultatem dispensandi super denunciationibus matrimonialibus. Ita ex Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 1.* vbi rigorem denunciationum præmittendarum ad Matrimonium ex iure antiquo in Concilio Lateran. mitigauit, & relaxauit, seu meliùs remisit iudicio Episcopi his verbis. — *Denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio S. Synodus relinquit.* Ob quæ vltima verba apertè constat posse Episcopum denunciationes remittere, & fusiùs constabit ex dicendis. *Potest. 148.* Pariter delegare talem dispensationem sustinuerunt mecum, Sanchez, Ledesma, Rebuff. Reginald. & Alii apud Bonac. *de Matrim. q. 2. p. 6. num. 7.* quorum ratio est, quia Episcopo competit de iure ordinario ratione dignitatis, & non industriæ personæ, ex mente Concilii; in illa particula (*Prudentiæ, & Iudicio Episcopi relinquit*) de cuius vigore Episcopus constituitur ordinarius, ad relaxandas; minorandas; vel aliàs, denunciationes. Quapropter tamquam Ordinarius constitutus, quod suum est, delegare potest, *ex cap. vltimo de officio Ordinarij*. Cognita igitur iusta causa (prout inferiùs) extra iudicialiter, poterit in conscientia relictis denunciationibus, vel committere, vt alter Clericus remittat, & Matrimonium celebrare.

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Respond. Adhibitis omnibus diligentiis nè aliqua impedimenta subsint ad periculum vitandum in impeditis, Episcopus formare poterit iudicium in infrascriptis casibus. 1. Quando de proximo instaret tempus prohibitionis nuptiarum. 2. Quando Matrimonium esset cōtrahendum in Mortis articulo, pro legitimandis filiis. 3. Si Virgo esset sub Tutore iniquo, volenti nobilem, ignobili, vel infami tradere viro, nè id accideret. 4. Quando contrahentes diù habiti sunt pro coniugibus, contrahere volunt, sed ob verecundiam timent. 5. Quando adest conditionis disparitas, vnà cum imminenti superioris momēti. 6. Quando fieret inter Magnates, quorum impedimenta si quæ adessent notiora fuissent. 7. Quando time-

mereatur suspicio malitiosi impedimenti, & similes; habet Sotus *in 4. dist. 28. q. 2. ar. 3.* Siluester, Henriq. Sanchez *lib. 3. disp. 9.* quos sequitur Bonac. *d. loco num. 7. versu rogabis.* His addit Sanchez in fine, quod si quandoque fuisset Matrimonium ratum, & possent fieri proclamationes Matrimoniales omissæ ex sola causa, quod ante Matrimonium fieri nō poterant; fient ante consumationem, vt accidit, quādo ex sola tēporis arctione denunciationes preire non potuerunt. Caueat autem Episcopus licentiam concedere in euentu cuiuslibet casus, Matrimonium contrahi, absque Parocho, & Testibus, quia sunt de substantia contractus liciti, & mutui. Postremò S. Congregatio decidit apud Chamerot. quod quando omittuntur denunciationes ante Matrimonium, semel, vel bis fiant post contractum, refert Barbos. *de Episcopo, Alleg. 32. n. 55.*



De Episcopo delegante Authoritatem Indulgentiarum Sacerdoti Infirmo assistenti.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo.*

Potestas CXXIX.

1 Potest Episcopus delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo. Hanc potestatem sustinent multi apud Dianam *P. 10. tr. 16. resol. 5. §. Et tandem.* cum Pelizario, vt infrà, & quia de Indulgentiis satis egi *Potest. 35. & 65.* hic examinatur facultas, quam habent Episcoporum aliqui à S. Sede Apostol. specialiter concessa, vt assistentes per se infirmis de nocte possint concedere Indulgentiam Plenariam; quàm alteri assistenti delegare posse videtur, modò tamen quòd subdelegatus seruet limites concedentis, & delegantis, scilicet de nocte. Ratio, quia cū d. clausula irritante solet concedi talis facultas per se, vel per alium assistentem Sacerdotem, vel Clericum; prout seruatur in concessione Indulgentiæ lucrandæ in tali loco, vel Ecclesia, à primis vesperis præcedentis diei vsque ad occasum Solis sequentis diei, quod tempus est de substantia requisitum; idipsum de Indulgentia præfata, refert Pellizzar. *tom. 2. tract. 10. cap. 5. sect. 1. sub. num. 190.*



De Episcopo delegante Authoritatem dispensandi impedimenta matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem dispensandi impedimenta Matrimonij.*

2 *Sed num dicta Potestas habeat locum in omnibus impedimentis?*

Po-

Digitized by Google

iurisdictione, quàm aliàs exerceret, si à solo Epo fuisset electus; idcircò recusata Episcopali iurisdictione operatur alia, quàm habet in sui delegatione. Ita notarunt citati, cōtra Dacian. & Rebuff.



De Episcopo delegante alteri facultatem dispēsandi super denunciationibus matrimonialibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare alteri facultatem dispensandi super denūciationibus matrimonialibus.*

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Potestas CXXXI.

1 POtest Episcopus delegare alteri facultatem dispensandi super denunciationibus matrimonialibus. Ita ex Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 1.* vbi rigorem denunciationum præmittendarum ad Matrimonium ex iure antiquo, in Concilio Lateran. mitigauit, & relaxauit, seu meliùs remisit iudicio Episcopi his verbis. — *Denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædicta denunciationes remittantur, quod illius prudentia, & iudicio S. Synodus reliquit.* Ob quæ vltima verba apertè constat posse Episcopum denunciationes remittere, & fusiùs constabit ex dicendis: *Potest. 148.* Pariter delegare talem dispensationem sustinuerunt mecum, Sanchez, Ledesma, Rebuff. Reginald. & Alii apud Bonac. *de Matrim. q. 2. p. 6. num. 7.* quorum ratio est, quia Episcopo competit de iure ordinario ratione dignitatis, & non industriæ personæ, ex mente Concilii, in illa particula (*Prudentia, & Iudicio Episcopi relinquit*) de cuius vigore Episcopus constituitur ordinarius, ad relaxandas, minorandas, vel alias, denunciationes. Quapropter tamquam Ordinarius constitutus, quod suum est, delegare potest, *ex cap. vltimo de officio Ordinarij*. Cognita igitur iusta causa (prout inferiùs) extra iudicialiter, poterit in conscientia relictis denunciationibus, vel committere, vt alter Clericus remittat, & Matrimonium celebrare.

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Respond. Adhibitis omnibus diligentiis nè aliqua impedimenta subsint ad periculum vitandum in impeditis, Episcopus formare poterit iudicium in infrascriptis casibus. 1. Quando de proximo instaret tempus prohibitionis nuptiarum. 2. Quando Matrimonium esset cōtrahendum in Mortis articulo, pro legitimandis filiis. 3. Si Virgo esset sub Tutore iniquo, volenti nobilem, ignobili, vel infami tradere viro, nè id accideret. 4. Quando contrahentes diù habiti sunt pro coniugibus, contrahere volunt, sed ob verecundiam timent. 5. Quando adest conditionis disparitas, vnà cum imminenti superioris momēti. 6. Quando fieret inter Magnates, quorum impedimenta si quæ adessent notiora fuissent. 7. Quando time-

mereretur suspicio malitiosi impedimenti, & similes; habet Sotus *in 4. dist. 28. q. 2. ar. 3.* Siluester, Henriq., Sanchez *lib. 3. disp. 9.* quos sequitur Bonac. *d. loco num. 7. versu rogabis.* His addit Sanchez in fine, quod si quandoque fuisset Matrimonium ratum, & possent fieri proclamationes Matrimoniales omissæ ex sola causa, quod ante Matrimonium fieri nō poterant; fient ante consumationem, vt accidit, quādo ex sola tēporis arctione denunciationes preire non potuerunt. Caueat autem Episcopus licentiam concedere in euentu cuiuslibet casus, Matrimonium contrahi, absque Parocho, & Testibus, quia sunt de substantia contractus liciti, & mutui. Postremò S. Congregatio decidit apud Chamerot. quod quando omittuntur denunciationes ante Matrimonium, semel, vel bis fiant post contractum, refert Barbos. *de Episcopo, Alleg. 32. n. 55.*



De Episcopo delegante Authoritatem Indulgentiarum Sacerdoti Infirmo assistenti.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo.*

Potestas CXXIX.

1 POtest Episcopus delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo. Hanc potestatem sustinent multi apud Dianam *P. 10. tr. 16. resol. 5. §. Et tandem.* cum Pellizario, vt infrà, & quia de Indulgentiis satis egi *Potest. 35. & 65.* hic examinatur facultas, quam habent Episcoporum aliqui à S. Sede Apostol. specialiter concessa, vt assistentes per se infirmis de nocte possint concedere Indulgentiam Plenariam; quàm alteri assistenti delegare posse videtur, modò tamen quòd subdelegatus seruet limites concedentis, & delegantis, scilicet de nocte. Ratio, quia cū d. clausula irritante solet concedi talis facultas per sei vel per alium assistentem Sacerdotem, vel Clericum; prout seruatur in concessione Indulgentiæ lucrandæ in tali loco, vel Ecclesia à primis vesperis præcedentis diei vsque ad occasum Solis sequentis diei, quod tempus est de substantia requisitum; idipsum de Indulgentia præfata, refert Pellizzar. *tom. 2. tract. 10. cap. 5. sect. 1. sub. num. 190.*



De Episcopo delegante Authoritatem dispensandi impedimenta matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem dispensandi impedimenta Matrimonij.*

2 *Sed nùm dicta Potestas habeat locum in omnibus impedimentis?*

Po-

1 *Episcopus potest degradare Clericos perseuerantes in casibus criminosis.*

2 *Sed quid nomine Clerici in hac Potestate?*

3 *Sed num Episcopus posset hanc potestatem alteri delegare?*

4 *Sed quinam sunt casus Criminosi degradatione promærentes?*

5 *Sed quid de modo hoc in munere præstando ab Episcopo?*

Potestas CXXVIII.

1 POtest Episcopus degradare Clericos perseuerantes in casibus criminosis, vt infra. Colligitur hæc Potestas de iure antiquo *in Cap. degradatio.lib.6. de pœnis. Cap. felix. q.7. Cap. Si quis 15. q. 7. & nouo Trident. sess. 13. de Refor. cap.4. Relati* à Bonac. *de Cens. disp.4. p. vn. num.9.* Henriq. *in Summ. cap. 55. lib. 13.* Scacc. *de Iudic. p.1. cap.9.* Quorum omnium Sententia elucidatur. 1. Quid, & quotuplex sit degradatio? 2. Quodnam sit eius Subiectum? 3. de eo, cui de iure fieri competit? & vltimò de Casibus criminosis, pro quibus definitum est: Primo communiter docent DD. *Degradationem, esse: Perpetuam ab Altarium administratione, officio, vel beneficio remotionem; ad differentiam suspensionis, quæ est Censura Ecclesiastica priuans vsu Ecclesiastici officij, vel beneficij, aut vtriusque.* Degradatio, alia verbalis, *estque sententia oretenùs facta contra Clericū, priuans eum officio Clericali*. Alia actualis, qua à Clerico adhùc remouentur insignia omnia Clericalia, abraduntur loca capitis, & manuum, in quibus facta fuit Sacra Vnctio, & traditur foro, seù Iudici Seculari; vtriusque speciei meminit Trident. *d. loco cap.4.* hic autem sermo est de Actuali, seù sollemni degradatione, cum de Verbali erit *Potest. 252.*

2 *Sed quid nomine Clerici in hac Potestate?* Respondeo quòd subiectum huius Potestatis est Clericus, qui gaudet Spirituali militia, indutus habitu Clericali, & insignitus caractere. Ita Abb. *in Cap. Clericus de vita, & honest. Clericorum*, contra Couar. ex quo colligitur; prima Tonsura insignitum non degradari actualiter, sed per solā verbalē sententiā posse deponi à militia incepta. Idipsum de Clericis in Minoribus, prout vsus obtinuit, & refert Bonacin. *tom. 1. p. vn. prop. 4.* Apud quem, aliosque: propriè degradari Episcopos Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos. Qui degradati in casu, vigore Caracteris interioris adhùc validè munera exercèrent, v.g. Sacerdotes verè consecrarent, nec ab onere officii eximerentur; neque verè Matrimonium inhirent ob votum castitatis, quod emiserūt. Ita citati cum Graff. *de Effectibus Cleric. effec. 1. num. 819. & 834.* vbi sanam rationem assignat: Quòd si degradati restituerentur non deberent reordinari. *Ideò*.

Tertiò. Solus Episcopus, & quidem proprius ad degradandum procedit clericos in Sacris constitutos, vigore Trid. *d. loco.* Vbi postquam verbalem in manibus etiam Vicarii commiserit; randem de actuali sic: (*Et per se ipsum etiam ad actualem, atque solemnem degradationem*) sicut solus Papa procedit ad Episcoporum degradationem; tamquam ille, cui reseruatæ sunt causæ Episcoporum degradatione promærentes, de quibus vide *num. 4.* Dixi; solus Episcopus ex iure antiquo correpto à Trid. sed,

non

Digitized by Google

non sine Abbatibus, vel personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, vt inferiùs dicam; & quidem non tantum electus, & confirmatus, verùm etiam consecratus, à quo sicut pendebat S. Ordinum collatio; ità ab eodem degradatio. Hæcque doctrina habet locum in sola actuali. Ita Marta, Gemin. & alii, pænes Barbos. 3. P. *de Potest. Episcopi Alleg.* 110. *num.* 24.

3 *Sed nùm Episcopus possit hanc Potestatem alteri delegare?*

Respond. Salua praxi, & consuetudine optima legum interpetre, non posse alteri etiam Episcopo cõsecrato, ex mente Concilii dicentis: *d. loco. per se ipsũm*, quod est verbum reprimens facultatem, ne delegetur. ita apud Bonac. *d. loco nu.* 11. *in fine*, quidquid antea dixerat cum Alterio *tom.* 2. *disp.* 2. *cap.* 7. *vol.* 15. sed non improbabiliter; ideò vide P. *sequent.* loquor de Actuali, nam de verbali, extra dubium est, posse per alium sententiam ferre, & deponere Clericum ob crimina inferiùs recensenda; estq; valdè notandum in hac materia. Quando in iure, vel alio statuto ponitur pęna degradationis, non explicata pro sollemni, vel actuali, intelligitur semper verbali; eo quia actualis est odiosa, ideò restringenda ad solos ipsius terminos. Ita non pauci contra Tolet. apud Bonac. *d. loco.* ad reprimendos antiquos Canones propentiores pro imponẽda degradationis pæna.

Religiosorũ insuper Prælati absque Priuilegio degradare subditos, ob immania crimina non possunt, sed aliis punire pænitentiis; vel nisi resipiscerent, tamquam incorrigibiles illos eicere, ex Decr. *Vrban.* 8. *de Apostatis, & eiectis*. Incipit *Sacr. Congreg.* 21. *Sept.* 1624 vigore cuius, Eiecti remanent perpetuò suspensi ab ordinum exercitio; interdicta paritèr Ordinariis locorum facultate relaxandi, vel moderandi. Nùm denique dicti Prælati possint cognoscere de causis, & criminibus, quæ requirunt depositionẽ? Resp. Nauar. *in cap. non dicatis*, 12. *quæst.* 2. *nu.* 63. negatiuè: quia Trid. *d. loc.* solum hoc tribuit Episcopo, vel eius Vicario.

4 *Sed quinam sunt casus criminosi degradatione promærentes?*

Respond. Casus actuali degradatione promærentes esse, quæ sequuntur. — 1. Crimen hæresis, *in Cap. ad Abolendam, & cap. Excommunicamus. in* 2. *de hæreticis.* — 2. Crimen falsi commissi in litteris Apostolicis. *ex cap. Ad falsarium. De Crimine fals.* — 3. Crimen conspirationis aduersus proprium Episcopum *ex cap. Si quis Sacerdotium* 11. *q.* 1. enarrat Zecc. *de Priuil. Ecclesia* 79. *num.* 7. apud quem requiritur incorrigibilitas, *ex glos. in d. cap.* — 4. Crimina celebrationis, vel Confessionis à non Sacerdote, *ex Bulla Clem.* 8. incipit: *Et si aliàs.* 1. *Decembr.* 1601. — 5. Crimen grauissimum sollicitationis in Confessione, ex Bull. B. Pii 5. innouata à Greg. 15. incipit: *Vniuersi* 30. *Aug.* 1622. — 6. Crimen abortus animati, ex Sixto. v. incipit: *Effrenatam* 16. *Nou.* 1588. sed redacta ad terminos iuris communis à Greg. 13. incipit: *Sedes Apostolica, prid. Kal. Iun.* 1591. Quidam addunt crimina Assassinii, læsę Maiestatis, & Sodomiæ exercitæ, seù consuetudinariæ. Apud Barbos. *d. loco à num.* 13. sed est consulenda praxis, vel probanda grauitas, & incorrigibilitas, quod est magis attendendum ab Episcopo, antequã deueniret ad tremẽdum, & execrabile vulnus degradationis, applicandum nisi in casibus à iure expressis.

5 Sed

5 *Sed quid de modo hoc in munere praestando ab Episcopo?*

Respond. Ex antiquo iure *in cap. Si quis 15. q. 7.* in degradatione Sacerdotis desiderabantur. 6. Episcopi, in Diacono, & Subdiacono tres. In Episcopo duodecim. De nouo autē iure Trident. *d. c.* facta est Translatio ad tot Abbates Mytratos, vel tot personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, omnes requisiti in proferenda sententia, & nemine discrepante. Multi apud Felin. *in cap. Non potest. de sent. & re iudicata.* Ac etiam in actuali executione degradationis, quod omninò tenēdum est, ex methodo Tridentini. contra quosdam cum Alterio, & sequitur Bonac. *d. loco num. 15. in fine §. Ego verò.* Deinde Episcopus in Ecclesiæ sacello, vel Altari, vestibus Pōtificalibus indutus, prout in ordinum collatione, nisi aliud Consuetudo suaserit, vt notat Gemin. *in Cap. degradatio, num. 7.* apud Bonac. *d. loco num. 17.* à degradandis propria instrumenta ordinum, in manibus tenentibus, illa aufert, ordine retrogresso, quàm in eorum collatione tradidit, vestesq; omnes vsque ad Talarem, ac demum abradetur caput, ne ampliùs appareat signum Clericale, dicendo: in instrumentorum, & vestium ablatione. *Auferimus tibi v. g. Calicem vel aliā vestem Sacerdotalem, teq; honore Sacerdotali priuamus.* Et in ablatione vltimi vestimenti, quod fuit primum in ordine Clericali dicat.

Authoritate Dei Patris Omnipotentis, Filij, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & degradamus, deponimus, expoliamus, ac exuimus te omni Ordine, Beneficio, ac Priuilegio Clericali. Alioquè simili modo, ex Bonifac. 8. *in cap. 2. de pœnis in 6.* Apud Barbos. *d. loco. num. 30.* Salua praxi, & methodo in Pontificali. De restitutione verò post actualem degradationem, vide *Impot. 152.*



De Episcopo delegante authoritatem absoluēdi casus reseruatos Summo Pontifici occultos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare authoritatem absoluendi casus occultos Summo Pontifici reseruatos.*

2 *Sed quinam sint casus occulti, & Papa reseruati?*

Potestas CXXIX.

1 POtest Episcopus delegare authoritatem absoluendi casus occultos, & reseruatos Summo Pōtifici. Ita DD. Citati *in Potest. 2. vsque ad 19.* vbi fusiùs, hìc pleniùs agam de extentione, & delegatione authoritatis. Quarè præaduertere libuit, Casus reseruatos Papales, hac nostra tempestate duplici classe distinctos esse, de quarū prima sūt quę in Bulla Cænæ à Greg. 15. *sub die 24. Mart. 1622.* cū hac clausula, *quod à prædictis sententijs, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, quauis authoritate, aut Priuilegiorū, etiā prætextu Episcopali, ac maiori dignitate fulgentem absolui possit.* Insuper per cuiusuis *Concilij decreta, &c.* ex quo patet; Potestatem concessam Episcopis à

Trid.

Trid. *in Cap. Liceat*, abrogatam esse super casus Bullæ cœnæ occultos, vigore dictæ clausulæ. Ita subscribunt non Pauci, & sequitur Bonac. *de Cens. lib.* 1. *q.* 22. *p.* 2. *num.* 2. vt innui *Potest.* 2. *num.* 5. Dixerunt quidam; Clausulã illã derogare tantũ facultati priuilegiorũ quoad casus publicos, quia stat Tridentinum in fauorem Episcoporum pro occultis. At si hodiè hi gladium excommunicat. euitare cupiunt, cessare coguntur affirmatiuam sententiam tenentes propter Bullam Alex. 7. incipit: *Sanctissimus* 2. *Octobris.* 1665. *proposit.* 3. vbi confutat fundamentum aliter dicentium fortè ex decreto S. *Congreg.* 18. *Iulij* 1629. quo tollerata fuit dicta sententia.

In secunda Classe sunt alii casus Papales intrà, vel extrà ius vagantes, reseruati, de quibus Bonac. meminit *tom.* 3. *de Cens. disp.* 2 *per totum*, Pro quibus occultis stat viritim Trid. *cap. Liceat.* in fauorem Episcoporum, absq; DD. cõtrouersia. Quorum delegationem in multorum opinantium conflictu, tamquam probabiliorem ipse sustineo; fieriq; posse cum Homob. *de Cas. reseru. p.* 1. *de Absolutione casuum Obser.* 5. apud quem Alii citantur sequentẽs: idipsum habet Dian. P. 3. *tract.* 4. *res.* 141. Barbosa tamen fuit anceps, & expectans decisionem, *de Episcopo, Alleg.* 39. *n.* 14. Tandem Affirmatiuã fuit amplexus *in Collect. Concil. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *sub num.* 45. variis munitam rationibus. Tum quia delegatio facta à lege est Episcopo ordinaria, data industria personę. Tũ etiam quia nulla mentio restrictiua; prout fieri solet in controuersia, & factum fuit in occultis Bullę Cœnę; quod est signum euidentissimum; ergo licebit Episcopis vti dicta facultate, tamquã propria, vel delegata ad Vniuersitatem Causarum, cum qua stat vera subdelegatio, iuxtà dicta *Potest.* 1. *sub num.* 3.

Tu fortè dicis cum Bonac. *de Cens. disp.* 1. *q.* 22. *p.* 3. *num.* 25. delegationem hanc esse specialem, ex illis verbis. Trid. *d. l. Per se ipsos, aut suũ Vicarium, ad id specialiter deputatum*) adeòque asseris: Episcopum posse delegare in casu occurso, non verò generaliter pro omnibus occursuris. Sed tibi respondeo: Verum esse de delegatione speciali vniuersali, non quidem de singulari, & in casu oblato, quia Potestas concessa est specialis, ideò nisi à specialiter delegato pro occultis Papalibus exerceri debet, vt benè notarunt quidam cum Sanchez, & est sensus Homoboni *d. loco.* vbi sic. Potest tamen in his, vices suas, vel in particulari casu, vel in generali alteri committere iuxtà tenorẽ dispensatiuum Trid. Etenim hæc est natura dispensationis, dilatare, ad differentiam pœnæ, cui est restringere; idcirco factus sermo de Absolutione, & dispensatione, debent explicari iuxtà ampliorem sensum in fauorem Animarum. Sequitur hanc Potestatem Alterius *de Cens. tom.* 2. *disp.* 8. *cap.* 3. *concl.* 4. *vers. Tertio notandum.*

2 *Sed quinam sunt hi casus occulti, & Papæ reseruati?*

Respond. Recurrendum ad varios Authores; laborem impendentes, & colligentes ex variis iuribus, & diplomatibus cathalagum omnium excommunicationum. Contrà Episcopos, Clericos, Regulares, & omnes. Præsertim Bonac. Alteriũ Barbos. & Alios peculiaria volumina efficiẽtes de Cẽsuris; apud quos pariter apertè constat irretitos Cẽsura aliqua publica, & reseruata, legitimèque impeditos adire Pontificem, posse ad Episcopi dexterã

recurrere, prout fusiùs *Potest.* 9. ideò satis pro prima, & secunda parte Potestatis.



De Episcopo delegante causas criminales Laico, defectu Clericorum, & quid de ipso Allegato suspecto?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare causas criminales, Laico, defectu Clericorum.*

2 *Sed quid de Episcopo Allegato suspecto?*

3 *Sed à quonam assignandi sūt Arbitri?*

4 *Sed quid, si Arbitri fuissent discordes?*

5 *Sed quid de causa remissa ad Vicarium, & allegatum suspectum?*

6 *Sed quid, si Vicarius cognouerit causam, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ?*

Potestas CXXX.

1 POtest Episcopus delegare causas criminales suorum subditorum Laicò, defectu Clericorum. Ita apud Grass. *de effectibus Clericat. eff.* 1. *num.* 564. Vega, & Alios, quos sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 108. *num.* 5. Et quia vetitum omninò est, Laicos cognoscere, discutere, & examinare causas Ecclesiasticas, vel delicta Clericorum, diuersis, ex iuribus, *in cap. Benè quidem* 96. *dist.* & *cap. Significasti de foro competenti*, quòd, & confirmatur Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. & *sess. vlt. cap.* 10 *de Refor.* vbi de mora litium, & causarum pertinentium ad forum Ecclesiasticum; ex quo, principali vetito; vetitū quoq; est eius accessorium & delegatio. At quia quandoq; accidit deficere Clericos idoneos in partibus, in quibus delegāda foret causa criminalis Clericorū, tūc impotentiæ vi, Laicis idoneis in iure Ecclesiastico peritis posset Epus delegare dictas causas visendas, absq; contrauentione Iuris Ecclesiastici d. cap. vbi prohibitio fundata est in sufficientia, & idoneitate aliorum Clericorum, quapropter fundamento negato; subuenitur causa, eo modo, quo potest, neuè res inindicata, vel malè iudicata remaneat, quod est potioris iuris, apud citatos DD. Procedit quoque validiùs dicta Potestas, si ferenda foret sententia Sanguinis, postquam Episcopus cōpilauerit procesū, causamque cognouerit; Vel qđo causæ essent ciuiles, & temporales, tamquam nullibi interdictę, vt notauit Barbos. *d. loco, à num.* 5. Itaque Laicus delegatus ab Episcopo tamquam Iudex casum criminalem discutit, & examinat, processum format secundum iuris Ecclesiastici dispositionem, illumque remittit Episcopo pro sententia ferenda, vel ipse profert ex delegatione sibi facta, exercendo nudum Mynisterium, non verò iurisdictionem propriam, quia veritam in dictis iuribus: sed alienam, & commissam. Consuescunt conformiter Episcopi eligere Assessores, Doctores laicos, remittendo eis graues causas, & criminales discutiendas, de quibus fusè dicam; *Potest.* 179, quę firmant positam Potestatem.

Vindicat sibi locum posita Potestas,

stas, quando Clericus non esset totaliter in iure sufficiens, vel in aliquo deficiens, quia sic in toto est insufficiens ad dictum munus obeundum. Ideò sententia lata à Clerico, ita deficiente, vnà cum Laico perito esset bona, & absque iurium contrauentione: Aliàs tamen si stante Clerici habitudine vnà cum Laico proferretur sententia esset inualida, vt notat Abb. *in Cap. Significasti de foro competenti*. Quænam autem erunt causæ criminales, videto P. *Post. Impot.* 60.

2 *Sed quid de Episcopo allegato suspecto?*

Respond. Pro causa verè suspicionis coram Episcopo, poterunt assignari Arbitri ad cognoscendam ipsam: vt colligitur *ex cap. cum speciali de Appellationibus apud Sperell. in decis. fori Eccles. decis.* 93. *num.* 13 hocque ad tollenda de medio dubia, pro danda sententia definitiua coram Iudice competente, cauendam suspicionis notam, & frenandam malitiam recusatoris; neuè arriperet viam appellatiuam cum dedecore Iudicis competentis. Etenim nisi iuridicè euelli potest causa de Iudice competente, & non ad nudum recusatoris dictum: *de Regulis Appellationis.*

3 *Sed à quonam assignandi sūt Arbitri?*

Respond. Eorum vnus ab Episcopo, & alter à Recusatore, nè alteruter grauaretur, iuxtà illud *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, in d. cap. Appellationis. DD. citati.

4 *Sed quid, si Arbitri fuissent discordes?*

Resp. Oportère adhiberi tertium, qui omnes tenentur decidere intrà terminum ab Episcopo prefixum, quod si conclusa fuerit suspicio, tunc vera, & legitima, fieri debet deuolutio causæ ad illum superiorem, cui de iure competit appellare. Ità Vulpè *de Appell. cap.* 25. *num.* 13. Si verò fuerit decisum, causam esse illegitimam, tunc remissum causæ spectat ad Episcopum, aut alteri remittenda de consensu recusatoris. Addit Vulpè: Recusantem non debere eligere Arbitrum remotè distantem, estò possit illum eligere alibi. Ratio quia foret vilipendere causam, & fugire sententiam in tempore interiecto. Quę doctrina valdè inseruit DD. tàm in iure Ciuili, quàm Ecclesiastico, pro causis decidendis, litibusque terminandis. Ita DD. quos citat, & sequitur Barbos. *d. loco.*

5 *Sed quid de causa remissa ad Vicarium, & Allegatum suspectum?*

Respond. Recusato Vicario in formam iuris, non intelligi recusatum Episcopum. *ex cap. Si contra vnam: de Appell.* Sicque Episcopus posset dare alium Iudicem. Ratio prioris est, quia estò ambo idem Tribunal erigant, tamen ex eo valet, quod priori recusato, etiam subsequens intelligitur recusatus. Secùs è contra, recusato sequenti nō recusatur ille, ad quem sequitur. Ita sustinet Suarez *de Cens. disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 15. Prout excommunicato Vicario, non intelligitur excommunicatus Episcopus: lege Scacc. *de Appell. q.* 8. *n.* 85. Sbroz. *de Vicario lib.* 3. *q.* 15. Vide P. *test.* 259.

6 *Sed quid, si Vicarius cognouerit causam tamquam delegatus Sedis Apostolicæ?*

Respond. In casu, Episcopo recusato, & Vicarius esset delegatus, vel confirmatus à Papa, aut alio Superiore non poterit recusari; Ratio, quia vi confirmationis, vel delegationis à Sede Apostolica videtur procedere distinctè, & separatè à iu-

Digitized by Google

iurisdictione, quàm aliàs exercèret, si à solo Epo fuisset electus; idcircò recusata Episcopali iurisdictione operatur alia, quàm habet in sui delegatione. Ita notarunt citati, cõtra Dacian. & Rebuff.



De Episcopo delegante alteri facultatem dispẽsandi super denunciationibus matrimonialibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare alteri facultatem dispensandi super denũciationibus matrimonialibus.*

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Potestas CXXXI.

1 POtest Episcopus delegare alteri facultatem dispensandi super denunciationibus matrimonialibus. *Ita ex Tridentino sess. 24. de Reform. cap. 1.* vbi rigorem denunciationum præmittendarum ad Matrimonium ex iure antiquo in Concilio Lateran. mitigauit, & relaxauit, seu meliùs remisit iudicio Episcopi, his verbis. — *Denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio S. Synodus relinquit.* Ob quæ vltima verba apertè constat posse Episcopum denunciationes remittere, & fusiùs constabit ex dicendis. *Potest. 148.* Pariter delegare talem dispensationem sustinuerunt mecum, Sanchez, Ledesma, Rebuff. Reginald. & Alij apud Bonac. *de Matrim. q. 2. §. 6. num. 7.* quorum ratio est, quia Episcopo competit de iure ordinario ratione dignitatis, & non industriæ personæ, ex mente Concilij, in illa particula (*Prudentiæ, & Iudicio Episcopi relinquit*) de cuius vigore Episcopus constituitur ordinarius, ad relaxandas, minorandas, vel aliàs, denunciationes. Quapropter tamquam Ordinarius constitutus, quod suum est, delegare potest, *ex cap. vltimo de officio Ordinarij*. Cognita igitur iusta causa (proùt inferiùs) extrà iudicialiter, poterit in conscientia relictis denunciationibus, vel committere, vt alter Clericus remittat, & Matrimonium celebrare.

2 *Sed quanam de causa Episcopus possit dispensare, vel delegare dispensandi facultatem?*

Respond. Adhibitis omnibus diligentiis nè aliqua impedimenta subsint ad periculum vitandum in impeditis, Episcopus formare poterit iudicium in infrascriptis casibus. 1. Quando de proximo instaret tempus prohibitionis nuptiarum. 2. Quando Matrimonium esset cõtrahendum in Mortis articulo, pro legitimandis filiis. 3. Si Virgo esset sub Tutore iniquo, volenti nobilem, ignobili, vel infami tradere viro, nè id accideret. 4. Quando contrahentes diù habiti sunt pro coniugibus, contrahere volunt, sed ob verecundiam timent. 5. Quando adest conditionis disparitas, vnà cum imminenti superioris momẽti. 6. Quando fieret inter Magnates, quorum impedimenta si quæ adessent notiora fuissent. 7. Quando time-

meretur suspicio malitiosi impedimenti, & similes; habet Sotus *in 4. dist. 28. q. 2. ar. 3.* Siluester, Henriq., Sanchez *lib. 3. disp. 9.* quos sequitur Bonac. *d. loco num. 7. versu rogabis.* His addit Sanchez in fine, quod si quandoque fuisset Matrimonium ratum, & possent fieri proclamationes Matrimoniales omissæ ex sola causa, quod ante Matrimonium fieri nó poterant; fiant ante consumationem, vt accidit, quãdo ex sola tẽporis arctione denunciationes preire non potuerant. Caueat autem Episcopus licentiam concedere in euentu cuiuslibet casus, Matrimonium contrahi, absque Parocho, & Testibus, quia sunt de substantia contractus liciti, & mutui. Postremò S. Congregatio decidit apud Chamerot. quod quando omittuntur denunciationes ante Matrimonium, semel, vel bis fiant post contractum, refert Barbos. *de Episcopo, Alleg. 32. n. 55.*



De Episcopo delegante Authoritatem Indulgentiarum Sacerdoti Infirmo assistenti.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo.*

Potestas CXXIX.

1 Potest Episcopus delegare Authoritatem, quam habet Indulgentiarum Sacerdoti assistenti Infirmo. Hanc potestatem sustinent multi apud Dianam *P. 10. tr. 16. resol. 5. §. Et tandem.* cum Pellizario, vt infrà, & quia de Indulgentiis satis egi *Potest. 35. & 65.* hic examinatur facultas, quam habent Episcoporum aliqui à S. Sede Apostol. specialiter concessa, vt assistentes per se infirmis de nocte possint concedere Indulgentiam Plenariam; quàm alteri assistenti delegare posse videtur, modò tamen quòd subdelegatus seruet limites concedentis, & delegantis, scilicet de nocte. Ratio, quia cũ d. clausula irritante solet concedi talis facultas per se, vel per alium assistentem Sacerdotem, vel Clericum; prout seruatur in concessione Indulgentiæ lucrandæ in tali loco, vel Ecclesia à primis vesperis præcedentis diei vsque ad occasum Solis sequentis diei, quod tempus est de substantia requisitum; idipsum de Indulgentia præfata, refert Pellizzar. *tom. 2. tract. 10. cap. 5. sect. 1. sub. num. 190.*



De Episcopo delegante Authoritatem dispensandi impedimenta matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem dispensandi impedimenta Matrimonij.*

2 *Sed nũm dicta Potestas habeat locum in omnibus impedimentis?*

Po-

Digitized by Google

Potestas CXXXIII.

1 Potest Episcopus delegare authoritatem dispensandi impedimenta Matrimonii, In quibus ipse dispensare poterat. Et quia constabit ex dicendis, Episcopum posse dispensare in impedimentis impedientibus Matrimonium iustis de causis, ex optima consuetudine recepta, apud Vgol. *de Episc. cap.* 60. §. 3. & Bonac. *de Matrimon. q.* 3. *p.* 15. vt dicam *Potest.* 154. ex qua tamquam ab ordinaria facultate pendet, delegatiua, quam sustinent Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 40. *à num.* 14. *Valer.* Regin. Molina, & Alii, quos sequitur Barbos. *de Episcopo Alleg.* 35. *à num.* 14. Quorum Ratio pendet à iuris interpetratione, qua iudicatur Potestas Ordinaria, eique debita siuè ex concessione, siuè alio quouis titulo. Iustis tamen, & vrgentibus causis, cum impotentia contrahentium adeundi ad quem aliàs; prout probant DD. relati pro dirimentibus, quæ sunt maioris momenti. Tũ etiam quia iurisditio competens dignitati, vel officio sequitur iura ordinariæ potestatis ex Alzedo *p.* 2. *cap.* 7 *num.* 36. Tum denique *in cap. vlt. de officio Ordinarij*, qui habet potestatem ex officio suo illam delegare potest, ad differentiam, quod docetur *in cap. vlt. de officio delegati*; at in casibus vrgentibus, & occultis, habet ex officio suo, ratione impotentiæ recurrentium, vel tamquã tacitus delegatus Papalis ad Vniuersas similes causas, ergo ambigi non debet: posse Episcopum, causis adiectis vrgentibus, delegare d. dispensationem.

2 *Sed num dicta Potestas habeat locum in omnibus impedimentis?*

Respond. Affirmatiuè, & quidem de impedientibus, cum Vgol. *dic. loc.* extrà dubium est; Matrimonium factum esse validum estò illicitum, atque adeò contrahentes punibiles, si absque debita facultate contraherent, vel contraxissent, aspernentes iura Ecclesiæ. De dirimentibus autem alia quamplurimà requiruntur ad dispensandum, vrgentibus de causis (id ipsum ad delegandum) vt videre est *Potest.* 153. ideò firma stat Potestas, his munita conditionibus, quod impedimenta sint occulta, cum impotentia adeundi, ad quam sequitur delegatiua, seù communicatiua potestas alteri Clerico, vt dispenset in casu euento, & bona fide contracto, de matura deliberatione facta ab Episcopo, eiusque Assessoribus. Enim verò de euento, & euenturo mala fide contracto est alitèr dicendum cum Sanchez *d. loco disp.* 11. *n.* 4. *contra* Henriq.

De Episcopo delegãte Authoritatem dispensandi in irregularitate, & suspẽsione prouenĩẽte ex delictis occultis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest delegare Authoritatem dispensandi in irregularitate, & suspensione prouenientes ex delictis occultis.*

Potestas CXXXIV.

Po-

1 POteſt Epiſcopus delegare Authoritatem quam habet à Tridentino *ſeſſ. 24 de Ref. cap. 6.* diſpenſandi in irregularitate, & ſuſpẽſione prouenientibus ex delictis occultis (homicidio voluntario, & deductis ad forum, exceptis), & quia conſtabit ex dicendis *Poteſt.* 158. influctu variarum opinionum illam facultatem *in cap. Liceat*, cõpetere Epiſcopo iure Ordinario, & conceſſiuo ab illa lege, quæ delegat vniuerſaliter pro quolibet genere delictorum occultorum, etiam reſeruatorum Sedi Apoſtolicæ: at illa eſt ita conceſſa, ergo delegabilis, & communicatiua, prout indicant ſequentia verba Trident. (*per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum*), ex quo facultas eſt diſpenſabilis, & deputabilis. Nec dicas cum Alterio, hæc verba referri ad Abſolutionem, & non ad diſpenſationem, & ſequitur Barboſ. *in d. cap.* expectans deciſionem, nã aperta ſunt verba Concilii cum copula connexiua, *diſpenſandi*, & *abſoluendi*, abſque vllo ſigno puntali, quòd fortè diuerſaret ſenſum. Equidem adhæreo doctrinæ Henriq. *lib.* 14. *cap.* 19. vbi docet, quòd ipſe ſuſtineo cum Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 4. *num.* 17. Layman, & Aliis; Specialiter autem Homob. *p.* 1. *de Caſibus reſeruatis, titul. Quinam* ait: Poteſtatem hanc appellandam eſſe generalem, & generaliter ad præteritos, & futuros caſus extendendam, cuius ſenſus eſt: Poſſe Epiſcopum Vicario ſpecialiter electo generalem facultatem delegare, vt poſſit ab occultis delictis præteritis, & futuris (quia Concilium nõ diſtinguit.) Abſoluere, & diſpenſare in omni irregularitate, & ſuſpẽſione incurſos. Excogitatur verbũ *Deputandum*, quod eſt futuri temporis; ad ſignificandum, quod pro occurſuris caſibus erit deputandus ſpecialiter eius delegatus, ſeù Vicarius pro diſpenſandis dictis exceſſibus. Quid quid ſit pro occurſis, ex quibus patet apertè vis communicatiua, ſeù delegatiua; quàm pariter tetigi *Poteſt.* 129.

De Epiſcopo deputante præbendam pro Lectoribus Sacræ Scripturæ.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt deputare Præbendam pro Lectoribus S. Scripturæ.*

2 *Sed quid de ipſa lectione?*

Poteſtas CXXXV.

1 POteſt Epiſcopus deputare prębendam pro Lectoribus Sacræ Scripturæ; ita vigore Conciliorum Lateran. *ſub Innoc.* 3. & Trident. *ſeſſ.* 5. *de Reform. Cap.* 1. vbi innouantur quamplurima SS. Pontificũ decreta ſic: [Nè cæleſtis ille Sacrorum librorũ theſaurus, — neglectus iaceat; ſtatuit, & decreuit: quòd in illis Eccleſiis, in quibus præbendę, aut præſtimonium, ſeù aliud quouis nomine nuncupatum ſtipendium pro Lectoribus S. Theol. deputatũ reperitur, Epiſcopi, — & alii locor. Ordinarii, eos, qui — huiuſmodi obtinent, — per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneũ ſuſtitutum ab ipſis Epiſcopis, — & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per ſubtractionem fru-

ctu-

ctuum cogant, & compellant. De cætero Præbenda, Præstimonium — nisi personis idoneis, & quæ per se ipsos id munus explère possint conferantur, & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida. In Ecclesiis autem — vbi nulla præbenda — reperitur, prçterquã ex causa resignationis, primo vacatura, — ipso facto perpetuò intelligatur constituta, & deputata, & quatenus nulla, vel insufficiens foret — Episcopus per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, — vel per cõtributionem beneficiatorum suæ Ciuitatis, & Diœcesis, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, de Capituli consilio, ita prouideat; — Ita tamen, vt quæcumque aliç lectiones — minimè prçtermittantur.

Vbi verò haberi non possit lectio S. Theologiæ eligatur Magister grammaticç, qui gratis doceat Scolares pauperes cum assignatione mercedis, de Capitulari, vel Episcopali mensa In Monasteriis Monachorum, similiter lectio habeatur, aliàs Abbates negligentes opportunis remediis, Episcopi locorum, vt S. Apostolicæ delegati, ad id compellant. In Conuentibus verò aliorum Religiosorum lectio similiter S. Scripturç habeatur, quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur digniori- bus Magistris. — In Gymnasiis publicis, de Principum Religiosissimorum pietate lectio instituatur, vel restituatur, & nè impietas disseminetur, statuit S. Synodus; neminem ad lectionis officium admittendum, nisi priùs ab Episcopo loci de Vita, Moribus, & Scientia approbatus non fuerit; quod de Lectoribus in Claustris non intelligatur. Docentes verò, & Scolares, priuilegiis omnibus, de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia, à iure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.] Hæc summatim in *dicto cap.* ex quo dilucida, & prouida institutio, atque accurata Concilii deputatio præbendæ pro lectoribus colligitur, & de vtraque in præsenti agendum, atque magis eluceat prçbendarum Potestas deputatiua, & quia de Lectoribus Regularium alibi *Potest.* 101. dixi: ideò hic de aliis extrà claustra; quorum deputatio ad solum Episcopum pertinere docuerũt Varii apud Nicol. Garciam *de Benef. p.* 5. *cap.* 4. *num.* 162. in quocumque Mense vacet præbenda Theologalis, vnà cum Zeroll. *in Praxi p.* 1. *v. Beneficia* §. 4. contrà quosdam apud eosdem. Examinare tandem, de Vita, Moribus, & doctrina, siuè publicè, siuè priuatim docuerint, ad eumdem attinet, ex apertis verbis Concilii, sicut quibus hora, & tempore, atque materia operam dare debent, *ex Sacr. Congregatione apud* Sellium *in Select. cap.* 38. *&* Garc. *d. loco*. Pariter dè vacantia trium Mentium *Iulij, Augusti, & Septembris*, & non alio tempore, & quod per se ipsos legant. Aliàs institutio erit irrita, ex Tridentino, Quod si post institutionem factam institutus fuerit perpetuo impedimento detentus, facienda erit noua Collatio ab Episcopo, & nullo modo ab instituto, *ex variis decis. apud* Barbos. *in Collect. decis.* 447. *num.* 6. In defectu autẽ Clerici Secularis, fructus prçbendæ tradendi erunt cuidam Superiori alicuius Ordinis pro assignando, & deputando idoneo Theologo ad publicè legendam S. Scripturam, cui erunt primo subministranda necessaria, & si quod superesit, vsui Monasterii applicandum. *Ità apud* Zeroll. *d. loco* §. 5. *ex B. Pio v. & Greg.* 13. *citati* à Barbosa *de Episco-*

capit Alleg. 56. *num.* 15. hucusque de *Institutione.*

Deputatio tandem, de qua in presenti, illa est, quę vel deputata ante Tridentin. vi Concilii Later. *in cap. Quoniam de Magistris*, vel primo vacatura post Tridentin. *d. loco*. omninò facienda ab Episcopo, vt ipsa Sacr. Scripturæ lectio habeatur, & fortè vix accidit casus deputationis hac nostra tempestate, quæ est longè distans à limine Trident. Cuius vigore, nota ad Episcopum non pertinere collationem, quia Concilium non expressit à quo, sed ait: *Conferatur*, ex mente DD. citatorum. Attinere autem curare, & prouidère vt deputata ab Ecclesia, vel Capitulo, vel aliàs ab Episcopo, cui fuerat institutio, conferatur, adeò quod si non erit deputata, illa intelligatur, quæ primò fuerat vacatura, post Tridentin. ni vacatio sit ex causa resignationis. hucusque igitur iam deputata est saltem alterutro ex modis præfatis, ipsamque deputatam applicabit Episcopus lectoribus designatis, cogendo per iuris remedia eos, ad quos spectat dare præbendam, seù fructus beneficii, & est scopus nostræ Potestatis. In casu autē quo deputata, vel vacata adhùc non sit, vel insufficiens, deputabitur ab Episcopo, per eos, qui beneficia habent in Ciuitate, & Diœcesi, vel aliàs, de Consilio Capituli. *Barbos. d. loco num.* 2.

Prouisus autem, seù præbendatus huiusmodi tenetur per se legere, & neutiquam per substitutum, aliàs cogendus, vel priuandus ad metam contumacię, *ex S. Congregatione* apud Sell. citat. Barbos. *in Apost. decis. v. Præbenda Theologalis nu.* 7. Nec potest obtinère aliud Beneficium incompossibile, quod si haberet Parochiale, tenetur residère in Parochia, & arbitrio Episcopi assignandus erit Coadiutor, seù substitutus, *ex decis.* apud Aldan. *in compend. Canonic. resol. lib.* 1. *tit.* 3.— Debet Prouisus ex gratia quotidianas percipere distributiones, illis diebus, quibus legit *ex S. Congregatione*, sic annuente *Greg.* 13. notat Barbos. *d. loco v. Lector Sac. Scripturæ nu.* 9. non verò pro Matutino sequentis diei, in vespere præcedenti, & omnia emolumenta, ac si esset, vnà cum interessentibus choro.— Tandem debet relinquere locum Antiquioribus Canonicis, quia præbenda Theologalis nō est dignitas, ex S. Congrat. apud Barbos. ibid. *v. Præbenda Theologalis, n.* 8.

Præbenda denique huiusmodi non potest optari, vel dimitti ad differentiam aliorum Canonicorū *ex Sacra Congregatione* 7. *Iunij*, 1601. Dum vacat, applicantur fructus ab Episcopo personæ idoneæ in commendam pro obeundo munere vsque ad Prouisionem, S. *Congregatio* 8. *Feb.* 1594. apud Sell. quod non habet locum in Ecclesiis Regul. *ex Sacra Congregatione in vna Pampilonensi* 9. *Septembris* 1573. penès Barbos. *ibid. v. Præbenda, n.* 3.

2 *Sed quid de ipsa lectione?*

Respond. Illam esse, qua explicatur verus, germanus, & catholicus sensus iuxtà dogmata SS. PP. & mentem Catholicorum expositorum, adeòut Assistentes adiscant quid Sacr. Scriptur. docet: vel vt Alii volunt esse Theologiam Scolasticam, ità multi cum Garc. refert Barbos. *de Episcopo Alleg.* 56. *num.* 6. Ad quam lectionem tenentur accedere Canonici, & cęteri Presbyteri Ecclesię Cathedralis. Barbos. *ibid. & Collect. Trid. sess.* 5. *de Ref. c.* 1. & si quod reliquum est pro Regularibus, vide Potest. 100. & 101.

De Episcopo determinante onera missarum, Anniuersaria, & Officia defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest determinare, & diminuere onera missarum, Anniuersaria, & Officia defunctorum ante Tridentinum imposita.*

2 *Sed quid ad cognoscendum onera fuisse ante Tridentinum imposita?*

3 *Sed quid de tempore medio ab Anno 1564. vsque ad tempus decreti 1625?*

4 *Sed quid de Missis Anniuersarijs, & Officijs defunctorum relictis in erectione beneficiorum post Tridentinum, vel post decretum?*

Potestas CXXXVI.

1 POtest Episcopus determinare, & diminuere onera Missarum, Anniuersaria, & Officia defunctorum ante Tridentinum imposita: facultate desumpta ab eodem Concilio *sess. 25. de Ref. cap. 4.* his verbis: *Sancta Synodus facultatem dat Episcopis vt in Synodo Diœcesana; itemque Abbatibus, & Generalibus ordinum, vt in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint statuere circà hæc quidquid magis ad Dei gloriam — viderint expedire: ita tamen vt eorum sæpè defunctorum commemoratio fiat.* & sustinent DD. communiter apud Barbos. *de Episcopo Alleg. 29. num. 5.* Bonac. *de Sacram. disp. 4. quæst. vl. §. vndec. num. 9.* & Alios notantes contrà Posseuin. Concilium non habere locum de Relictis post Trid. vt S. *Congregat.* in facti euentu respondisse testantur 7. *Februar.* 1573. citati à Diana P. 1. *tract.* 14. *resol.* 2. Nec dicas Concilium absolutè loqui, & absque limitatione, quia concluderet, qui aliter *Sacra Congregatio* decreuisset, cui magis adhæret Bonac. propter Praxim, vsuque receptum. De oneribus autem post Concilium impositis, aut in limine fūdationis aliter decreuit *Vrban.* 8 incipit: *Cum sæpè* 21. *Iunij* 1625. pro quibus recurrendum ad Sedem Apostolicam, cum clausula quod aliàs moderationes, & reductiones sint irritæ & nullæ, vt meliùs differam, P. *post. Impet.* 67. Adeoque sancitum à Concilio pro oneribus ante ipsum est, nè Missæ, supra vires susceptæ nequirant satisfieri. Neuè depereant testantium voluntates, vtque subueniatur legatorum tenuitatibus. Propterea dat Episcopis, potestatem, illa moderandi, & reducendi. quod intelligas; iustà intercedente causa, & rationabili, quia Testatorum voluntas violari nūquā debet, vt clamāt iura noua, & antiqua. Iusta autem causa dicitur apud DD. quando v. g. Cursu temporis numerus Religiosorum fuisset diminutus, & onus Missarum auctus, vel redditus Ecclesiarum extenuati, & impensæ maiores, & similes apud Azor. *Inst. Moral. p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *quæst.* 5. Quibus suffulti causis, Episcopi in Synodo Diœcesana, de Synodalium consensu, & Generales in Capitulis Generalibus de Capitularium voto, moderare, determinare, seù diminuere possunt dicta onera, vt par in Domino erit, siuè illa sint in testamentis, donationibus, aliisque similibus dispositionibus, etiam inter vi-

viuos, vt vult Moneta *de Commutatione vltim. volunt.cap.* 5. *num.* 368. & Barbos. *d. loco qui à num.* 11. limitat 1. Ni onera sint pro missis in Ecclesiæ fundatione impositis. 2. Vel de beneficiis requirẽtibus in eorum fundatione certum numerum determinatum Missarum. 3. Vel de votiuis, seù pro defunctis, quę iustis de causis à particularibus petuntur Personis, sed tantùm procedere pro relictis quomodolibet in dispositionibus præfatis.

2 *Sed quid ad cognoscendum onera fuisse ante Tridentinum imposita?*

Respond. Initium Concilii Tridentini fuisse *ann.* 1545. in quo fuit prima sessio sub Paul. 3. Terminus verò dicti Concilii *sub Pio* 4. 7. *Februar.* 1564. proùt in eiusdem Pontificis Bulla, quæ incipit *Benedictus Deus*, à quo vltimo Anno vigor Trident. incepit obligare Christiculos ad eius obseruantiam. Propterea regulantur Episcopi à Defunctorum Testamentis, videlicet totus Annus præfatus 1564. currit in fauorem eorum. Sequens verò Annus, & deinceps recurrit dispositio decreti, ab *ann.* 8. præfati pro recursu ad Sedem Apostolicam, sed clariùs in sequenti.

3 *Sed quid de Tempore medio ab Ann.* 1564. *vsque ad tempus decreti* 1625.

Respond. Contrà Posseuin. & Alios dicentes: Concilium loqui de Missis ante, vel post ipsum impositis, quæ opinio fuit rejecta per declarationem *Em. Card. ann.* 1573. apud Dian. *d. loco*, Incipere nullas, & inanes moderationes factas ab Episcopo, vigore Tridentini post decretum Vrbani *de Anno* 1625. Pro illis verò Testamentis ab Anno Concilii, vsque ad decretum securiùs recurri debuerat ad Sedem Apostolicam, vel vti priuilegiis ab illa concessis, quia de opposito non constabat, modo verò constat positiuum propositum *ex verb.* præcepto cum clausula, *Non obstantibus quibuscunque priuilegijs.*

4 *Sed quid de Missis Anniuersarijs, & officijs Defunctorum relictis in erectione beneficiorum, post Trid. vel post Decretum?*

Respond. Nullibi prohibitionem inesse, quin Episcopus non possit, nec Decretum Vrbani prohibet proùt ad primum dubium respondit Sacra Congregatio, etiamsi legatum sit in limine fundationis: sic *Verumtamen, si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari; legem hanc fundationis, quam, decreta hac de re edita non substulerunt, esse validam, & obseruandam.*



De Episcopo destruente Ecclesiam collapsam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest destruere Ecclesiam vetustate collapsam, ibique sacram figere Crucem.*

2 *Sed quid de Iuris prætensione?*

Potestas CXXXVII.

1 Potest Episcopus destruere Ecclesiam vetustate collapsam, ibique Sacram figere Crucem, Communiter apud Aloys. Ricc. *in Praxi aurea resol.* 201. Cuius ratio est, quia nequit reparari locus ille Sacer, nec decet profanis vsibus

exponi, sed semper in reuerentiam haberi, quapropter figēda est Crux in signum, & distinctioné profanorũ locorum, vtque veneraretur locus ille, in quo placuit Altissimo pro tempore in sacrificium descendere. Item lapides, ligna, & alia vsui Sacro applicata transferri decet ad structuram aliarum Ecclesiarum, neutiquam verò vendi ad sordidos vsus, vt docuit Nauar. *de Spolijs Clericorum* §. 18. *num.* 11. & Ricc. *d. loco* Refert ita decis. *à Sacra Congregatione.*

2 *Sed quid de Iuris prætensione?*

Respōd. Per lapidum, lignorum, aliarumque rerum venditionem, seù Translationem Ecclesiæ collapsæ ad aliam, nullum ius transferri, neq; inducitur absque speciali Iuris communis mentione, proùt in vlla reperitur lege, igitur pretensio vana. Ita sentit Ricc. *d. loco* cum Aliis.



De Episcopo dispensante, vt vni conferantur plura beneficia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare, vt vni conferantur plura Beneficia difformia in eadem Ecclesia.*

Potestas CXXXVIII.

1 Potest Episcopus dispensare, vt vni conferantur plura beneficia simplicia, & difformia in eadem Ecclesia. Substinetur à pluribus DD. apud Nauar. *de prabendis cōsil.* 18. *num.* 1. Leo *in Tesauro fori Ecclesiast. p.* 2, *cap.* 8, *num.* 55. refert Barbos. *de Episcopo P.* 3. *Alleg.* 62. *à num.* 2. In his tamen casib⁹, 1. Quando vnum non sufficit ad sustentationem. 2. Quando ambo sunt simplicia. 3. Quando in eadem Ecclesia; vt colligitur ex Tridentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 17. non obstante decreto *in sess.* 7. *cap.* 4. vbi prohibentur conferri vni beneficia incompatibilia, putà dignitatum Personatuum, Canonicatuum, ac Curatorum, neutiquam verò beneficia simplicia compatibilia, & insufficientia, quæ nullo de iure prohibentur, conferri ab Episcopo vni, & dispensari, vt fusiùs probaui *Potest.* 3. 8 iuribus ibi præsignatis. Subdit Nicolaus de Garc. *de Beneficiis p.* 11. *cap.* 5. *num.* 259. Beneficia in Cappellis, Altaribus, & Cœmiteriis eiusdem Ecclesiæ dicuntur esse in eodem tecto; verùm quippè iura aborrère duo beneficia vni conferre, sed non quando difformia, simplicia, & insufficientia, ex Gloss. *in c.* 1. proùt ipsa Praxis confirmat; quarè concurrentibus dictis, sequitur Potestas dispensatiua Episcopalis, vt multoties censuit Sacr. Congregatio, apud Garc. *dicto loco nu.* 377.



De Episcopo dispensante in Irregularitatibus, & Suspensionibus incursis ob delicta occulta pro Ordinibus conferendis.

SVMMARIVM.

1 Epi-

Digitized by Google

1 *Episcopus potest dispensare in Irregularitatibus, & Suspensionibus incursis ex delictis occultis, pro conferendis Ordinibus.*

2 *Sed quanam sint delicta, ob quæ incurritur Irregularitas ad sacros Ordines?*

Potestas CXXXIX.

1 POtest Episcopus dispensare in Irregularitatibus, & suspensionibus incursis ex delicto occulto (homicidio voluntario excepto) pro suscipiendis, & susceptis ordinibus. Ita vigore Trident. *in cap. Liceat, sess. 24. de Ref.* vbi memoratur Potestas Episcopi Absolutiua, de qua egi *Potest. 2.* Delegatiua] *Potest. 129.* & Dispensatiua, de qua est sermo in presenti Illaque est, qua indigent volentes suscipere ordines, quos non habent, vel exercère, quos malè susceperunt, modò huiusmodi delicta sint occulta, indè vt ritè suscipiant, vel exerceant. Ita Bonac. *de Cens. disp. 7. q. 3. p. 6. num. 10.* Suarez *de Cens. disp. 46. tit. 4 nu. 3.* & Alii apud ipsos, quorum Probatio illa est, quam luculenter attulimus *Potest. 129.* vbi fusiùs de delegatione, queq; fortiùs supponendo concludit nostram potestatem dispensatiuam, & procedit etiam pro Episcopo non consecrato, sed tantùm confirmato, cum dispensare sit actus sequens iurisdictionem, & non consecrationem, vel ordinẽ, ergà suos Subditos, qui ratione ordinum illi subduntur, vt memini *Potest. 85.* quod est valdè notandum hac in re, quoniam Alii subduntur vni, & Alii alteri potentiæ; hi enim qui subiiciuntur ratione dispensatiua sunt illi, quorum subiectio sufficit potentiæ Absolutiuæ, cuius priuilegia sequitur potentia dispensatiua in Irregularitatibus, & Suspensionibus contractis, propter delicta occulta. Et est doctrina Suarez *de Pænit. tom. 4. disp. 20. q. 2. num. 3.* quod Diœcesani Oriundi, Domiciliares, Peregrini, Vagi Mercatores, Scolares, Medici, & Prætores dicuntur subditi Episcopo quoad Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ, ex consuetudine Ecclesiæ, & iuxtà interpetrationẽ Voluntatis S. Pontificis, cui doctrinæ subscribit Bonac. *de Cens. disp. 7. de Irregul. q. 5. p. 1. n. 5.* vna cũ Aliis DD. Tu verò cogita valère pro potentia dispensatiua vnà cum illa sua differentia, quã præsefert Potest. absolutiua, quia hæc Absolutiua exercetur circà presentem, illa verò extràiudicialiter, & circà absentem; immò extrà Diœcesim, vt notarunt plures apud Dian. P. 4. *tract. 4. resol. 96.* contrà Rodriq. Propterea Episcopus sciens Irregularem, vel Suspensum, quem admittit ad Sacros ordines, dispensare censetur, quia non præsumitur ordinare Irregularem, sed vi promotionis dispensasse, apud multos, quos citat Henriq. *lib. 14. cap. 17.* §. 4. & Maiol. *de Irregul. cap. 51. num. 8.*

2 *Sed quanam sunt Delicta, ob quæ incurritur Irregularitas ad Sacros ordines?*

Respond. Quamplurima esse delicta, ob quę Clericus non habens Ordines eos exercẽs incurrit illam. Primò incurrit, quãdo seriò quis ex officio exercèret ordinem Subdiaconatus, eum non habens. Apud DD. quos citat Bonac. *d. loco, qu. 3. punct. 6.* Immò neque ex penuria Subdiaconorum, vel consuetudine potest exerceri à Clerico in minoribus *ex Sacra Congregatione 21. Aug. 1601.* refert Barbos. *in decis. Apost. v. Subdiaconus, num. 1.* Secũdò, Si simplex Sacerdos exercc-

Digitized by Google

ceret actum ordinis Episcopalis confirmando, ordinando, & altaria consecrando. Apud Suarez *disp.* 42. *sect.* 4. Tertiò Clericus non Sacerdos seriò audiens Confessiones Sacramentales, vel sollemniter ministrans Baptismum, vel exercens munus Hebdomodarii; nisi fortè hoc faceret bona fide, vel si promotus per saltum exercèret functiones ordinis prętermissi, ita *ex cap.* 1. *& 2. de Clerico non Ordinato ministrante.* Cuiusmodi Irregularitates de Iure communi à Papa dispēsantur, tamen si delictum fuerit occultum, Episcopus vti potest Tridentina facultate, de qua nos cum DD. citatis.

Secūdo Incurritur irregularitas p infamiam Iuris, vel facti *ex cap. Omnes* 1. *q.* 6. *& cap.* In*fames*, 6. *q.* 1. Nam portæ dignitatum Infamibus patère non debent. Idcircò infamia iuris, est publica, & praua opinio de vita, & moribus alicuius ex delicto, cui à Iure Canonico, vel Ciuili imposita est pœna infamię. Infamia verò facti est quando ob immane aliquod delictum, quis punitur pœna infamię à Iudice per sententiam declaratiuam pœnę, illa à *Papa*, seù ab Episcopo si sit occulta; hęc ab Episcopo relaxatur, quatenus dispensat in omnibus criminibus, ob quæ incurritur infamia, sicque emendatus accederet ad S. Ordines. Tādē Pœnitentia publica inducebat Irregularitatem, quam non esse in vsu fatetur Bonac. nisi ea sit, cui annectitur Infamia, ex Suarez *d. loco, q.* 2. *num.* 4.

Tertio Incurritur ob delictum, quando iterantur Sacramenta initerabilia, putà Baptismus, Confirmatio, & Ordo, modo iteratio sit culpabilis, vt patet *ex Cap. Litterar. de Apostatis, & Cap. confirmandum est dist.* 50. quòd extenditur ad Acolythū ministrantem in iteratione Baptismi. Defendit autem Bonac. *dicto loco p.* 3. *num.* 8. ex iteratione Baptismi, & Confirmationis irregularitas non contrahi.

Quarto Incurritur ob delicta cōmissa in eadem ordinum susceptione, puta quando Excommunicatus maiori excommunicatione scienter, vel crasso ignoranter accederet ad S. ordines. *ex cap. Cum illorum de Sententia excommunicationis in* 6. — Vel quando eodem die, quis inscio Episcopo duos Sacros Ordines susciperet, vel vnum Minorem cum Subdiaconatu absque dispensatione, *ex cap.* 2. *& 3. De eo, qui ordines furtiuè suscèpit.* — Vel si cōiugatus etiam non consumatus reciperet Ordines Sacros. Per *extrauag. Antiqua de Voto, & Voti redemptione.* — Vel si quis reciperet Ordines Sacros ab Episcopo, qui renūciauit dignitati (nisi fortè ignoraret) vel Episcopatui. — Vel quis accedens furtiuè non vocatus ad ordines, vel alium loco sui examinare fecisset. *ex c.* 1. *De eo, qui furtiuè ordinatur.* — Vel si Religiosus nullitèr professus reciperet Sacros Ordines, aut Secularis sine legitimo titulo, &c.

Alia quamplurima extant delicta, ob quę incurritur Irregularitas, sed quia præ manibus sunt disputantium, ideò silendum vsque ad maturam deliberationem; videatur Turrianus *de Cens. lib.* 9. *disp.* 61. *à num.* 5. Apud Dian. *p.* 5. *tract.* 10. & Bonac. *de Cens. disput.* 7. *à quæst.* 3.

De Heresi, etiam occulta, hic nō est sermo, quoniam sublata est ab Episcopis facultas absoluendi per bullam Cœnę, & consequenter dispensatio Irregular. incursę p illam. Neque de homicidio, siuè occulto, siuè publico, per exceptionem Triden-

dentini *sess. 23. de Ref. cap. 6.* Neque de deductis ad forum contentiosum ob eandem limitationem Concilii. quodnam autem sit delictum occultum? dixi *Potest.* 3. & dicam inferius §. *Quomodo.*

Delicta demum, ob quæ incurritur Suspensio pro malè susceptis Ordinibus, sunt sequentia. 1. Suspenduntur, qui ante legitimam ætatem præscriptam à Tridentino *sess. 23. de Ref. cap. 12.* (de qua dixi *Potest.* 3.) ordinantur; cuius suspensionis relaxatio spectat ad Episcopum: Nec obstat Bulla Sixti V. *Contra malè promotos*, quia reducta ad terminos iuris communis à *Clem. VIII.* 2. Ordinati scienter per saltum, & hi vi Tridentini *sess. 23. cap. 14.* dispensantur. 3. Recipientes Ordines ante tempora à Iure statuta, absque Priuilegio, hæcque non censetur reseruata. 4. Recipientes plures S. Ordines eodem die, vel non seruatis temporum interstitiis. 5. Suscipientes ordines Symoniacè, vel Censuratu. 6. Coniugati suscipientes ordines Sacros. 7. Ordinati absque Titulo. 8. Si Ordines susceperunt ab Episcopo, qui dignitati renunciauit. 9. Vel ab Episcopo excommunicato, interdicto, symoniaco, hæretico, vel scismatico. 10. Si ab alio Episcopo sine debita licentia proprii Episcopi. 11. Vel à proprio in aliena Diœcesi, ordinante absque facultate Episcopi. 12. Vel exercentes ordines contra iuris dispositionem in loco interdicto; aut facientes in illo celebrare, & alia, apud Bonac. *de Censuris Bull. Cœnæ disp. 3. qu. 2. per totum.*

Demum nota, quædam esse alia delicta, ob quæ imposita est pœna Suspensionis tantum, alia verò vnà cum Irregularitate. Nec dubito in assignatis, fluctus opinionum inesse, meum tamen fuit probabiliores seligere, minusque probabiles relinquere.

Quomodò autem dignosci possit faciliùs delictum occultum, abundè dixi *Potest.* 3. *num.* 8. §. *Reliquum*, & *Potest.* 18, *num.* 3. estque communior opinio apud Dian. *ibi citat. loco.* Quibus verò non placuit citata DD. explicatio, placebit audire doctrinam Fagnani, *in P. part. 3. decretal. in cap. Vestra de Cohabit. Cleric. & Mulier.* vbi occultum, pro illo, ad mentem Concilii sonat pro simpliciter occulto hoc est, quod probari non potest; ita refert Bellut. *in Opuscul. Moral. Opusc.* 14. *num.* 15. vbi sic, si vnus testis esset de Visu, & alius de Auditu, tunc delictum diceretur simpliciter occultum, quia improbabile; quod dum ventilatur in foro fori nequit absolui, donec finito iudicio daretur absolutoria libera, & ex innocentia. hæc ex Fagnano Bell. *dicto loco.*

De Episcopo dispensante interstitia cum ordinandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare interstitia cum ordinandis.*

2 *Sed quid de Causis motiuis dispensandi?*

3 *Sed quid de Regularibus?*

4 *Sed quid de ordinandis alterius Diœcesis?*

5 *Sed quid de ordinante, & ordinato non seruatis Interstitiis?*

Po-

Potestas CXL.

1 POtest Episcopus dispensare in interstitia cum Ordinandis; de hac Potestate incidenter actum fuit *Potest.* 83. 90. & 91. hic verò ferìò, cuius robur desumptum est à Tridentino *sess.* 23. *de Ref. cap.* 11. 13. & 14. pro qua, tria considero. Potestatem dispensatiuam. Tempus, seù interuallum à iure requisitum inter ordines. & Causas, quæ sunt Ecclesiæ vtilitas, & necessitas. — De prima valdè congruum visum fuit committere Episcopis talem facultatem tamquam illis, quibus præ oculis sunt omnes Ecclesiæ necessitates, vt possint de subitò præueniri, applicando ministros idoneos, relaxando temporum interualla, moramque intermediam ad faciliùs subueniendum sponsæ suæ, quæ vndique vigilari conuenit per Pastores eius curam gerentes. Ita discurrunt DD. communiter apud Vgolin. Molfes. de Graff. & Alios, à quibus non probatur quod sit, cū tota vix eius ex antiquo, nouoque iure dependet. — De Tempore verò, seù interuallo à iure requisito luculenter egi *Potest. citata*, ideò replicare superfluum videtur. Addo tamen, Tempus requisitum non esse intercalare, sed Ecclesiasticum, idest de Pentecoste ad Pentecosten, iuxtà mobilitatem festorum, de 4. temporibus Cinerum, ad alia eadem quatuor tempora, cuius rigorem relaxat Episcopus ex causis iniectis, inferiusque dicendis, ad differentiam Annorum, requisitorum in Ordinando, in quo computantur Anni Solares, & non Ecclesiastici, hoc est ex 365. diebus continuatis, in quo Episcopus haud dispensare potest, quidquid dicat Zenardus ad 4. dies, apud Dian. *p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 50. docens: hîc in re dari paruitatem materiæ. — In dispensatione demum stat semper viritim impotentia promouendi eodem die ad duos Sacros Ordines, cum Tridentino *sess.* 23. *de Ref. cap.* 13. priuilegiis quibuslibet non obstantibus.

2 *Sed quid de causis mouentis dispensandi?*

Respond. De causa denique dispensandi, ob quam Tridenti Episcopis indulsit dispensare, est necessitas, & vtilitas Ecclesiæ, Cathedralis videlicet, seù Parochialis, quarū seruitiis sunt ascripti Ordinandi. Numquam verò merum Arbitrium Episcoporum, quibus liberum non est, sed iustis de causis dispēsare, ad videndum totam hanc Relaxationem interualli temporis esse fauorabilem Ecclesiis, quibus prouida se ostendit S. Synodus, cupiens statim subuenire necessitati, & prouidère vtilitati. Cuiusmodi causa, iudicanda, subdita est arbitrio Episcopi, qui consideratis, multitudine, vel paucitate Populorum, in Ciuitate, vel Oppido, deuotionem, & gentium concursum in Ecclesiis efformat iudicium pro numero Ministrorum, operam dans potiùs abundantiæ, quàm indigentiæ, quia Ministri non desiderari, sed abundare debent. Quapropter duæ sunt causæ à Tridentino assignatæ, disiunctiuè, *Necessitas, vel Vtilitas*; vt vel per alterutrum prouideretur Ecclesia ab Episcopo eius Sponsa.

3 *Sed quid de Regularibus?*

Respond. Episcoporum esse dispensare, cui erit conferre; attestatione, & petitione facta per Superiores Ordinandorum, ita *ex Sacra Congregatione*, apud Tamb. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 25. contrà quosdam dicentes: spectare ad Superiores Regularium, quod in praxi non te-

tenetur; conformari tamen se debent Epi attestationibus Superiorum Regularium, quorum interest iudicare necessitates, & vtilitates propriæ Ecclesiæ.

4 *Sed quid de Ordinandis alterius Diœcesis?*

Respond. Non pertinere ad Episcopum mittentem, sed collatorẽ, si in litteris id concedatur *ex Sacr. Congregat.* 9. *Aug.* 1593. & docet praxis seruari, apud Piasech. *in praxi p.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. contra Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 38. *ar.* 7. *concl.* 2. docentem spectare ad mittentem.

5 *Sed quid de Ordinante, & ordinato non seruatis Interstitijs?*

Respond. Si id bona fide factum fuerit, nil prorsus incurreretur, nec quidem veniale; si verò scienter, & præsumptuosè, estò nulla sit pœna in Sacris canonibus, poterit nihilominus Ordinans puniri, & ordinatus à suo Ordinario pœnis suspensionibus multari, tamquam delinquens in re graui contra Sacros Canones. *Ita* quamplures apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 29. *num.* 14. placuit tamen Henriq. eos excusare ab omni pæna, & culpa *in Summ. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 13. *lib.* 1.



De Episcopo dispensante cum leuiter corpore vitiatis pro conferendis ordinibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum leuiter corpore vitiatis pro conferendis ordinibus.*

2 *Sed num eorum quilibet ex recensitis inhabilis ad ordines, poterit saltem ad minores assumi absque dispensatione?*

Potestas CXLI.

1 POtest Epus dispensare cum leuitèr corpore vitiatis pro conferendis ordinibus. Ita defendunt quamplures apud Dian. *p.* 4. *to.* 2. *resol.* 73. *& p.* 2. *tract.* 6. *resol.* 61. Et quia constabit de Irregularitate proueniente ex defectu corporis, & Animæ, *in Part. post. Imp.* 43. ideò hîc de leuiter vitiatis, & absque deformitate, ad quos se extendit dispensatiua Episcopi dextera, secus si deformitas inesset; in dubiis autem, nùm deformitas sit leuis, vel grauis, iudicio Episcoporum erit: apud Mendoza, Couar. & Alios, refert Barbos. *de Episcopo Alleg.* 47. *num.* 57. Quocircà Episcopus poterit dispensare, pluribus concurrentibus 1. Quando deformitas nõ impediret ordinis executionem. 2. Si quando vitium non esset ita fœdũ, vel turpe, ex quo scandalum formidatur; quibus pẽsatis inclinabit in fauorem Ecclesiæ, cuius membra, & Ministri debent de Populo meliores seligi. Pro maiori autẽ potestatis claritate ponuntur casus in exemplum iudicati à citatis DD. dispensabiles ab Episcopo.

Primo. Omnes illi, casù mutilati in occultis membris ad ministerium minimè requisitis, putà si ex infirmitate, aliòuè pudenda exiccarentur, vel obtruncata fuissent, poterunt ordinari; dixi *Casù*. Secùs si Culpa. vel si quis se castrauerit, aut castrari fecisset *ex Cap. Si quis à Medicis, & Cap. Præterea* 55. *dist. & cap. vl. de corpore vitiatis.*

tis. DD. infrà.

Secundo. Si casù mutilati in Mẽbrorum partibus, modò illa pars non fuerit ad ministerii executionem, puta, si quis carèret digito quodam in manu sinistra (pollicibus, & indicibus exceptis, vel tribus in vna manu; quia sic deformitas magna foret) docent quamplures, quos citat Borgal. *de Irregul. tit. de Corp. Vitiatis*.

Tertio. Si casù mutilati carèrẽt digito medio, vel sex in sua manu digitos haberent, poterunt superfluum amputàre, modò vitæ periculum non imminèret, vel si pars pollicis deesset absque notabili deformitate, apud Campan. *in diuers. num.* 122. Henriq. *in Summ lib.* 14. *cap.* 8. § 3. & Bonac. *de Cens. disp.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *num.* 11.

Quarto Habentes faciem nigrã, vt Mauri, & Ethyopes qui nullo iure ordinari prohibentur, quia color est accidens, & non deturpat aspectum, secùs si fuisset deturpata vulneribus. DD. quos affert Bonac. *d. loco*.

Quinto. Habentes maculam in oculo, absque deformitate possent ordinari, apud Seraph. *decis.* 625. *à num.* 3. Secus si in totum inhabilem, deformem, vel lippum haberent, apud Campanil. & Henriq. *d. loco*. Si quis autem carèret visiua potentia in sinistro oculo, vt tota polleret in dextro, & sine deformitate, atq; conuersione faciei possit Canonem legere; apud Nouar. in *Man. cap.* 27. *num.* 199.

Sextò. Habentes Nasũ tam paruum, vel grandem, aut tortuosum absque deformitate. Selua *de benef. p.* 3. *q.* 5. *num.* 44.

Septimò. Loquentes impeditè, modo defectus non sit tam grandis, quod perfectam locutionem impediret, apud Henriq. *in Summ. lib.* 14. *cap.* 8.

Octauo. Carentes dentibus, capillis, vel auribus, absque culpa, & deformitate, ex varijs DD. apud Barbos. *d. loco. num.* 24. & *num.* 36.

Nono. Claudi non ferentes baculum *ex Cap. Si quis in Infirmit.* 53. *dist.*

Decimo. Habentes gibbum, scabiem, Paralysiam, membrum quodam lacerum, Chiragram continuam, relinquuntur arbitrio Episcopi, cui erit formare iudicium ad dispensandum, ex regula superiùs tradita.

Tandem. Laborantes quartana non reiiciuntur ab ordinibus, sed ordinari possunt in spatio, vel interuallo febris. ita Sayr. *tom.* 5. *de Cens. disp.* 51. *cap.* 9. *num.* 4.

His, & similibus casibus poterit Episcopus vti dispositione DD. resolutione. Caueat autem corpore vitiatos ex culpa ad ordines admittere, quoniam hi pænam culpæ sentire debent, & solum, dispensabiles de mandato Papæ. Apud citatos DD. De vitiatis denique post ordines susceptos, incurrẽtibus suspensionem, alibi dicam.

2 *Sed nùm eorum quilibet ex recensitis inhabilis ad ordines poterit saltem ad minores aßumi absq; dispensatione?*

Respond. Nec ad primam Tonsuram. ex Rota apud Campanil. *d. loco cit.* adeoque pro ea adhuc precedere debet dispensatio cum causæ cognitione; nec sufficit arbitrium Confessarii, vel Prælati inferioris, quia eorum iudicium sequi, vel respuere potest Episcopus. Ita in fluctu opinionum, tenent Couar. & Alii apud Bonacinam *dicto loco*.

De



De Episcopo dispensante suspensionem cũ ordinatis per saltum, si non ministrauerint in ordine suscepto, vel prætermisso.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare suspensionem incursam cum ordinatis per saltum.*

Potestas CXLII.

1 POtest Episcopus dispensare suspensionem, quam incurrunt ordinati per saltum, modò nõ ministrauerint in ordinibus suscepto, vel prætermisso. Suntque aperta verba Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 14. estque sensus, si quis saltuatim prætermissis videlicet Minoribus Ordinibus ordines Sacros susciperet, vel omisso diaconatu, Sacrum ordinem Præsbyteratus assumeret, incurreret suspensionem, ob quam nec in suscepto, neque in prætermisso ministrare poterit, aliàs Irregularitatem incurreret; *ex Cap. vn. de Cler. promotis per saltum num.* 4. & 5. à qua non poterit dispensari, nisi à Papa, vel si fuerit occulta, & tunc vigore Tridentini *sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. ab Episcopo. Quam Irregularitatem non incurrit, qui ministrauerit in inferioribus Ordinibus; sed tantum si in suscepto, vel prætermisso; vt aduertunt Mayol. Sayr. Homob. & Bonac. *de suspens. in particulari disp.* 3. *q.* 1. *p.* 2. *num.* 12. Quod atque procedere ne dum inter maiores, verùm in Minores ordines, decisum referunt, Campan. & Ricc. *p.* 4. *decis.* 104. apud Barbos. *Alleg.* 47. *num.* 8. & in eo casu dispensatio Episcopalis in hoc suffragatur, non vt ordinatus ascendat ad ordinem Superiorem, sed primò, vt omissum reciperet. Secũdo, vt in eo ministraret cũ suscepto. Et vltimò vt ad Superiorẽ ascenderet. Ita citati apud Bonac. *d. loco num.* 14. Itaque si ignoranter, vel scienter non ministrauerit, ab Episcopo dispensationem obtinebit; si verò ministrauerit, ad Papam recursum habere debet, vt melius dicã: *Par. post. Imp.* 76. Ratio quia Trid. absolutè loquitur; igitur quolibet ex præfatis modis casus acciderit, obseruandum erit; ita sentiunt citati DD. Nec obstat Sixtina Constitutio: *Sanctum, & salutare, Non. Ian.* 1588. quia reducta ad terminos iuris communis à Clem. 8. incipit: *Romanum Pontificem, prid. Kal. Martij*, 1595.

Nota Demum: Episcopum quamuis ante vsum ordinis cum saltuatim ordinato posse dispensare, nequaquam verò cum ordinato per saltum in eadem suspensione, quia ita Censuratus accèderet, adeoque talem innodatum ordinatum non dispensat nisi solus Pontifex, apud Bonac. *d. loco num.* 12. contra Alterium *de Censuris*.



De Episcopo dispensante cum illegitimis defectu natalium pro minoribus ordinibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum illegitimis, defectu natalium pro Ordinibus Minoribus.*

2 *Sed quinam sunt, & dicuntur illegitimi?*

3 *Sed num poterit Episcopus dispensare Irregularitatem in occulto defectu natalium.*

Potestas CXLIII.

1 POtest Episcopus dispensare cum illegitimis, defectu natalium pro Ordinibus minoribus. Sic: quia omnes non nati, ex legimo Toro ab ordine repelluntur, *ex cap. 1. 56. dist. & cap. Innotuit de Electi. cap. final. de filijs Presbyter.* & Trid. *sess. 23. de Ref. cap. 5. & 7.* Tamen quia prohibitio facta in dictis locis, diuersas habet limitationes, & ampliationes per vniuersalem intelligentiam, quam prefefert illa particula *Ab ordine*, in iuribus allatis, eam DD. aliqui, & classiores intelligunt de ordinibus minoribus, ad differentiam maiorum, pro quibus aliter est disserendum, & hanc potestatem non pauci sustinent, apud Vgolinum *de Irregularitate cap. 44.* Sayr. *de Cens. lib. 6. cap. 11.* Neutiquam tamen de maioribus, quia dispensatio est stricti iuris, & extentione caret: ideò De ea videto *P. poster. Impot. 68.* & si qui aliter cum Sanchez dicunt. Respondendum à simili, dispensationem ad beneficia simplicia, non extendi ad curata, vel si ad dignitates, non ad maiores, igitur dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad maiores, quam Glossam restrictiuam facit P. Suarez apud *DD. citatos*, Quamplurimi pariter sustinent, Capitulum S. Vac. posse super huiusmodi illegitimos dispensare.

2 *Sed quinam sunt, & dicuntur illegitimi?*

Respond. Illos esse, qui in peccato procreati fuère, quosque repellit S. Synodus Trident. *loc. cit.* quando vult: accedentes examinandos esse de *Vita*, Moribus, & Natalibus, aliàs plectendos iuxtà terminos iuris. Illegitimi multifariè dicuntur, 1. Naturales, videlicet nati de soluto, & soluta. Si verò soluta fuerit Meretrix, dicuntur Manzeri. 2. Nothi ex coniugato, & soluta, Spurii a spurcitia in vtroque iure damnata, ex Raptu, Incestu, Strupo, vel Sacrilegio. Ita *in d. Cap. 1. & fin. de filijs Presbyterorum*, qui omnes sub nomine Illegitimorum comprehenduntur, & ab Ordinibus arcentur, apud Barbos. *de Episcopo Alleg. 45. sub num. 18.*

3 *Sed num poterit Episcopus dispensare Irregularitatem in occulto defectu natalium.*

Respond. Affirmatiuè vigore Trident. *Cap. Liceat*, vbi solum excipiuntur casus notorii deducti ad forum, & homicidiarii voluntarii, ideò defectus occulti natalium cadunt sub priori indulto, extrà clausulam exceptiuam, ita tenent Aula, Coninch, Cornelo, & Alii, relati à Dian. *p. 4. tr. 2. de Irreg. resol. 64.* vbi sentit oppositum.

Nota denique Potestatem hanc extendi ad conferendas dignitates Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum, Ratio, quia ad illas nō requiritur ordo Sacer, sed sufficit prima Tonsura, vnà cum ætate 14. Ann. Multi apud Garziam *p. 2. cap. 4. num. 39.* lege Azor. *inst. moral. p. 2. lib. 7. cap. 3. q. 9.*

Digitized by Google



De Episcopo dispensante cum Illitteratis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum aliqualiter Illitteratis.*

Potestas CXLIV.

1 POtest Episcopus dispēsare cum aliqualiter Illitteratis, ad recipiēdos ordines seù gradus Ecclesiasticos. Ita varii apud Henriq. Menoch. *de Arbitr. cas.* 425. Alter. *de Cens. tom.* 1. *disp.* 16. relati à Barbos. *de Episcopo Alleg.* 46. *num.* 13. Enim verò Illitterati ascendere ad ordines arcentur tamquam Irregulares. *ex cap. Pracipimus,* & *Cap. Illitteratos* 34. *dist.* Quoniam hi Cæci appellantur *in Cap. Si quis de renunc.* Asini indiscursiuè loquentes. *in Cap. ex eq. de Elect. in* 6. Iumenta quia nesciunt, Oues, quæ feruntur, apud Gomez. Litterati autem vidētes, quę agenda sunt, discurrentes, & scientes onus impositum, quod ad viam rectam ducere conantur; Quemadmodum scientia est Magistra virtutum, sicut ignorantia errorum, quapropter ex iure antiquo, & nouissimo Trid. *sess.* 23. pro conferēdis ordinibus examen huius sufficientię, & litteraturæ requiritur ab Episcopo faciendum, Atibique pro collationibus Beneficiorum, cuius finis est conferre ordines; & beneficia, nisi idoneis, & litteratis repertis onus subire valentibus. At quia aliqui sunt non omninò illitterati, sed viam incedentes mediam gradus Ecclesiasticos quærentes, & de his agit posita Potestas. Idcircò *ex Potest.* 83. *num.* 9. & *& Potest.* 190. constabit sufficientiam requisitam, igitur declinantes ab illa dispensari poterunt ab Episcopo, modo tamen vna cum imperfectā litteratura sit spes addiscendi, & polleāt testimonio bonæ vitæ. Apud Sanchez *Opusc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. & 45. cum de iure diuino litteratura requiritur Oseæ *cap.* 4. *Quia tu Scientiam repulisti, repellam te, nè Sacerdotio fungaris mihi.* Ideò mediocres,
2 seù non omninò Illitterati sunt dispensabiles, sed ab illo Episcopo, cuius examini subiiciuntur quòad ordines. Ita citati DD. quorum sententia in praxi ponenda est pro ordinandis in Ciuitatibus, seù magnis Oppidis, vbi copia litterarum adest, cum spe addiscendi. In exiguis autem Terrulis, & Pagis, vbi solent occurrere casus, adhibenda erit maior diligentia pro ordinandis, & conferendis beneficiis ad subleuandam aliorum ruditatem.

De Episcopo dispensante in aliquali insufficientia cum Religiosis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum Religiosis saltem benè legentibus, & cantantibus, ad ordines.*

Potestas CXLV.

Po-

1 POtest Episcopus dispensare cum Regularibus in aliquali insufficientia, saltem benè legentibus, & cantantibus ad ordines. Ita Siluester, Henriq. Miranda, Peyrin. & Alii apud Portell. *dub. reg. v. ordo. num. 6.* Quorum ratio est, quia tales non ordinantur ad curam Animarum, sed ad assistendũ Choro pro Diuinis officiis, ideò à Prælatis Clerici deficientes in lingua latina, modò tamen sciant benè legere, & cantare, possunt Episcopis præsentari, quibus valdè iuuat vitæ probitas, & Religiosorum consortium; in testimonium bonitatis requisitæ à Tridentino *sess. 23.* per totum, quæ non omnia videntur militare pro Clericis Secularibus. Verùm quippè Episcopis erit accuratè vigilare circà Religiosos, ad quos Seculares pro confessionibus, consiliorumque causa confluere solent, quorum monitis, doctrinęque sæpiùs innixi regulantur, ideò nisi doctrina, & prudentia pollentes admittunt ad ordines recipiendos, ad luctam contrà copiosam ignauium turmam, propterea Canones, & Concilia clamãt examen vitæ, litteraturæ, & titulorum in ordinandis, tamquam illi, qui à faucibus lupi oues eruere tenentur.



De Episcopo dispensante cum promotis ad maiores ordines ignoranter ab Episcopo hæretico, vel excommunicato.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum promotis ad ordines maiores ignoranter ab Episcopo hæretico, vel excommunicato.*

2 *Sed quid si sciuerit suspensionem Episcopi postquam ordinem exercuerit?*

3 *Sed quando nam Episcopus dicitur excommunicatus, vel hæreticus?*

Potestas CXLVI.

1 POtest Episcopus dispensare cum promotis ad maiores ordines ignoranter ab Episcopo hæretico, vel excommunicato. Ita resoluunt Menoch. *de præsumpt. lib. 3. q. 23.* Suarez *tom. 3. disp. 31. sect. 1.* Farinacc. *in praxi criminal. p. 30. q. 90. num.* 105. Azor. Henriquez, & Alii apud Bonac. de *Cons. disp. 7. q. 3. p. 4.* Probatur, quia sic ordinatus communicaret cum suspensione, quam incurrit ordinans in vsu, & executione ordinis Episcopalis, proùt ex variis iuribus probauit Siluester *v. Irregularitas.* Nec obstat ignorantia facti in ordinato, cum hoc sit in odium, & pęnam ordinantis, igitur ex nulla culpa ordinati, quapropter cum ordinatus recipit ordines ab impotente, seù melius impedito, sequitur suspensionem ordinantis, *ex Cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renũciauit Episcopatum.* Verò si scientèr, vel ignorantèr 2 crassè ordinatus id fecerit, tunc Apostolico conspectui se præsentare tenetur, & ab illo dispensationem obtinère *ex eodem Cap.* in pænam doli commissi, vel malitiæ intermissæ.

2 *Sed quid, si sciuerit suspensionem Epi-*

Episcopi, postquam ordinem exercuerit?

Respond. Ordinatum à die notitię abstinere debere ab ordinum vsu, aliàs Irregularitatem incurreret, & impetrare ab Episcopo dispensationem, tamquam ignorans Ordinantis impedimentum, & innodationem. DD. suprà.

3 *Sed quando nam Episcopus dicitur excommunicatus, vel hæreticus?*

Respond. Post denunciationem, & Iudicis declarationem. Ratio, quia & si fuerit notorius per consequentiam iuris violati, tamen nō tenemur eos vitare ante sententiam Iudicis, vt senserunt quamplures apud Nauar. *in Cap.* 27. *num.* 35 *&* *Consil.* 10. *num.* 2. & Barbol. *de Episcopo Alleg.* 48. *num.* 8.

De Episcopo dispensante cum bigamis similitudinarijs ad ordines suscipiendos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum Bigamis similitudinarijs pro ordinibus suscipiendis.*

2 *Sed quare Episcopus dispensat cum similitudinarijs, & non cum veris, & interpetratiuis?*

Potestas CXLVII.

1 POtest Episcopus dispensare cum Bigamis similitudinariis ad ordines suscipiendos, ita *ex Cap. Quia Clerici*, tenent Henriq. & Alii apud Bonac. *de Irregular. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 7. Probatio pendet ab explicatione Bigamię, quæ est Nuptiarum multiplicatio, ex qua plusquam vnam ducens vxorem, quasi bis vna caro factus, Bigamus appellatur. Bigamia alia vera, estque quando quis verè, & legitimè duplex init Matrimonium, & alia interpetratiua, hoc est ad similitudinem, & interpetrationem veræ Bigamię facta, estque quando altera Vxor fit Vidua, seù prima corrupta, aut Virgo, quam adulteram postmodum carnaliter cognouit, vel duplex Matrimonium init, quorum alterum, vel ambo irrita, siuè vxor sit viuens, siuè mortua, & dicitur interpetratiua; vel à iuris interpetratione, vel cum vera Bigamia, partim conuenit, partimque discordat. Alia denique similitudinaria, estque illa, qua quis habens votum sollemne castitatis, vel per Professionem, Religionis, vel per susceptionem Sacr. Ordinū Init Matrimonium, illudque consumat; cuiuslibet generis sit Bigamus, excluditur à Militia Clericali, *ex cap.* 1. 26. *dist.* & *cap. Maritum* 33. *dist. Cap. Præcipimus & Cap. à Multis de ætate, & qualit. ord.* primi, & secundi generis tantum dispensabiles à Papa, propter Irregolaritatem introductam de iure communi, super quod solus Papa dispensat, *ex cap.* 1. *de Bigamis*, vbi habetur: *non licère cum Bigamis dispensare*; & notauit D. Thom. *in* 4. *di* 27. *q.* 3. atq; innuit Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 17. atque decreuit: Ministros Christi Cælibes pro decore status, atque Sacram. Ordinis ornatu, indè vt ordinatus ad verum corpus, & sanguinem Agni, qui germinat Virgines, sit à turpibus, & alendis filiis alienus. Propterea Bigamos incontinen-

tinentes ab Altari repellit Ecclesia, nisi accedente licentia, & consensu Papæ, vel Episcopi, vt par est de similitudinariis. Nec refert Abraam, & quosdam alios Sacerdotes in veteri lege plures habuisse Vxores, vel in noua primitùs Ministros Christi vxoratos esse, proùt ostendit Paul. *ad Timot.* 3. quia permissiuè, ad filios procreandos. Modo autem Latinorum ritus nullam permittit vxorem, prout in Conciliis definitum est, itaque Spiritu Sancto dictante alienos à concupiscentiis Ministros esse vult in cit. Cap. Tertiam denique similitudinariam, ortam ex nullitate Matrimonij, in quā Episcopo dispensare licet in Sētentia DD. *cit.* cum dictis bigamis, vt ascendāt ad ordines Superiores, exerceātque inferiores, difficulter tamen dispensat Episcopus, si cum Vidua Bigamus duxerit, quam cum Virgine, ob controuersiam DD. apud Ioan. Machado *docum. lib.* 1. *p.* 3. *tract.* 17. *doc.* 4. *num.* 4. vt notat Barbos. *de Episcopo Alleg.* 49. *num.* 26.

2 *Sed quare Episcopus dispensat cum similitudinarijs, & non cum veris, & interpetratiuis?*

Respond. Primo procedere ex iuris dispositione *in cap. Sacerdotes de Cleric. coniugatis*, *Cap. Qui Clerici, vouentes, nuper*, *& fin. de Bigamis.* Secundo, quia in similitudinaria, Matrimonium est nullum, seù sola suspensio executionis ordinis suscepti cum inhabilitate ad vlteriores, vt notat Bonac. *de Cens. extra bull. disp.* 2. *q.* 2. *p.* 7. vbi ponit hanc censuram absoluibilem ab Episcopo, id ipsum habet *de Irregul. disp.* 7. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 15.

Aduerte tamen pro incurrenda Bigamia, Matrimonium debere esse consumatum, vt sit impedimentum ad executionem ordinis suscepti, & suscipiendi, Nec sufficere sponsalia, sed Matrimonium Ratum, vel ex causa dirimente irritum, vt aduertit Bonac. *d. loco de Irregul. à num.* 3. Neque sufficere plures fornicationes, etiam post sponsalia, & ante contractionem, quia tunc dicitur Matrimonium consumatum, quando post mutuum consensum in præsentia Parochi ambo haberent rem in vase debito ad generationem, apud Tolet. *in struct. Sacerd. lib.* 1. *cap.* 61. *&* 62.

Aduerte Secundo, Clericum in minoribus per Matrimonium consumatum non incurrere Bigamiæ similitudinariæ pænas, ob carentiam Voti, quo fit Matrimonium Spirituale cum Christo, adeoque nulla Irregularitas. Num denique Bigamus verus, vel interpetratiuus possit ab Episcopo ad ordines minores assumi, constabit ex dicendis cum DD. apud Barbos. *d. loco. P. post. Impot.* 85.

De Episcopo dispensante denunciationes ante Matrimonium.

SVMMARIVM

1 *Episcopus potest dispensare, vt omittātur denunciationes ante Matrimonium.*

2 *Sed quinam veniunt nomine Ordinarij?*

3 *Sed quid, si iusta causa intercedente omittendi denunciationes, Episcopus renuisset dispensare?*

Po-

Potestas CXLVIII.

1 Potest Episcopus dispensare, causa rationabili intercedente, vt omittātur denunciationes ante Matrimonium ita ex Trident. *sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1.* vbi postquam denunciationes Matrimoniales fieri iubet: remissiuè concludit: *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synod. relinquit.* De qua fusiùs supra *Potest.* 131. vbi pariter constabit potestatem esse ordinariam, & delegabilem, & nisi causa iusta, & rationabili media, puta ex parte contrahentium temporis requisiti, vel alio quouis; aliàs ius denunciationum tamquam antiquum, & necessarium, ad exploranda impedimenta relinqui non debet, vt certioratus de nullo impedimento securè dispenset. Aut extrà iudicialiter informatus permittere potest sponsos contrahere.

2 *Sed quinam veniunt nomine Ordinarij?*

Respond. Omnes, ordinariam, & Episcopalem dignitatem habentes, vt sunt Abbates, Episcopi Titulares; si qui haberent iurisdictionem suprà seculares. Commendatarii verò sunt in controuersia DD. inter Ledes. affirmantem, & Grac. negantem, apud Barbos. *in decis.* Apostol. *V. Denunc. Matrimon. nu.* 4. Vicarii denique Episcoporum comprehendūtur sub nomine Ordinarii, ex Gloss. *in Cap. Romana de Appellat. in 6.* vt notauit idem Barbos. *de Episcopo Alleg.* 32. *num.* 28.

3 *Sed quid, si iusta causa intercedente omittendi denunciationes Episcopus renuisset dispensare?*

Resp. Matrimonium esse validū, quia non irritatur ex defectu denunciationum, ipsę tandem faciendę ante consumationem Matrimonii, aliàs Parochus puniendus, tamquam non seruans conditiones vi Cōcilii requisitas. Apud Bonac. *de Matrim. q. 2. p. 6. num. 6. &* 10. Iniusta tamen negatio est quoque timenda, sicut à pari de Excommunicatione ex iniusta causa. Dicta procedunt de omnibus denunciationibus, quidquid sit de aliqua, quod magis accedit ad mentem Concilii. Ita Menoch. *consil.* 453. Reginal. Molin. & Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 7. num.* 4.

De Episcopo dispensante denunciationes, quando alter contrahentium esset de alterius Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in denunciationibus, quando alter contrahentium esset alterius Diœcesis.*

2 *Sed quid, si ambo contrahentes essent alterius Diœcesis?*

Potestas CXLIX.

1 Potest Episcopus dispensare denunciationes quando cōtrahentium alter esset alterius Diœcesis. Ita Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp.* 31 *num.* 7. quem sequitur Reginal. Coninch. *q. 2. p. 6. num.* 78. *Sed modo.* Cuius ratio pendet

à fundamentis nouissimæ potestatis, propter dominium, & rationem fundatam pro contractu matrimonii in suo territorio efficiendo, & propter subiectionem alterius contrahentis, & denique ratione voluntatis, & actionis Sacramentalis, in qua subditus trahit ad se non subditum, & est germanus sensus Bonac. *d. l.* restringentis dispensationem contingere Episcopo, in cuius Diœcesi celebratur matrimoniũ. Cui sententiæ adhærent citati DD. qui latiùs, prout infra.

2 *Sed quid, si ambo contrahentes essent alterius Diœcesis?*

Respond. Posse Episcopum dispensare, tùm quia à nullo iure prohibentur Alienigenas contrahere de licentia Episcopi loci, qui certior factus de nullo impedimento potest vtrumque coniungere, & per consequens in denunciationibus dispensare, fortiùs autẽ concludit Bonac. *d. loco*, quod si Episcopus potest dispensare cum altero contrahentium in aliena Diœcesi, pariter dispensabit cum alienigena contrahente in propria, ratione subiectionis. Instat quo exteri puniuntur ab illo Episcopo, in cuius territorio delinquunt.

De Episcopo dispensante ante expeditionem dispensationis Papalis super impedimenta dirimentia causa grauiurgente.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare ante expeditionem dispensationis Papalis in impedimento dirimente, ob periculum vitæ, incontinentiæ, vel famæ.*

Potestas CL.

1 POtest Episcopus dispensare super impedimentis dirimentibus, ante expeditionem Papalẽ, ob periculum vitæ, incontinentiæ, vel famæ. Est multorum, quos sequitur Sanchez *de Matrim lib. 1. disp. 40. num. 3.* & sensus est si fæmina ante Matrimonium copulata fuisset cum consanguineo viri, ob quod affinitatem cum suo viro cõtraxit, (& famæ, immò vitæ periculum, si ad viri notitiam veniret imminèret) tunc dispensat Episcopus in foro conscientiæ tantum, ea ratione ductus, quia & si impedimentum dirimens solus Papa dispensat ob dictum periculum, propter suauitatem legis reseruatiuæ Ecclesiæ, videtur in tali casu occulto, Papa dispensare, suamque authoritatem tacitè delegare Episcopo præsenti, & videnti tales irruẽntes casus, quorum neruus non cum tantò periculo trahi lex reseruatiua. Immò, & pro reseruatis Papæ, sed occultis, Episcopus est eius delegatus, vt fusiùs dixi *Potest.* 5. cum sequentibus, *&* *Potest.* 133. Immò meliùs dicam *Potest.* 153. vbi de impedimentis dirimẽtibus, cum multis apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 35. *per totum.* 2

De

De Episcopo dispensante, vt Matrimonium contrahatur ante legitimam ætatem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare, vt Matrimonium contrahatur ante legitimam ætatem, vrgentissima de causa.*

2 *Sed quid de ætate requisita ad matrimonium?*

Potestas CLI.

1 Potest Episcopus dispensare, vt Matrimonium contrahatur ante legitimam ætatem, vrgentissima de causa. Ita *Paludanus*, Henriq. Sanchez, Reginaldus, & Alii, quos notat, & sequitur Dian. P. 3. *tr.* 4. *resol.* 279. Ratio, quia estò impuberes cõtrahere ꝓhibētur ante legitimam ætatem a Sacris Canonibus præscriptam *in Cap.* 1. *de Sponsal.* tamen quando malitia suppleret ætatē, intercedente vrgētissima causa, puta ad sedandam grauissimam inimicitiam, eruenda de medio iurgia, & rumores, possidendum Principatum, vel Baronatum, pro bono pacis, &c. poterit Episcopus dispensare paulò ante ætatem, modò ætas sit sufficiens ad non aspernenda iura coniugii. Tum quia in dicto textu dispensatio non videtur reseruata Pōtifici, ex quo cum ille non reseruauerit, dicitur velle tacitè Episcopis concedere. Tum etiam ad remouēda mala maiora fit à DD. dulcis interpetratio, qđ dispensatio cū sit de genere permissorū, dicitur cadere in iure ordinario.

2 *Sed quid de ætate requisita ad Matrimonium?*

Respond. Statutum esse in *Cap. de illis, de Sponsalibus impub.* ante impubertatem Matrimonium contrahi non posse, cuiusmodi in Maribus est 14. Annorum, in fœminis 12. tunc enim adest aptitudo ad generationē, nisi malitia suppleret ætatem. Aliàs contractum esset inualidum, vel transiret in contractum sponsaliorum, atque adeò contrahentes peccarent. m. ex Villalob. *tom.* 1. *tract.* 14 *diff.* 22. *n.* 8. contra Sanchez *lib.* 1. *disp.* 17. *num.* 6. Anticipare autem ætatem per 10. dies non esse lætale, sustinet Ledesma, immò per 2. menses ait Rebell. apud Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 277. & *tr.* 5. *resol.* 16. verba tamen Rebellii videntur nimis larga, Narbò. *ibidem.*

De Episcopo dispensante in impedimentis impedientibus matrimonium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in impedimentis impedientibus Matrimonium, ex Causa.*

2 *Sed quanam sint hac impedimēta impedientia?*

Potestas CLII.

1 Potest Episcopus dispensare, iusta de causa in Impedimentis impedientibus matrimonium. Ita post Alzed. Reginal. Val. & Bonac. *de Matrim. q.* 3. *p.* 15. *n.* 3. Hen-

3, Henriq. *in Summ. lib. 11. cap. 2.* §. 2. ex antiqua, & longæua consuetudine optima legũ interpetres, ad differentiam dirimentium à solo Papa dispensabilium. Nec dicas: inferiorem non posse dispensare in lege communi. Tum quia vsus habet vim interpetrandi, & cõferendi dispensationẽ, tamquam lex gentium, & consuetudinalis: Causa tamen intercedente, quod non est propriè dispensare, sed legẽ interpetrare, eiusq; vsum exercere, ipso Papa sciente, & consentiente, seù confirmante talem vsum ab antiquo legitimè præscriptum, ex quo contrahentes cum altero cũ impedimentis, qui impediunt contrahendum absque legitima facultate sunt punibiles tamquam violatores legis communis, tamen Matrimonium tenet.

2 *Sed quænam sint hæc impedimẽta impedientia?*

Respond, cum communi esse quinque. *Votum — Interdictum — Sponsalia — Catechismus — & Crimen* — Quæ omnia dicuntur impedire Matrimonium ne contrahatur; non irritant tamen contractum, prout faciunt dirimẽtia, quorum ius est impedire contrahendum, & annullare contractum.

Pro clariori notitia intellige.

Primò. Votum vid. simplex castitatis (non autem Societatis Iesu, ob peculiarem prohibitionem) Vel non nubendi, ingredi Religionem, aut suscipiendi S. Ordines, de quo inspice *Potest. 166. & 170.*

Secundò Interdictum — vid. Tempus illud, in quo ab Ecclesia prohibentur nuptiarum solemnitates, quod est à Dominica prima Aduentus, vsque ad festum Epiphaniæ, & à feria 4. Cin. vsque ad octauam Paschæ inclusiuè. Initium autem intercalare erit à media nocte precedẽte dictam primam Dominicam, & feriam 4. vsque aliam mediam noctem sequentem ad festum Epiphaniæ, & Octauam Paschæ. Ita sentiunt Sanchez *lib. 7. disp. 7. num. 2.* Henriq. & Alii ex præcepto Trid. *sess. 24. cap. 10.* Vel intelligi potest Interdictum personale, quando videl. Episcopus prohiberet alicui ingressum Ecclesiæ, Sacra peragere, vel Matrimonium celebrare, ita apud *Bonac. de Matrim. q. 3. p. 14. num. 1.*

Tertiò Sponsalia — scilicet Promissiones cum alia persona. Ratio quia contrahens debet stare promissis, nẽpè primis spõsalibus, quapropter Sponsa non poterit contrahere cum alio, nisi priora Spõsalia fuerint soluta. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 27. num. 1.* & Alii quamplures. Quomodo autem, & quando dissoluuntur sponsalia, absque vtriusque consensu, dicam alibi.

Quartò. Catechismus — Videlicet, quãdo quis ante Baptismum, vel post tenet puerum instruendum doctrina Christiana contrahit impedimentum impediens. Si verò idem erit Patrinus Catechismi, & Baptismi contraheret Impedimentũ dirimens, vt notarunt DD quos refert Bonac. *d. l. n. 6.* Vtrum aũt hoc sublatum fuerit à Tridentino, est lucta DD. Securiùs tamen petenda erit dispensatio pro Patrino Catechismi, ab Episcopo, nisi credamus Sanchez *l. b. 7. disp. 17. n. 9.* dicenti: consuetudine introductum esse, dispensationem dumtaxat pati pro Voto, Sponsalibus, & Ecclesiæ interdicto.

Quinto. Crimen — quo sub nomine veniunt delicta grauiora, cuiusmodi sunt: homicidium vxoris, vel Presbyteri, incestus cum affine in gradu prohibito, fraudulen-

Digitized by Google

ta propriæ prolis susceptio in Sacramentis Baptismi, vel Confirmationis, Contractio cum Moniali professa, publicaque pœnitentia; apud Bonac. *d. loco à num.* 9. Verum equidem, horum aliqua sublata fuisse per diuturnitatem, docuit Coninch. *de Sacram. disp.* 30. *dub.* 3. *num.* 25. atque de incæstu cum consanguineis coniugis, cauuente; ideò consulenda consuetudo; vel meliùs Scrupulosus adeat Episcopum pro dispensatione, ex consilio Nauar. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 259. Aduertunt tandem DD. communiter, homicidium vxoris factum animo contrahendi cum alia, inducere Impedimentum dirimens, sed ab Episcopo dispensabile, docent Castrop. Coninch. & Dian. *d. loco*, vt meliùs dicam *Part. post. Impot.* 82. de Matrimonio inter duo, quorum vnus mala, & alter bona fide contraxit. Vide *Part. post. Impot.* 83. *in fine.*



De Episcopo dispensante Impedimenta dirimentia, casibus infrascriptis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Impedimenta dirimentia, vt infrà.*

2 *Sed quænam sunt hæc Impedimenta dirimentia?*

Potestas CLIII.

1 Potest Episcopus dispensare Impedimenta dirimentia Matrimonium, casibus infrascriptis. Ita Valentia, Vasquez, Ledesma, Sà, Azorius, Riccius, & Alij, quos refert, & sequitur Bonac. *de Imped. Matrim. q.* 3. *p.* 15. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 17. *num.* 4. & *lib.* 8. *disp.* 6. *nu.* 19. & Alij apud eosdem, Per quos probatur: Matrimonium bona fide contractum, vrgente magna necessitate, & periculo imminente, si fieret aditus ad Papam, non est cur non possit Episcopus dispensare, tamquam tacitus eius delegatus, cuius lex reseruatiua duritiem aufugit, & mititatem sequitur humanam, prout dixi à *Potest.* 4. *vsque ad* 18. de casibus reseruatis. Clariùs: concurrente in Matrimonio bona fide contracto vrgentissima necessitate, purà periculũ vitæ, infamiæ, vel magni scandali, maximum foret Animarum laqueum, si deregeretur per aditum ad Papam, quia præsumitur, Papam non condidisse legem in perniciem; sed fauorem, & quietem Animarum eoque magis quia in Matrimonio bona fide non præsumitur præsumptio contrahentium; cui præsũptioni nũquã fauèret S. Pontifex; cuius leges semper diriguntur contrà audentes, & præsumentes, qui omninò debent separari, absque spe dispensationis, ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 5. è contrà verò in agentibus bona fide, Ecclesia sequitur dulcẽ, mitẽque Christi primi Pontificis voluntatem. De Matrimonio contracto inter duo, quorum vnus bona, & alter mala fide contraxit. Vide *Part. post. Impot.* 83.

2 *Sed quænam sunt hæc Impedimenta dirimentia?*

Respond. Esse plura, à Pluribus diuersis sub nominibus notata; & quia communiter quatuor sub carminibus omnia exarantur, ab illis

non

non recedere visum fuit. Cuiusmodi carmina, vna cum singulorum explicatione lucidiùs videbũtur Par. poster. Impot. 82. hic autem ad firmandam positam potestatem aliqui detegunturcasus, ex quibus quænam sunt, & quomodo in praxi posita, breui calamo clariùs cõstabit.

Casus de Errore. Quis intelligit ducere in vxorem, Franciscam, sed ducit Paulam, hoc cum errore sustantiali, Matrimoniũ est inualidũ; cuiusmodi error si fuerit occultus, & maximum imminèret vitæ, vel famæ periculum inter Parentes Paulæ, impedimento detecto, in illo posset Episcopus dispensare, nisi locus esset, per litteras petendi dispensationem à Papa, vel Nuncio, absque periculo detectionis presertim si id accideret inter Magnates, in quibus maxima iurgia, si Paula relinqueretur, vel inter Pauperes, in quibus ob maximam paupertatem, magis foret clausus aditus ad Papam. Vel demum in eo casu, qđo errans consentiret accipere eam in quam errauerat; restat Matrimonium validum.

Dices: quia error est actus interior intellectus, poterit quis ad libitum dicere errasse ducendo vxorem.

Respond. Ecclesiam difficiliùs admittere tale dictum, tùm ex præuiis adhibitis denunciationibus, tùm quia antequam ducit osculatur, quam desiderat, ideò contrà visum, & tactum difficiliùs error præstitutus admittitur; nisi id factum esset per Procuratorem, & tunc necesse est Sponsum errantem in sponsalibus se retractari in contrahendo coràm Parocho, & Testibus, quod si consenserit errori Sponsalium, iam per consensum ampliùs non erit error; si verò error non fuerit tantum excogitatus, sed exterior, dicensque in contractu Sponsalium se velle ducere in vxorem Franciscam filiam primogenitam Titii, & inuenerit Paulam ductam secundo genitam, vel aliam, tunc impedimentum non est occultum, sed externum, contrà voluntatem expressam contrahentis; quare detectio fieri potest absque iniuriæ, vel infamiæ nota. Nisi contrahens non obstante sua contraria voluntate antecedenti, consenserit cum euidentia facti in actuali mysterio Sacramenti coram Parocho in Ecclesia. Itidem si cõtrahens cum errore matrimonium inualidũ voluisset eam, quam possidet non derelinquere ob magnũ scandalum oriundum, vel vitæ periculum inter parentes vtriusque contrahentis, poterit Episcopum adire pro dispensatione, iuxtà doctrinam Feliciani, Vegi, & Aliorum, & refert Barbos. de Episcopo Alleg. 35. num. 5. vbi sic: Episcopum posse dispensare in dirimente etiam, quando nondum contractum erat Matrimonium.

Casus de Conditione. Si quis duceret Seruam credens esse liberam, efficit Matrimonium inualidum, ob impedimentum conditionis dirimentis, quod si detegeretur post factum non minora minarentur Marito mala, quæ superant damno illato propter errorem cõditionis, & difficilis essent ad Papam aditus, tunc fieri potest recursus ad Episcopum. Barbos. ibid.

Casus de Voto. Solẽni scilicet Castitatis, Religionis, etiam Equitum Sancti Ioannis, non verò aliorum Ordinum Militarium, vel in susceptione Sacrorum Ordinum, quod est Impedimentum dirimens, ad differentiam voti simplicis facti ad

libi-

libitum cuiuslibet, *In* quo solemni vix accidere posset casus, si tamen acciderit, censeo nullius esse valoris matrimonium, absque expressa Papæ dispensatione. Tùm quia non æquè poterit Episcopus in omnibus impedimentis, sed tantùm in illis, in quibus tertium non præiudicatur, & solo consensu cōtrahentium iterato, absque alio, redderetur validum matrimonium; At in casu; Vouens non posset consentire matrimonio, ob repugnantiam voti perpetui in Religione, vel Ordinum susceptione, in quorum præiudicium vouens contràheret. Itidem vouens mala fide contraxit, quia publicè, & solemniter promissionem emiserat, vel S. Ordines suscepit, ideò impedimentum esset publicum, & solum dispensabile à Papa.

Supradicta dirigere poteris (humane Lector) ad omnia impedimenta, quæ de sui natura non sunt æqualia. Quando tādem casus accidisset in affinitate contracta per cognationem Spiritualem, vbi nulla iniuria tertii, vel in consanguinitate, de qua dixi *Potest.* 150. Atque Alzedo, vt recenset Barbos. *d. l. num.* 6. Si mane parata forent omnia ad Nuptias celebrādas, & Sponsorum alter Confessario detegeret Impedimentum dirimens, & imminèret maxima infamia, si patefieret impedimētum affinitatis, vel consanguinitatis, neque alia via adesset euadendi infamiam, seù suspicionem; Tunc poterit Confessarius suadère pœnitentem dicere: se voluisse castitatem aliqque prætextu honorifico abstinère à nuptiis, intereà dispensationem, quam desiderat à Pontifice expectare; caueat tamen dicere, Castitatem ad tempus: ne audientes dicant sufficere Episcopi dispensationem. Quod si demū hac via euadi nequit, suspicione delata ad Episcopum ipse poterit dispensare. Secundum Sanchez, Henriq. & Alios apud Bonac. *d. l. p.* 15. *num.* 6. Caueat demùm Episcopus falcem in alienam messem imponere, nisi sufficientissimis rationibus DD. fuerit rectè munitus; quodque Impedimentum sit occultum, semperque permanens, aliàs reprehensibilis, tamquam Ecclesiasticæ legis violator: consule DD. cit.

De Episcopo dispensante ad petendum debitum cum Incestuosis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum Incestuosis ad petendum debitum.*
2 *De quibusdam casibus ad materiam spectantibus.*

Potestas CLIV.

1 POtest Episcopus dispensare cum Incestuosis ad petendū debitum. Ita Sà, *V. debitum num.* 13. Vega, Eman. *in Summ. cap.* 1. *cap.* 43. *num.* 2. Ledesma, & Alii apud Bonac. *de Impedimento Matrim. q.* 3 *p.* 15. *num.* 5. contra Couarr. & de Graff. Pro clariori notitia est aduertendum. Triplicē esse gradum impedimentorum. 1. Quæ solum impediunt contrahendum. 2. Quæ etiā, & derogant contractum. de quibus luculentèr actum est precedentibus potestati-

bus,

bus, & 3. Quæ superueniunt matrimonio in facto esse, quæ insurgunt ex crimine inter affines consanguineos in gradu prohibito, & spirituales cognatos, vt habent multi, quos recitat Dian. P. 3. *tr.* 4. *resol.* 140. § *Non reticeam.* Qui omnes Criminosi dicuntur amittere ius petendi debitum ab vxore, cui de Iustitia tenebantur seruare fidem vxoriam, & quia deliquerunt in re graui; ideò vltrà peccatum m. amittunt dictum ius, dispensabile quidem ab Episcopo ratione incontinentiæ, quæ imminet, immò per Confessarium regularem à Super. Monast. specialiter depatatū, vi indultorū Monach. S. Bened. Vallis. refert Lezan. *t.* 1. *V. Affin. n.* 4. & 5. in Sacr. Confess. eorūq; Eccl. tantū Quidquid ante per oracula, iā spirata vigore diplomatis Vrb. 8. incipit: *Alias* 1631. Sūm. Dian. *V. Incestus, num.* 3.

2 *De quibusdam Casibus ad materiam spectantibus.*

Fit primo, habens inordinatum concubitum cum consanguineis vxoris, vel Vxor cum illis Mariti, vsque ad gradum prohibitum. Vel Patrinus Baptismi, aut confirmationis cùm illis in gradu quo cognationem contraxit, dicitur amittere ius petendi debitum, in pænam violatæ iustitiæ; nisi nesciret affinitatem, vel cognationem, quia hæc ignorantia excusaret. Apud Nauar. *cap.* 22. *num.* 24. Sanchez, & Alios, apud Bonac. *d. loco*; *nu.* 10.

Fit secundo, quod si Alter coniugum baptizaret prolem propriam extrà casum necessitatis, vel malitiosè eam tenent in Sacramento Confirmationis, vt Patrinus fieret, tunc non esset talis; quia malitia cadit supra malignantem, essetque extrà Ecclesiæ intentum, & in pænam amitteret ius petendi debitum, ex Gloss. *Cap. Nosse desideres* 30. *q.* 1. Apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 35. *num.* 9. contra Sanchez vt notat Summ. Diana *V. Imped. Matrim. num.* 7.

Fit tertio, ad cognoscendum Crimen impedimenti affinitatis, quando copula antecedit Matrimonium, impedit contrahendum, vsque ad 4. gradum, si illa erit licita, & in linea transuersali, nam in recta in infinitū, & in illicita, vsque ad 2. gradum; si verò sequitur Matrimonium, inducit ius perdendi debitum, ab Episcopo dispensabile, vel Confessario Regulari, vt suprà innui. Nec obstat id fuisse occultum, quia ius generaliter loquitur *in Cap. Transmissa De eo, qui cognouit cōsanguineam.*

Non est tamen silentio prætereundum, quòd malitiosè quidam perpetrarunt. Habens rem cum Virgine, cuius filiam propriam in baptismate fraudulèter teneret ad se deobligandum, ne duceret eam, idest, qui re vera obligationem ducendi, in vxorem contraxit, & per spiritualem cognationem malitiosè solutionē quæsiuit. At audiat is DD. turmam dicentem, apud Dian. *d. loco*, vanum fuisse aufugium, si aliam viam pre manibus non haberet; nā Ecclesia malitiæ non fauet, sed cogitur per iuris remedia ab Episc. vel eam sibi nubere, vel dotare pro qualitate coniugii. Prout vidi quibusdam in Synodis notatam pœnam, vel pro inæqualitate personarum taxatam pecuniam, in dotem soluendam, DD. Apud Dian. P. 3. *tr.* 4. *resol.* 259. & in Summ. *V. Imped. nu.* 5.

Digitized by Google

De Episcopo dispensante votum Castitatis ad petendum debitum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare votum castitatis ad debitum petendum.*

2 *Sed quid de vouente ante matrimonium consumatum cum licentia Coniugis?*

Potestas CLV.

1 POtest Episcopus dispensare cũ vouentibus Castitatem simplicem ad petendum debitum, in casibus, vt infra. V.G. quis vouit simplex votum Castitatis ante matrimonium ratum, ex quo insurgit impedimentum petitionis debiti, ob quod peccat consumando, & contrahendo, quia ad obseruantiam voti poterat Religionem ingredi, vel ordines suscipere, etiam viuente vxore, quia tamen non obligatur ad hoc, tamquam impotens illud seruare, dispensatur ab Episcopo ad prosequendum Matrimonium. Ita multi apud Sotum, 4. *dist.* 38. *q.* 2. *ar.* 1. Sayr. *lib.* 6. *c.* 7. *n.* 6. & Alios. Vel quis vouit post ratum, sed ante consumatum, & de eo innuit Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. ei, fas erit Religionem ingredi in spatio duorum mensium, poterit ab Episcopo dispensari; apud *citatos* DD. Vel si post consumatum Alter Coniugum, absque alterius consensu vouisset castitatem, & tũc inualidũ esset votum, quia in praeiudicium coniugis, vel si fortè validum, est ab Episcopo dispensabile. Ita tenent D. Anton. *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 22. §. 2. Siluest. *v.* Matrim. *num.* 5. *vers.* 11. In his autem, & similibus casibus, mortuo coniuge, vouens non potest cum altera contrahere licitè ante voti relaxationem, quia huc vsque Episcopus non dispensauit in Castitatis voto, sed in petitione debiti ob periculum incontinentiae, ratione matrimonii rati, vel consumati, quod est diuersum à relaxatione sustantiali voti castitatis perpetuae, vt aduertit Trullench. *in Expos. Bullae Cruc. lib.* 5. §. 7. *dub.* 15.

2 *Sed quid de vouente ante Matrimonium consumatum cum licẽtia coniugis?*

Respond. Tunc Episcopum dispensare non posse, etiam ad petẽndum debitum ob disparem rationem cum dictis. Tenẽt multi apud Trullench. *d. loco, num.* 14. Placuit autem Aliis dicere; posse. Tum quia & si vnà cum consensu, semper illud votum erit simplex, & nõ reseruatum, tum etiam quia consensus non praeiudicat potestati Episcopali, nec reddit illud indispensabile, tum denique licentia ligat licentiantem per consensum praestitum, non verò dispensantem in iure suo semper liberum. Saluo meliori iudicio. Adhibeat tamen Episcopus semper causam, sine qua venire non debet ad dispensandum, DD. citati.



De Episcopo dispensante in suis Constitutionibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in suis*

in Constitutionibus.

2 *Sed quid, si firmata fuissent Pōtificia* Authoritate?

3 *Sed quid, si Constitutiones conditæ, firmata forent* Iuramento?

Potestas CLVI.

1 Potest Episcopus dispensare in suis Constitutionibus. Ita defendunt Azor. *instit. Moral lib. 5. cap. 15. quæst. 3.* Suarez *de Relig. lib. 6. cap. 15. num. 8.* Bonac. *de leg. disp. 1. q. 2. p. 1. n. 5.* & Alii apud eosdem pariter dicẽtes: Episcopum in suis legibus dispensandis non pendère à Capitulo, *ex Cap. cum Episcopus de officio Ordinarij in 6.* Ad probandam Potestatem DD. vtuntur Assiomatibus iuris, &c; 1. Res à qua nascitur in eadem, & resoluitur. 2. Episcopus tantùm habet authoritatem in suis, quantùm Summ. Pontifex in toto Orbe. 3. Prudentis est mutare consilium, quia in hoc vitæ naufragio ad ventorum variationem, Nauigii velas mutare oportet. 4. Libertas eadem est in faciendo, quam in declarando, & cassando leges, quia Potestas relaxandi æquatur potestati statuendi, quod valet etiam nulla præcedente causa, ad differentiam in aliis legibus superioribus, quando tacitè, vel expresse dispensare permittitur. Hoc dictum sit pro validitate dispensationis; Ad licitum autem vsum potestatis dispensatiuæ mouetur Episcopus sine magna vrgente causa, *ex Cap. Cum omnes de Constit.* apud Nauar. Azor. & Alios, cum quibus non excusatur à veniali, si absque graui damno, & scandalo, vel ex paruitate materiæ id faceret.

2 *Sed quid, si firmata fuissent Pōtificia Authoritate?*

Respond. Absolutè non posse, quia vi confirmationis subftant dominio confirmantis, ac proindè, constitutionis Pontificiæ nomine gaudent, ideò se habet Episcopus in illis tamquam ad ius commune, in quod nequit manus imponere, nisi vt in sequenti potestate. Ita Botta, Azor. & Sanchez, apud Farinacc. *p. 2. recen. decis. 240. num. 3.* vbi ad propositum refert. Ita S. Congr. *decidisse, 13. Febr. 1609.* In vna Montis Realis, quia nulla esset dispensatio si facta foret ab Episcopo, propter impotentiam dispensantis. Nulli tamen dubium est illas posse iuxta intercedente causa relaxare, maximo accedente consilio, & deliberatione; vt præseferunt necessitas, seù vtilitas.

3 *Sed quid, si constitutiones conditæ, firmata forent* Iuramento?

Respond. Dispensationem validam, sed peccare .m. ob violatam promissionem iure iurando firmatam, apud Sayr. *de Cens. lib. 6. c. 11.* Azor. & Bonac. *de dispensat. disp. 1. q. 1. p. 3. num. 2.*

De Episcopo dispensante in lege Canonica, & Tridentini.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in lege Canonica, & Tridentini, vt infra.*

2 *Sed quid, si Conditiones non obseruauerit?*

3 *Sed num tacita facultas colligi posset ex eo quod lex non reseruat?*

4 *Sed assignentur loca, in lege com-*

communi, & Tridentini, in quibus tacitè, vel expressè elargitur facultas Episcopis ad dispensandum?

Potestas CLVII.

1 POtest Episcopus dispensare in lege Canonica, & Tridentini, quando ex his colligitur tacita vel expressa facultas dispensandi. Estque magistra Potestas, quam tenent Vgol. Alterius. Mendoza, Rebuff. & Alii quamplures apud Barbos. *de Episcop. Alleg.* 33. *nu.* 18. & sequitur Anguin. *de legibus, lib.* 2. *controu.* 3. *à num.* 7. Probatur, tum quia nulla fit iniuria Pontifici, cum Episcopus, tamquam delegatus operatur ex sibi commissa facultate, immò meliùs ordinariam sibi ex ordinatione legis facultatem exercet, qua in ordinatione Pontifex sciens, & consētiens iudicatur.

Insurgunt quidam; Doctores non habere vim colligendi Potestatem Episcopalem à lege.

Quibus Respond. Explicationem legis esse Animam illius, pro explicanda mente Legislatoris, in cuius robur, Explicatio est in triplici differētia, *Authentica*, facta ab Authore, seù conditore legis. *Consuetudinaria* facta ab ipsa consuetudine legitimè introducta. & *Doctrinalis* ab hominibus Prudētia, & Doctrina præditis. At valet prioribus modis explicare, ergo valebit mentem Legislatoris colligere per doctos viros. Valebit quoque pro libertate legis, quæ solet pluribus verbis ad aperiendam mentem Conditoris, prout sonant verba legis, quæ quandoque sunt aperta, quandoque dubia, cōmissiua, delegatiua, &c. & ita accipienda sunt verba, *Vt possit dispensare, vt dispensetur, & similia*. quæ semper intelliguntur de Episcopo; nam Papæ non conceditur dispensare, sed ius habere dispensandi *ex cap. Proposuit de Concess. prabend. & Trid.* pluribus in locis, *sess.* 5. *cap.* 1. *de Ref.* pro Lectore S. Scripturæ, *& cap.* 2. pro Concionantibus, *sess.* 6. *de Refor. cap.* 2. Pro residentia Curatorum. *cap.* 3. pro corrigendis excessibus Regular. extrà Monasteria. *sess.* 14. *de Ref. cap.* 6 de Correp. exemptorum Clericorum. *sess.* 21. *de Ref. cap.* 3. de distributionibus non residentium. Et aliòs colligi potest expressa facultas à Tridentino cōcessa Episcopis, vt possint procedere, tamquam commissi ab illa lege.

Antiquitùs autem valebat dicere: Episcopum potuisse omnia, quę erant de iure permissorum, immò omnia, quæ de iure Diuino Summùs Pontifex in toto terrarum Orbe, nisi à S. Canon. prohibebantur, proùt refert Barbos. *d. loco, num.* 24 vbi limitauit id procedere de iure Pontificio, non verò Concilii generalis; at quidquid antea; modò securiùs dicendum: Posse in legibus Canonicis dispēsare, quādo ex his expressè, vel tacitè colligitur cōcessa facultas, quam exercère potest, vel tamquam delegatus, vel Ordinarius. Obseruare tamen tenetur tenorem verborum sic; Si *conceditur iuxtà sua Prudentia dictamen*; ea debet vti rectè, & practicè. *Si ex iusta causa sibi benè visa*; & tunc non indifferenter, sed ad differentiam cum similibus, iustisque casibus, Si *Quibusdam sub conditionibus*; non nisi illis purificatis.

2 *Sed quid, si conditiones non obseruauerit?*

Respond. Acta valere, si fuerint permissa absque decreto irritante, sed Episcopi conscientia vitiata est, quia tenetur stare conditionibus. Secùs si conditiones appositę fuerint cum clausula irritante, quod colligi potest ex verborū tenore, vt ait Bonac. *de legibus disp. 1. q. 2. p. 3. num. 12.*

Regula autem in dispensatione cuiuslibet legis, hæc est, quod si dispensatio fit à Conditore sine iusta causa, tenet actus, si verò ab Inferiore, non tenet, modo concessio requirat de necessè causam, vel adesset decretum irritans. V.G. Si reperirētur illa verba. *Aliter facta sit nulla*, & similia. Ratio prioris est, dominium illimitatum conditoris. Posterioris verò subordinatio inferioris, qui stare tenetur causis, & conditionibus. Quare impartita facultas inferioribus remissiùs operatur, quàm in superiori concedente.

3 *Sed nùm tacita facultas colligi posset ex eo quod lex non reseruat?*

Respondent quamplures apud Nauar. *in Man. cap. 27. num. 39.* Affirmatiuè. Argumento desumpto ex Gloss. *in Cap. Nuper, de sentētia excommunicationis*, vbi quādo conditor Canonis, censuræ absolutionem non reseruauit, potestatem absoluendi Episcopis concessisse videtur. Sed hoc antiquitùs; hodiè verò sic tacitam facultatem esse, quando ex communi, vel probabili DD. opinione, aut consuetudine, optima legum interpetre, constat, ita verè fuisse mentem conditoris, vt ea securè vtatur Episcopus, idque pro legis suauitate, vel benigna mente legislatoris, qui non mortem, sed conuersionem vult peccatoris.

4 *Sed assignentur loca in lege communi, & Tridentini, in quibus expressè, vel tacitè, elargitur facultas Episcopis ad dispensandum?*

Respond. 1. Expressè *in Cap. 4. Sanè de Clericis coniugatis*, vbi conceditur Episcopis posse dispensare cum illis Sacerdotibus, qui nuptias contraxerunt, post longā pænitentiam, vitamque laudabilem. — *Cap. Cum ex eo de elect. in 6.* vbi conceditur Episcopis posse dispensare cum habentibus Parochiales Ecclesias sibi subiectas, quod vsque ad septennium studendo non teneantur ad Sacerdotium promoueri, &c. — *Cap. 15. de filijs Presbiterorum in 6.* vbi indulgetur Episcopis dispensare cum illegitimis in Minoribus ordinibus, idipsum, *ex Cap. Si Clerici de Iudicijs §. de Adulteris* apud Barbos. *d. loco, cap. 21.*

Respond. 2. Tacitè colligi *ex Cap. De eo, qui cognouit; cap. Postulasti, cap. penul. de pænis*, alibique apud eundem Barbos. & obuiam venient legenti.

Respond. 3. ex Tridentino tamquam Sedis Apostolicæ delegatus est Episcopus. pluribus in locis *Sess. 5. De Ref. c. 1 de Lectoribus S. Scripturæ. & cap. 2.* Pro Prædicātibus *errores.* — *Sess. 6. de Ref. c. 2. pro deputatione Vicariorum*, Parochis non residentibus, & *cap. 3. pro corrigendis excessibus* Clericorum, & *Regul. extra claustra degentium.* — *Sess. 13. de Ref. cap. 5.* Pro sumaria cognitione gratiarum, quibus remittitur peccatum, aut pæna. — *Sess. 14. de Ref. cap. 4.* Pro corrigēdis Clericis exemptis, etiam extrà visitationem. — *Sess. 21. de Ref. cap. 3.* pro diuisione distributionum quotidianarū *cap. 4.* pro adiungendis Sacerdotibus, Parochiis ob numerositatem Populorū, sic: *cogant Rectores sibi tot*

Sa-

Sacerdotes adiungere, quot suffici-ant ad Sacr. exhibẽda, & c. C. 5. pro faciendis vnionibus perpetuis in casibus à iure permissis, & *cap.* 8. Pro visitandis Monasteriis, vbi nõ viget Regularis obseruantia. & *sess.* 22. *in decreto de Sacrificio Missæ, pro obseruandis, & vitandis in Sacrificio Missa, ibid.* C. 5. *de Ref.* Pro cognoscendis extraiudicialiter dispensationibus Apostolicis *cap.* 8. Pro exequendis piis defunctorum dispositionibus. — *sess.* 24. *de Ref. cap.* 10. Pro corrigendis subditis. *cap.* 11. prout priuilegia particularia nõ perturbant iura Episcoporum. *cap.* 14. Pro cognoscendis subrectitiis, obreptionibus possessionum beneficii, distributionum, & fructuum, vt non conuertantur in vsus non pios. — *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 5. Pro visendis Clausuris Monialium. *cap.* 8. Pro regendis Monasteriis non habentibus Ordinarios Regulares visitatores. *cap.* 11. *de Refor.* Pro Reuisione, & examine Iuris Patronatus ab Annis citrà 40. & *cap.* 54. Pro sequestru beneficiorũ Clericorũ cõcubinariorũ.

Tacitè verò sparsim per totum Concilium, vt videre percurrentibus est; quare non abs re iudicandum est, iuxtà propositam potestatem, quæ non præiudicat legi communi, propter intentionem, & rationem fundatam, quam habet Episcopus in expressa, vel tacita concessione. ideò satis.



De Episcopo dispensante Irregularitates, & suspensiones prouenientes ex occultis delictis, (homicidio voluntario excepto.)

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in Irregularitatibus, & suspensionibus prouenientibus ex occultis delictis.*

2 *Sed num possit hac potestate vti circa Absentes?*

3 *Sed quando nam dicuntur occulta irregularitas, & suspensio?*

Potestas CLVIII.

1 POtest Episcopus dispensare Irregularilates, & suspensiones prouenientes ex occultis delictis; homicidio voluntarió excepto. ex Tridentina facultate. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. apud omnes communiter, quos luculentèr recensui à *Potest.* 129. *vsque ad* 134. vbi largè ostensum fuit, hanc Potestatẽ Episcopis concessam esse in foro conscientiæ tantum, in fauorem omnium illorum ad se, vel suos delegatos accedẽtium; O mira suauisque Ecclesiæ prouidentia? quæ Peccatorẽ in reseruatione minatur, & in conuersione cum accedente ad Episcopos in occultis statim relaxat. Cũ quo stat pro foro externo reseruatio, vt publicè peccans, publicè peniteat. Cõpetit hæc potestas Episcopis etiam non consecratis, eo quia non est actus ordinis, sed iurisditionis. Alia insup est dispensatio, & alia absolutio suspensionis, & altera dispensa-

la-

Digitized by Google

satio irregularitatis, vt innui *Potest.* 85.

Hoc autem scio verum, de Episcopo sciente, & ordinante subditum innodatum dispensasse censetur, quia non est præsumendum asserere censura irretitum ordinasse. Ita Suar. Henriq. *lib.* 14 *c.* 17. §. 4. Maiol. *de Irregul. cap.* 51. *n.* 41 & Alii non pauci *Potest.* 139. citati.

2 *Sed num possit hac potestate vti circa Absentes?*

Respond. Affirmatiuè, modò tamen Absens sit subditus proprius, & Diœcesanus, per differentiam ab absolutione, quæ necessitat præsentiam, dispensatio verò non; illa in iudicio, & in foro conscientiæ; hæc verò extrà iudicialiter. Apud quàm plures, quos citat, & sequitur Suarez, *de Cens. tom.* 5. *disp.* 41. *q.* 2. — De deductis ad forum fori, & homicidio voluntario, dicam. *Par. post. Impot.* 72.

3 *Sed quando nam dicuntur occulta Irregularitas, & Suspensio?*

Respond. ex occultatione delictorum ad quæ sequuntur, quarè occulto delicto, iuxta dicta *Potest.* 139. verè formatur iudicium censurarum ad id sequentium, quocirca hac in re nil ambigendum.



De Episcopo dispensante Irregularitatem ortam ex occulto delicto, in actu publico.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Irregularitatem ortam ex occulto delicto publicè celebrantis.*

2 *Sed quid si delictum fuerit publicum in vna Ciuitate, vel loco per sententiam Iudicis, alibi verò vbi celebratur occultum?*

3 *Sed quid de celebrante scienter coram publico excommunicato?*

Potestas CLIX.

1 POtest Episcopus dispensare Irregularitatem ortam ex occulto delicto publicè celebrantis. Ita deducitur ex Tridentino *sess.* 25. *de Ref. cap.* 6. à quampluribus, per quos ita formatur casus: Sacerdos censuratus ob aliquod delictum, à quo debitam absolutionem non obtinuit in foro conscientiæ. Sacrum publicè fecit, & irregularitatem incurrit ob violationem occultæ censuræ. vbi habentur duo, & publica celebratio, & occulta incursio irregularitatis, quo casu potest Episcopus dispensare vi Trident. Ratio quia incursio sequitur delictum occultum, & nõ publicam celebrationem, neque publica hæc celebratio manifestat violationem Censuræ. Neque est qua contrahitur alia censura, sed in qua incurritur *Irregularitas*, quę sequitur occultum delictum; ideò Episcopus vti licitè potest, fauore Tridentino *d. Cap. Liceat*, DD. infrà.

2 *Sed quid, si delictum fuerit publicum in vna Ciuitate, vel loco per Iudicis sententiam, & alibi, vbi celebratur, occultum?*

Respond. In casu posse Reum petere, & obtinere dispensationẽ ab Episcopo loci, modò non fit data opera. Ita defendunt Auila, Sanchez, Facundez, apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 39. *num.* 27. cõtra

trà Suarez, & Sanctarellum. Probatur. Tum quia alibi adest ratio formalis constitutiua facultatis Trident. *in Cap. Liceat*. Nempè occultatio delicti, contrà deductionem ad forum; quod constare debet apud absoluentem, modò non sit periculum diffamationis, quæ doctrina præcipuè admittitur in locis distantibus. Meliùs autem sic: ideò requiritur pænitentia publica ad satisfaciendum Iustitiæ publicæ pro publico offenso; at in casu alibi habetur occultum delictum: ergo nulla debetur publica pænitentia, adeoque recurrit Episcopalis potestas Trid.

3 *Sed quid de celebrante scienter, coram publico excommunicato?* Respond. 1. Incurrere p. m. 2. excomm. minorem 3. interdictum personale, & quia in eo celebrat, Irregularitatem; apud Bonac. *de Cens. disp. 2. q. 2. p. 3. §. 1. num. 10.* dispensari tamen potest ab Episcopo. Multi apud Dian. *P. 4. tr. 4. resol. 97.* de Communicatione cum excommunicato. Vide *Par. post. Impot. 114.*



De Episcopo dispensante Irregularitatem ortam ex homicidio casuali.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Irregularitatem ortam ex homicidio casuali.*

2 *Sed quid de Irregularitate orta ex delicto hæresis.*

Potestas CLX.

1 POtest Episcopus dispensare Irregularitatem ortam ex homicidio casuali. Ita defendunt Mirand. *in Man. tom. 2. q. 8. ar. 13. concl. 2.* Alzedo *de beneficijs, p. 7. cap. 11. num. 17.* & Alij *in Cap. Si furiosus in Clem. de homicidio voluntario, & casuali*. Probatur: homicidium casuale, seù inculpabile, aut culpabile ira repentina, vel furore commissum, non est de illo genere homicidii voluntarii excepti in Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 6.* ergo cadit in permissione facta in eodem cap. Episcopis indulta; antecedens probatur in casu repentino deficit matura deliberatio, & voluntarium illud de quo in dicto capite; quapropter Confessarii potiùs iræ, quàm homicidii peccatum iudicare solent, vt aduertit Auila *de Cens. p. 7. disp. 6. sect. 2.* Immò addit Nauar. *consil. 45.* etiam si illud fuerit publicum, quod est valdè notandum, vt contrà distinguitur à voluntario homicidio. Enim verò in dicto Cap. *Voluntarium*, sonat pro eo, quod est in se volitum, & per se intentum, contra quintum Decalogi præceptum. Ita Nauar. *d. cap. num. 249. ex D. Aug.* ex quo 1. excluditur homicidium licitum, factum Authoritate publica, & legitima, de quo dixi *Potest. 164.* — 2. factum ob moderamen inculpatæ tutelæ, occidendo aggressorem, quando aliter euadi non potest; ex *Clem. ibid.* — 3. Casuale, quando præter intentionem, nolens, seù non intendens illud occidere, apud Bonac. *de Cens. disp. 7. q. 4. p. 1. num. 7.* — 4. Si mandans verberare, & ille occiderit, cum mandante dispensat Episco-

copus; non verò cum mandatario. Bonac. *ibid. num.* 8. — Meliorem habet doctrinam Dian. in confirmationem dictæ Potestatis cum Turriano, considerante triplicem voluntatem in homine, prima expressa occidendi, secunda tantum vulnerandi, & tertia vulnerandi: nulla premissa cogitatione occidendi, solum tamen factum prima voluntate, est in dicto cap. Trid. exceptum, patrata verò secunda, & tertia voluntate, estò dici possint voluntaria, vt contra distinguitur à casuali, vbi nulla intentio occisionis, quod est extrà pretensam voluntarietatem exceptam *in dicto Cap.* cui doctrinæ subscribit Propos. 3. *p. q.* 5. *de Irregular. dub.* 10. *n.* 74.

2 *Sed quid de Irregularitate orta ex delicto hæresis?*

Respond. In rixa DD. non vereor asserere: Episcopum posse dispensare in dicta Irregularitate cũ Dian. *p.* 7. *tr.* 2. *resol.* 9. *&* clariùs *vide in Summ. v. Episcopi iurisdictio in Irregularitate num.* 20. Ratio quia, & si in bulla Cœnæ reuocatur facultas absoluendi ab hæresi occulta; non ideò illa dispensandi, quæ cum sit iuris diuersi, vna cum Vgol. ibi citato concedit tantum in foro conscientiæ, & infrà Diæcesim, quia absolutè, & circà subditos suæ Diæcesis poterit exerceri. Ita Sanch. *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 18. *&* *cap.* 11. *num.* 17.

De Episcopo dispensante Irregularitatem ortam ex occulto delicto mutilationis membrorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Irregularitatem ortam ex occulto delicto mutilationis membrorum.*

2 *Sed quid nomine membrorum?*

3 *Sed quid de mandante mutilationem fieri?*

Potestas CLXI.

1 POtest Episcopus dispensare Irregularitatem ortam ex occulto delicto mutilationis membrorum, fauore desumpto ex Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. vt notarunt DD. apud Dian. *P.* 4. *tract.* 2. *res.* 21. Sà, *in Aphoris. V. Irregular.* Auila, *de Cens.* P. 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 4. Bonac. *de Cens. disp.* 7. *q. vl. num.* 11. & Alii contra Sanch. & Franciscum de Leone. Probatur; tum quia concessio Tridentini non excipit mutilationem, etiam grauissimam, sed tantum homicidium directè oppositum viuenti. Tum etiam quia Irregularitas hęc, quæ contrahitur *in Cap.* 15. *qui de homicidio in* 6. etiã inreseruata remansit ex nouo iure Trident. ideò subsiat Episcopi Potestati, & facultati absolutiue, & dispensatiue.

2 *Sed quid sub nomine membrorum?*

Respond. Patet ex dictis *Potest.* 141. quibus addo cum Bonac. *d. loco, p.* 8. *num.* 4. §. *Addo*, incurrere Irregularitatem, qui culpa sibi proprium membrum absciderit, quia non minus peccat mutilando se ipsum, quàm Alium, etiam si membrum fuisset debilitatum, vel aridum. 2. Si quis amouèret partem manus, ita quod parum remanèret, sic, quia pars principalis non est membrum membri, sed principalis pars membri. Ita Suarez

rez *disp.* 44 *sect.* 2. *num.* 8. — Secùs si membrũ debilitauerit. Auila, P. 7. *disp.* 5. *sect.* 1. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 3. Neque si redderet hominem cæcum, vel claudum, absque mutilatione. — Nec si digitum absciderit, quia illud non est membrum, sed illius pars. Nec si mutilauerit membrum cadaueris. Suarez apud Bonac. *ibid. num.* 10.

3 *Sed quid de mandante mutilationem fieri?*

Respond. Incurrere Irregularitatem, tàm si expressè, quàm tacitè mandaret, quoniam suo mandato, semper est Causa efficax talis damni. Ita colligitur *ex d. cap.* 15. *qui*, Itaque dicens seruo, domum non redire, nisi quid noui inferat Petro, vel mandaret verberare, expressè prohibendo mutilationem, & mandatarius mutilaret, quia dedit causam periculosam effectui sequuto. Ita Bonac. *d. loco.* Aliàs autem est dicendum; si mandans mutilare, mutilatione non sequuta, vel reuocauerit mandatum, estò mandatarius non seruauerit reuocationem, vel mandans daret operam rei licitæ, puta quãdo Magister, vel dominus, aut Pater, mandarent corrigere, & mãdatarius mutilaret: tunc mandans non incurreret, quia Irregularitas contrahitur per opus illicitum. Ita notant Auila, *d. loco sect.* 2. *dub.* 3. Maiol. *de Irregul. lib.* 5. *cap.* 48. & Sayr. *de Cens. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 8.



De Episcopo dispensante Irregularitatem in eo, qui ictum dedit sola intentione mutilandi, ex quo casualitèr secuta fuit mors.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Irregularitatem contractam ab illo, qui ictum dedit cum intentione mutilandi, ex quo casualitèr accidit mors.*

2 *Sed quid pro cognoscenda dicta innasoris intentione?*

Potestas CLXII.

1 POtest Episcopus dispensare Irregularitatem contractam ab illo, qui ictum dedit cum intentione mutilandi, ex quo casu accidit mors. Ita defendunt DD. apud Henriq. *in Summ. lib.* 14. C. 19. §. 3. Bonac. *de Cens. disp.* 7. *q.* 4. *p. vl. num.* 8. Molina, & Alii ab illis citati. *Probatur*, Mors casualis contraponitur voluntariæ, & licèt sit culpabilis, & in Causa, tamen non est per se, sed casu volita, & per accidens, ideò mandans percutere, cauendo occisionem, non incurrit irregularitatem ortam ex homicidio patrato à mandatario, qui excessit limites mandati, quia mors illa estò sit per se à mandatario, est tamen per accidens à mandante. Conformiter videtur decisum per S. Congregationem Concilii. *An is, qui mãdauerit aliquem verberari eo expresso ne occideret, incidit in decretum Concilij sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. & Resp. Negatiuè, Refertur à

Digitized by Google

Nicolao Garcia *de Benef.* P. 7. C. 11. *num.* 44. Quapropter exceptio in d. Cap. locum sibi vindicare videtur in Homicidio voluntario, illicito, per se intento, seù in se volito, cuiusmodi non est casualis illa mors ex ictu per accidens secuta; ita Nauar. & Eman. Rodriq. *t.* 1. *q.* 24. *ar.* 9. igitur illa Irregularitas cadit *sub C. Trid. Licet*, vt possit dispensari ab Episcopo; Idipsum affirmant DD. Citati de Mandante occidere talem, & homicidium sequeretur in personam alterius, quoniam huiusmodi homicidium esset extrà propositum, Mandantis, ideircò ab *Incursione* irregularitatis contrahendæ ex homicidio per se volito, Mandans erit immunis. Ita Ricc. *in Praxi aurea resol.* 412. & 519.

2 *Sed quid pro cognoscenda dicta Inuasoris intentione?*

Respond. Ad nobile dubium, dignosci ex natura ictus dati, quæ mensurat intentionem inuadentis, Si quis enim ictum daret in membro ex quo pendet essentialiter vita, puta in capite, gutture, vel corde, & sequeretur vel nō mors, tunc intẽtio ictus non esset mutilationis, sed occisionis, secùs si in Brachiis, Manib⁹, Pedib⁹, vel partibus exterioribus capitis, vt in aure, naso, labiis, mammillis feminarum, & si mors sequeretur, tunc non ex natura, & intentione inuadentis, sed per accidens, aut ex aliis circumstantiis. In præcisione autem talium membrorum, quomodo contrahitur Irregularitas, dixi *Potest.* 141.



De Episcopo dispensante Irregularitatem ortam ex delicto occulto homicidij patrati causa defensionis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Irregularitatem ortam ex delicto occulto Homicidij patrati causa defensionis, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ.*

2 *Sed quid de inuasore occiso ab aggresso, ob dictum moderamen, pro defensione Rerum, vel Proximi Aggressi occidentis?*

Potestas CLXIII.

1 Potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam ex delicto occulto homicidii patrati, causa defensionis, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ; ita defendunt quamplures, vt Sayr. *de Cens. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 22. Comitol. *Resp. Moral. lib.* 6. *q.* 54. de Graff. *in decis. Aureis*, P. 1. *lib.* 2. *cap.* 65. Apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 39. *num.* 54. Apud quos non est sermo de homicidio purè patrato, ob moderamen inculpatæ tutelæ, in quo nulla culpa, ideò nulla pæna, neque Irregularitatis incursio. Ex Clem. *Cap. Si furiosus De homicid.* Sed de eo, qui se defendendo excessit, transgrediendo notabiliter dictum moderamẽ, & incurrit Irregularitatem, *ex Cap. Significasti, De homicid.* hinc est, quod, qui persecutorem fugientem occidit, est Irregularis propter excessum. Ita Comitolus vt supra *lib.* 4. *num.* 12. & clariùs Valerius

Re-

Digitized by Google

Reginald. *in praxi fori pænitent. lib. 30. tract. 2. num. 112.* Et quãdo quis inuasorem occidit, à quo se fugiendo tueri poterat, aut solum vulnerando, dicitur excèdere notabiliter moderamen, peccat mortaliter, & incurrit Irregularitatem, ab Episcopo tamen dispensabilem; cum supra citatis. DD. Nota tamen culpam debere esse grauem; etenim ob leuem non incurritur tam magna pœna, apud Suarez, *disp. 46. sect. 1. num. 9.* & Bonac. *de Irregul. disp. 7. p. 6. num. 3. §. Dixi.*

Probatur huiusmodi homicidium non dicitur Voluntarium per se intentum, sed per accidens, causa defensionis, ad vitandam mortem, vitamque tuendam, contradistintum à voluntario per se intento. At non inculpabiliter aliàs nulla pœna, sed culpabiliter ob carentiam recti moderaminis; stat igitur inter homicidium simpliciter, & per se volitum; quod excipitur in Tridentino. & patratum, seruato recto moderamine, quod si homic. voluntariũ simpliciter, est supremæ potentiæ reseruatum: Illud per accidens volitum, substat Potentiæ Episcopali participatæ ex Tridentino *in Cap. Liceat, sess. 24.*

Aduertendum tamen, hoc medium homicidium posse patrari ira, & odio, modo quo committitur homicidium simpliciter, vt si Inuasor irrueret in Caium, à quo ad tuendam vitam fuisset ab Aggresso occisus, in ira, & culpa; tunc ira non dicitur oriri ex culpa Caii, sed inuasoris. Quapropter, quia ira causata in Caio, excessit modum defensionis culpabiliter, & notabiliter; ideò, &c. Lege Bertand. P. 1. *conf.* 274.

2 *Sed quid de Inuasore occiso ab Aggresso, ob dictum moderamen, pro defensione rerum, vel proximi.*

Respond. cum Bonac. *d. loco,* id ipsum asseri debere, ac de occidente in immoderatam defensionem propriæ vitæ, quia Res ad illius cõseruationem spectat. Id ipsum Pro tuendo proximo, quem de Iure Diuino defendere, & amare sicut nosmetipsos tenemur, qđ si nullus fuerit excessus defensionis, nulla pariter incurreretur Irregularitas.



De Episcopo dispensante in Votis, & Iuramentis non reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare in Votis, & Iuramentis non reseruatis.*

Potestas CLXIV.

1 POtest Episcopus dispensare in Votis, & Iuramentis non reseruatis. *ex Cap. ad Aures de his, quæ vi,* vt innuit Innoc. 3. & *Cap. de Peregrinationis voto,* vbi Alexand. 3. ait: *Ab eius, qui Præsidet pendet Arbitrio.* Nota, non ait: Pontifex à nostro pendet, sed eius qui præsidet. Aliisque iuribus citatis apud Sanchez *in precept. decal. tom. 1. lib. 6. cap.* 38. Miranda in *Manual. Prælat. tom. 2. q. 32. ar. 1. concl. 1.* & Alios, Iusta tamen, & rationabili causa præcedente, aliàs irrita, & nulla esset cuiuslibet iuris relaxatio, & dispensatus malè vteretur dispensatione. Probatur Argumento desumpto à Potestate

157. *num*. 3. In his, in quibus nullà prohibitio, vel reseruatio, commissa iuris facultas Episcopis videtur, sicut Argumentum è contra valet pro Impotentia v. g. Vbi lex prohibet, & reseruat soli Pontifici, facultas Episcopis videtur interdicta, multoque meliùs idipsum poterit Episcopus, quando in eadem lege, specialem facultatem habuerit, prout in citato *Cap. De Peregrinationis*. vbi sermo est de Episcopo ex adiectis verbis, (*vt consideret diligentiùs Qualitatem personæ, & causam commutationis, scilicet, an ex Infirmitate, seù affluentia diuitiarum, an alia causa probabili.*) Vbi sermo est Episcopis directus, quibus dicitur in fine (*secundum hoc habet exindè dispensare*) quod Gloss. *in dicto cap.* confirmat; Nec dicas cum Suarez *de Relig. tract. de Iuram. lib. 6. & tract. 6. de voto, cap.* 10; *num.* 5. Textum ibi non de dispensatione, sed commutatione loqui, cum estò verum sit de interrogatione facta. tamen in fine responsionis ponitur verbum dispensatio; sic Resp. Barbos. *de Episcopo Alleg.* 36. *num.* 5. Vbi pariter respondit ad alium Textum *in Cap. Si verò*, & *Cap. Verum de Iuram.* in quo & si Soli Pontifici reseruantur Iuramenta, tamen ibi solum ostenditur Curiæ stilus ad effectum informandi inferiores Prælatos, sicque supponit illos posse absoluere. Nec requiritur Episcopum esse consecratum, sed sufficit electum, quia vi electionis, & confirmationis habet iurisdictionem, sicut vi consecrationis Potestatem ordinis. Inspice tamen Potestatem sequentem, vbi de Votis Reseruatis, extra quæ extenditur posita Potestas, de qua egit Dian. *P. 1, tract.* 11. *à resol.* 53. Lessius, Sanchez, Azor. & Alii apud Barbos. *vbi supra Alleg.* 36. De Voto autem Castitatis ad tempus, vide *Potest.* 153. sicut Pro debito petendo *Potest.* 154.

De Episcopo Dispensante Vota Reseruata quibusdam in Casibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Vota reseruata in suppositis Casibus.*

Potestas CLXV.

1 POtest Episcopus dispēsare Vota Reseruata, Casibus infrapositis. Multi apud Barbos. *de Potestate Episcopi. Alleg.* 37. Bonac. *in Precept. Decal. disp.* 4. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 40. Apud quos recensentur de Iure dicta Vota esse perpetuæ Castitatis, Obedientię, & Religionis, & triplex aditus Romã, Ierusalem, & Compostellam, quibus, Alii addunt Sanctam Domum Lauretanam, quorum dispensatio petenda erit à Romano Pontifice, vt dicam, P. *post. Impot.* 86. *num.* 2. Accedentibus autem quibusdam circumstantiis ex parte vouentium, vel votorum, præsens recurrit Potestas.

Primò. Si Votum erit de ingressu ad Religionem non approbatam, poterit Episcopus imposita salutari pænitentia dispensare. Sic, quia inanis Religio inane reddit votum. Apud Bonac. *d. loco*, *q.* 2. *p.* 7. §. 4. *num.* 12. Sanchez, *ibid. num.* 31. Idipsum si emitteret vo-

ta in Religione non approbata. Ratio, quia Ecclesia non approbante Religionem, nec approbare dicitur dicta Vota. Ita Sanchez *d. loco num.* 73.

Secundò. Si quis vouerit perseuerātiam voti in Religione approbata, tunc voto adimpleto per ingressum, asperitatem sustinere non valens, poterit dispensari ab Episcopo in Voto perseuerantiæ. Ratio quia hæc spectat ad virtutem fortitudinis, quæ est valdè diuersa à Religione, Propterea Nouitiatus tempore, expertus Religionis mortificationes, quas sufferre non valet, poterit Episcopum adire, & dispēsari in Voto perseuerantiæ; ita Trullench. *in expos. Bull. Cruciatæ, lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. §. 7.

Tertiò. Si quis vouerit Religionem arctiorem ingredi, poterit ab Episcopo dispensari pro laxiori, quod esset propriè commutare, à Papa in Materiam ipsi non reseruatam, & qua talis subsṭat Episcopo. Ratio, quia materia reseruata fuit in commutationem extinta, & eius loco alia non reseruata substitutra. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 30. Eman Rodriq. *in Summ. tom.* 2. *cap.* 96.

Quintò. Si Vouens fecisset Votum vouendi votum, ex quinque reseruatis, poterit ab Episcopo dispensari. Ratio quia Votum vouendi, non est verè votum reseruatum. Sic Suarez, *lib.* 6. *de Voto, cap.* 21. *num.* 7.

Sextò. Si Vouens vouerit adimplere Votum reseruatum in tali tempore, vel loco, poterit iusta causa accedente ab Episcopo dispensari, seu dilatare tempus prefixum. Ita apud Sanchez, *lib.* 8. *disp.* 9. *Q.* 19. Dian. P. 1. *t.* 2. *resol.* 80. quarè in hoc casu diceretur aptiùs relaxare eius circumstantiam. non verò substantiam.

Septimò. Si Votum esset pœnale, vt quando quis vouèret non lusurum, aut non peccaturum, vel quid simile, aliàs in Religione ingrederetur, vel Ierosolimam, ad sancta loca visenda peteret; tunc poterit dispensari ab Episcopo. Ratio quia talia non absolutè ex illo reseruatorum genere dicuntur, pro vt quando quis absolutè vouèret Religionem ingredi, sed in pœnam dicuntur emissa, & in adiecto volita; ideò tanquam pœnæ, ab Episcopo relaxātur. Ita quamplures apud Eman. Rodriq. Henriq. Aragon. 22. *q.* 88. contra Sotum, & Azor.

Octauò. Si quis Votum Castitatis perpetuæ vouisset, & periculum probabile esset in mora, cum impotentia morali incontinentię, essetq; clausus aditus ad Pontificem, poterit ab Episcopo dispensari. Ratio, quia dictæ rationes suadent Pontificem voluisse: Episcopum dispensationem impendere, ea ratione, qua documus pro casibus reseruatis *à Potest.* 9. apud Rodriq. *Q. Regul. t.* 1. *q.* 63. *ar.* 6. Similiter quando quis metu emisisset votum, quia metus declinat illius soliditatem.

Nonò. Si quis vouisset conditionatè. v. g. Terram Sanctam petere, si litem vinceret, vel Agrum fructificaret. Ratio quia Votum conditionatum non est à voluntate libera emissum, sed dependenter à purificante conditione, ad quod lex pœnalis reseruatiua non se extendit, adeoque iuri Episcopali subiicitur. Ita multi apud Tolet. *in Summ. lib.* 4. *cap.* 19. & Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7.

Decimò. Si Vouentes limina Apostolorum, S. Iacobum in Compostellam pergere, efficerentur senes impotentes, vel non nisi cum probabili vitæ periculo, si iter egis-

sēt

sēt, poterunt impotentes ab Episcopo relaxari, seù dispensari, Tum quia Votum sortitum fuit conditionē repugnantem. Tum quia ex regulis iuris Impotentes non tenētur seruare legem tanto cum onere, quia iugum Dei suaue, & onus leue. Idipsum apud Nauar. *Tom. 1. de Regul. num. 21. de Vouente.*

Demū Lauretanam petere est à Leone X. inter reseruata positum, vt ait Ludou. de la Crux, *in Expos. Bull. Cruc. disp. 1. cap. 6. num. 2.* de his, & similibus eadem dispositio, quia eadem ratio.



De Episcopo dispensante Votum Castitatis ad Tempus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Votum Castitatis ad Tempus emissum.*

2 *Sed quid de Voto emisso ante, vel post Matrimonium.*

Potestas CLXVI.

1 Potest Episcopus dispensare Votum Castitatis ad tempus emissum, ita apud Sotum *in 4. dist. 38. q. 2. ar. 2. concl. 1.* & Alii apud Barbos. *de Episcopo Alleg. 37. num. 15.* Sicque quando quis vouèret Votum Castitatis ad decennium; vel aliud tempus, tunc poterit securiùs, quam in aliis casibus ab Episcopo dispensari, eo quia tale votum ratione temporis determinati reseruationem aufugit cum sola perpetuitas est reseruata. Vide Emanuel Rodriq. *in Summ. tom. 4. cap. 187. num. 17.* vbi docet, id non currere de Voto facto ad 80. vel 100. Annos, quia reputatur perpetuum, at reverà non dicitur perpetuum, nisi ratione vitæ breuitatis, non autem ex mente Vouentis. Præterea dicta Potestas adhuc ad Vouentes non committendi certum libidinis genus, purà Adulterii, Incestus, & similium, se extendit. Etenim huiusmodi, nec perpetua, nec integra Vota Castitatis sunt. Ita Citati, apud Nauar. *in Manual. cap. 12 num. 76.* Graff. *in decis. Aureis, P. 1. lib. 2. cap. 51. num. 26.*

2 *Sed quid de Voto emisso ante, vel post Matrimonium?*

Respond. Patet ex dictis *Potest. 153.* vbi fusiùs, sicut de aliis impedimentis dirimentibus, & *Potest. 152.* Inspice deinde *Potest. 57.* vbi de commutatiuæ facultate.



De Episcopo dispensante Votum Castitatis aliquibus in Casibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Votum castitatis in quibusdam Casibus.*

Potestas CLXVII.

1 Potest Episcopus dispensare Votum Castitatis, in subscriptis casibus.

Primò. Quando Vouens vouèret

ret seruare corporis integritatem, fugiendo primum actum venereum, quo semel emisso, iam voti obligatio euanescit, taleque votum erit iuris Episcopalis, quia conditionatum, vel vsque ad tempus, ita apud Graff. *P*. 1. *lib*. 2. *cap*. 31. *in Aureis decisionibus* Sayr. *de Censf. cap*. 2. & Aliis.

Secundò. Quando quis vouisset Castitatem coniugalē. Ratio quia id non erit simpliciter Castitatis, sed de non aspernendo Iura Coniugii. Apud Sanchez, Santarell. & Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 30. *nu*. 6. Dian. P. 1. *tr*. 11. *resol*. 62.

Tertiò. Quando quis vouisset abstinentiam cuiuslibet peccati venerei, etiam Mollitiei, nam talis posset matrimonium contrahere, quia absolutè non vouit perpetuam castitatem, sed abstinentiam à peccatis contra Castitatem, & quia stat talis abstinentia cum coniugio. Apud Dian. *ibid. resol*. 61. Portell. *verb*. *Voti dispensatio*. Bonac. & Alios.

Quartò. Quando quis vouisset Matrimonium non contrahere, seù numquam nubere, non diceretur in rigore Votum castitatis emisisse, nec si vouens cum alia fornicabitur, illud violaret, hocque in probabilissima sententia quamplurium, apud Graff. *in Aureis decis*. P. 1. *lib*. 2. *cap*. 31. *num*. 29. & Dian. *ibid. resol*. 19.



De Episcopo dispensante quādoque Vota Peregrinationis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare Vota Peregrinationis cum vouentibus diuersum finem habentibus.*

Potestas CLXVIII.

1 POtest Episcopus dispensare cū vouentibus Peregrinationem diuersum finem, quem præseferunt dicta vota, habentibus. Vt si quis vouerèt Romam, Compostellam, vel Ierusalem petere, non ad visitanda Sacra loca nostrę Redemptionis, SS. Petri, & Pauli, & Iacobi, reliquias adorandas, quod est præcipuum intentum Votorum reseruatorum, sed ad osculandos pedes Pontificis, impetrandam ab illo aliquam absolutionem, aut dispensationem, vel visitandā aliquam Ecclesiam, Sanctamque Imaginem in prædictis locis. Tunc ratione finis principalis diuersi, Votum aufugit reseruationem, per intentionem particularem Vouentis; ita tenent quamplures apud Sanchez *lib*. 4. *cap*. 40. *à num*. 77. Diana meliorem subdit rationem, sc: in casu Votum vertitur in dubium; nec ne fuerit reseruatum? at in dubio benigna pars est eligenda, ideo pro nō reseruato habetur. *Ita* P. 4. *tr*. 13. *resol*. 39.



De Episcopo dispensante cum vouentibus suscipiendi Sacros Ordines.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum vouentibus suscipiendi Sacros Ordines.*

Potestas CLXIX.

1 POtest Episcopus dispensare cum Vouentibus suscipiendi S. Ordines. Ita apud Nauar. *consil.* 32. Filiucc. Azor. Dian. *P.* 1. *tom.* 11. *resol.* 64. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. §. 4. *num.* 17. Tum quia tale votum non est castitatis, sed Alterius, cui annexum est Votum Castitatis, de Iure Ecclesiastico; adeoque non videtur Vouens intendere, nisi Castitatem futuram, postquam videlicet, fuerit ordinatus, & dependenter ab Ordinatione, non verò presentem; Votum enim cęlibatus Apostolicę Sedi reseruatũ, illud est quod per se primò intẽditur absq; dependentia. *Ita* citati, quos multi numero sequuntur.

De Episcopo dispensante cum infamibus infamia facti, Irregularitatem indè exortam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare cum infamibus infamia facti super Irregularitatem indè exortam.*

Potestas CLXX.

1 POtest Episcopus dispensare cum infamibus infamia facti, irregularitatem indè exortam, ad ordinum, vel beneficiorum collationẽ. *Ita* apud Mirand. *Manual. Prælat. tom.* 2. *q.* 8. *ar.* 3. *concl.* 1. La Crux, *De statu Religionis*, *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 17. Alzedo, & Alii apud Nauar. *in Man. cap.* 27. & quia totum à terminorum explicatione pendet. Proptereà dicuntur infames. Primò, infamia iuris omnes illi, qui ex ipso iure Ciuili, vel Canonico sine fama declarantur, Immò infames in iure ciuili ascripti, regulariter, etiam sunt in iure Canonico, nisi expresśè excipiantur. apud de Graff. *de Effectibus Clericorum effectu* 2 *num.* 225. — Secundò infamia facti laborant hi, qui de aliquo crimine notorio, esset opinio communis. Quare Sanchez, *in Opusc. Moral. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 4. Quatuor conditiones requirit; 1. Opinio communis, 2. quod voce manifestetur à pluribus. 3. vt sit infamia apud bonos, grauesque viros. & 4. vt oriatur à suspicione probabili. Breuiùs autẽ: Infamia, est Communis opinio verbo pronunciata ex suspicione orta:

Itidem infamia iuris laborant 1. Histriones ludentes in Scenis, & Buffones, apud Tamb. *de iure Abbatiss. disp.* 26. *q.* 15. *num.* 2. — 2. Apostati à fide, etiam post reconciliationem. Apud Periera *quæst. foren. consil.* 13. — 3. Aleatores. Apud Viui. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 29. *de Religiosis.* — 4. Bigami apud Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *cent.* 5. *cas.* 420. *num.* 96. — 5. Solemniter, & publicè Pœnitentes etiam peracta pænitentia. apud Maiol. *de Irregul. lib.* 3. *cap.* 2. *sub. num.* 4. In quibus ob vtilitatem Ecclesiæ, posse Episcopum dispensare, est opinio Siluestri. *V.* Pænit. *num.* 3. — 5. Vsurarii, apud Tamb. *d. loco:*

Con-

Digitized by Google

Cōdemnati ob furtum.apud Bernardum *in Practica,q.* 32. Campan. *in diuersorio Iuris Canon. Rubrica* 11.*cap.*25. Communitèr igitur reputantur Infames: Heretici, eorumque fautores, Blasfemi; Item,qui vilem, ignominiosamque vitam agunt, vt Carnifices, Lictores, Macellarii. Tabernarii, Caupones; hisque similes. Qui omnes dicuntur, tàm iuris, quàm facti infames, & Irregulares, quos propter vitam, & officium infamat ipsa lex, illos ab ordine Ecclesiastico repellendo.

Infamia tandem facti notātur illi, qui accusati de crimine graui, puta furti,vel iniuriarum,(etiam si ciuiliter agatur)infames facto declarantur: Quo circa delicta omnia mortifera priuant post sententiam Iudicis, delinquentes fama debita, qua ornatos suos ministros requirit Ecclesia, nè viles, criminosiq; sed circumspecti, atque omnium videri prudentes sint, appareantque, cum quibus posse Episcopum dispensare diximus supra. Sicque huiusmodi criminosi,& declarati; & si à iure repelluntur, eorum tamen non est reseruata dispensatio, presertim emenda interueniente. Enim verò Infamia facti, à contrario facto emendatur, ergo emenda intercedente, malum hominum dictum curatur per bonū, sicque emendatus potest ab Episcopo dispensari, vt ordines recipiat, vel receptos exerceat. Ita Sanchez *d. loco, num.*16.*&* 26. directè declarando:Criminosum esse emendatum, vel indirectè assumēdo ad ordines, in quo Episcopus sciens tacitè dispensat. Modò quò Papa sciens quem incapacem assumit ad collationem beneficii. Subdit Villadieg. *de Irregul.* Episcopum directè dispensando in delicto, intelligi indirectè in Irregularitatem insurgentem, apud Barbos. De *Episcopo Alleg.* 42. *num.* 31. Quamplures sentiunt;infamiā deleri posse à Principe, reuera autem fama non est illi subiecta, sed hominum opinioni, tollitur enim per contrarium vsum, iuxtà Regul.Iuris, *A qua nascitur ab eadem, & resoluitur*. Rectè tandem post emendam intercedit Authoritas dispensatiua. Sub silentio tādem pretereunda non est differentia infamiæ iuris, & facti, quam assignarunt DD.quæ est: quod Prima impedit beneficia recipere, & recepta remouet. Secunda verò tantum impedit ordines, & beneficia recipere. Ita ex multis iuribus assignatis à Nicol. Garc. *De Benef.P.*7. *cap.* 8. *num.* 38. vbi pariter *num.* 37. declinat, & asserit: non procedere in dignitatibus citrà titulos beneficiales.

De Episcopo secùm dispensante, proùt cum alijs In Irregularitate, & Suspensione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare secum, sicut cum Alijs in Irregularitate, & Suspensione.*

Potestas CLXXI.

1 POtest Episcopus dispensare secum, sicut cum aliis,in Irregularitate, & Suspensione. *Ita* Maiol. *de Irregul. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 12.

12. Henriq. *in Summ. lib.* 14. *cap.* 18. Suarez, *tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. Sayr. De la crux, & Alii contrà Alterium. Probatio pendet ex dictis *Potest.* 129. 134 *&* 158. vbi liquidò de dispensationibus, ex Tridentino, *sess.* 24 *de Ref. cap.* 6. at tale indultum non debet esse pro Epo odiosũ, quia si de bonis indultis alios pascit, & ipse famè perire non debet. Clauem habet, triticum distribuit, & ipsi vetitum, nefas erit. Tandem nil duriùs: legem habere aliis dulcē, ipsi verò grauem, iugũ n. Christi omnibus est leue. Poterit igitur vti lege indulta in casu sibi occurrente, quam habet ex d. Capite Tridentini, committendo Alteri, vel suo Confessario suas vices, vt secum dispensaret.



De Episcopo disponente in vita de Ecclesiæ rebus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, etiam Monachus potest disponere de rebus Ecclesiæ in vita.*

Potestas CLXXII.

1 POtest Episcopus, etiam Monachus disponere de rebus Ecclesię in vita, vt infrà. Ita Sot. Vasq. Medina, Villalob. & Alii apud Dian. P. 3 *tr.* 2. *resol.* 50. Ratio, quia vi assumptionis ad Episcopatum verè fit Dominus redditum Ecclesiasticorum cum Potestate, & libertate commutandi in vita, vnam rem in aliam pro administrationis dominio: Quapropter de bonis patrimonialib⁹, vel eius industria acquisitus, liberè testari potest, vel distribuere, in probabiliori sententia, cum DD. *Potest.* 30. citatis, vbi fusiùs de Alienatione, & Empheutycatione. Nec obstat in Monacho paupertatis votum, vt tenet contraria sententia. Tum quia id repugnat muneri Episcopali; Tum quia per assumptionem eximitur ab eo, & æquatur aliis Episcopis. Vel meliùs; transfertur vi assumptionis in administrationem exigitam à munere Episcopali, ratione status longè perfecti ab illo, Monachorum vouentium paupertatem; Adeoque tale votum non contradicit statui, nisi in vero Dominio; re vera tamen Episcopus est Administrator Fidelis, disponens prudenter, & suauiter res Ecclesiasticas, prout munus iniunctum rectè dictat: ita Rota, apud Farinac. P. 2. *decis.* 241. *num.* 4. Procedit quoque dicta Potestas in fauorem Episcoporum Fratrum Minorum, vouentium altissimam Paupertatem, apud Bartul. *in tr. Minor. lib.* 4. *dist.* 3. *cap.* 3. Eman. *in summ. & quæst. Regul. tom.* 3. *q.* 96. *num.* 4. De Titularibus autem dicendum; semper Summo Pontifici acquirere, quia solutus ab obediētia sui Prelati, subest primò omnium Pastori. Ita Azor. & Alii apud Bonac. *de Clausura Monial. q.* 2. *p.* 5. §. 3. *diff.* 2. *nu.* 16. *in fine.* Hoc tandem pro comperto habetur: licère Episcopo rectè dispensare iuxtà necessitates, & congruentias Clericorum, & Sacerdotum, de Eleemosynis determinatis, & oblatis pro Missis fabrica Ecclesiæ, vel Imaginibus, & indeterminatis, contra Ricc. apud Barb. *de Episc. Alleg.* 80. *n.* 13.

De



De Episcopo diuidente fructus vnius Beneficij, & alteri applicante.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest diuidere fructus vnius Beneficij, & Alteri applicare.*

Potestas CLXXIII.

1 POtest Episcopus diuidere fructus vnius Beneficii, & Alteri applicare. Ita decisum reperitur apud Farinac. *P.* 12. *cap.* 3 Locter. & Alios, quos citat, & sequitur Barbos. *De Episcopo Alleg.* 66. *num.* 20. vigore Trident. *sess.* 24. *de Refor. cap.* 15. præcedente tamen consensu Rectoris, si commodè haberi possit, vel eo renuente ex iusta causa, nempè propter vtilitatem vnius Ecclesiæ, & exilitatem alterius. Aut imminente Animarum periculo, ob tenuitatem, quod est solemnitas requisita ad dismembrandum beneficium, *in d. Cap. Trid.* sic.

In Ecclesijs Cathedralibus, *& Collegiatis insignibus, vbi frequentes adeoque tenues sunt prabenda, simul cum distributionibus quotidianis, vt sustinendo decenti Canonicorum gradui, prò loci, & personarum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis, cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen* Regularia, *ijs vnire, vel si hac ratione prouideri non possit, aliquibus ex ijs suppressis, cum Patronorum consensu, si de iure patronatus Laicorum sint, quarum fructus, & prouentus reliquarum prabendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere:* Ità tamen, *vt tot superfint, qua Diuino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesia commodè valeant respondère.*

Ex quo patet fundamentum dictæ Potestatis, & licèt *in d. Cap.* sit sermo de Cathedralib⁹, & Collegiatis: est quia ibi frequentiùs; Protrahitur tamen, ad quodlibet beneficiũ, prout in Verb. supprimere: *Pot.* 260. qđ si potest supprimere, quarè non poterit diuidere? supposita solemnitate prædicta; quod si foret de Parochiali Ecclesia, vel Alia qualibet adeò pingui, quę possit sustineri absq; cultus declinatione; tunc de Rectoris, vel Patronorum consensu pinguedo illa poterit subleuare exilitatem alterius. Nec obstat Impotentia Alienationis, quia data debita solemnitate, id fieri posse constat ex dictis *V. Alienare. Potest.* 30. idemque firmauit *Sacra Congregatio in vna Mediol.* 28. *Ian.* 1596. & *Altera Salernitana* 1. *Ian.* 1611. Apud Farinac. P. 2. *recen. decis.* 348.

Vltimò aduertere libeat hic nomine Episcopi non venire Capitulum S.V. nec Vicarium Generalẽ, aut Prælatum Regularẽ, vel Secularem, quia Concilium non vtitur V. Ordinarius, sed Episcopus, quo sub nomine venit ne dũ electus, sed confirmatus. Ita Garc. *de Benef. P.* 12. *num.* 75.



De Episcopo diuidente interdictum locale.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest diuidere, seù limitare effectus localis interdicti.*
2 *Sed quid de Suspensione interdicti?*

Potestas CLXXIV.

1 Potest Episcopus diuidere, seù limitare effectus localis interdicti. Ita quamplures apud Henriq. *lib.* 13. *cap.* 2. §. 3. Ad cuius ostentionem dico: Interdictum esse Censuram Ecclesiasticam prohibentem vsum Sacramentorum, officia Diuina, & Ecclesiasticam sepulturam; ex qua definitione infertur; interdictum locale, esse locum, in quo prohibentur vsus Sacramentorum, Sepulturæ, & Diuinorum Officiorum, cuiusmodi effectus sunt. Nec Missam ibi celebrare, Eucharistiã sumere, Corpora fidelium Sepulturæ tradere, neque diuinas canere laudes, cuiusmodi effectus sunt diuisibiles, & limitabiles iuxta intentionem Episcopi limitantis, qui quandoque limitat sepulturam, aliquando Missarum Celebrationem, vel Diuinorum officiorum, vt par erit causæ præstitę, sicut equè diuidere potest effectus Suspensionis, ad differentiam Censuræ excommunicationis, cuius limitatio, seù effectuum diuisio soli Papæ reseruatur, eo quia iure communi, omnes effectus eius sunt inuicem connexi. Clariùs, de effectibus diuisibilibus localis interdicti. Vide Summ. Dian. *V. Interdictum locale, num.* 1. *vel P.* 5. *tract.* 10. *à resolut.* 60. & ipse loquat fusè de interdicto, ob culpã alicuius priuati. P. *Poster. Impot.* 134. Memineris tamen priuilegiatorum Sacramentorum Baptismi, & confirmationis, ex indulto Bonifacii 8. *in Cap. Alma Mater*, & quidam addunt Matrimonium, quæ possunt celebrari dicto tempore localis interdicti. Tandẽ de occulta celebratione, Vide P. *Prior. Potest.* 95.

2 *Sed quid de Suspensione interdicti?*

Respond. Nonnullorum sententiam Antiquorum fuisse, non posse Episcopum suspẽdere interdictum locale, certis diebus festiuis, pro Missis celebrandis, Professione facienda, Sepultura Defunctorum, & alio, vi interdicti prohibita. Apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 38 vbi per totum defendere conatur sententiam prefatam, contrà Sotum distinguẽtem interdictum à *Iure*, & ab homine, in secundo affirmantem, & primo negantem, posse Episcopũ suspendere. Modernorum tamen Sententia est cùm praxi, apud Couar. *in Cap. Alma Mater*, 2. *p.* §. 2. *num.* 4. & sequitur Miranda, *in Manual. Pralat. q.* 37. *ar.* 10. *concl.* 2. Posse interdictum diuidi, & suspendi ab eo, qui pósuit illud, & *Concl.* 4. habet ipso iure locale interdictum posse suspendi in 4. festiuitatibus, nempè Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis B. M. V. quibus diebus pulsatis campanis, apertisque Ianuis alta, & sonora voce Officia diuina possunt solemniter fieri, *ex d. Cap. Alma Mater*. Tu verò adde in festis, & octauis Corporis Christi, *per extrauag. Martini. v. & Greg. iv. & Conceptionis B. M. V.* per *Sixtum*, apud Mirand. *d. loc.* Ne-

Digitized by Google

Negantes autem propositam opinionem fortè intelligi possunt de Suspensione per appellationem interpositam, quo sensu non potest suspendi *ex Cap. Is cui, De Sent. excommunicat.* ad cuius robur est ipsa praxis omnium rerum mater, & magistra, docente ita quotidiè fieri.

E

De Episcopo educente Puellam vi in Monasterio introductam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest educere Puellam vi in Monasterio introductam.*

Potestas CLXXV.

1 POtest Episcopus educere Puellam vi in Monasterio introductam. *Ita* refert decisum Campan. *in diuersorio Iuris Canon. rubr.* 12. *cap.* 16. *num.* 12. Ratio, quia introductio in Monasterio est de iure libero, cui contradicit vis introducentium, contrà quos extat Decretum Concilii Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 18. vbi cauetur: feminam inuitam ingredi, præterquam in casibus à iure permissis, & contrà Auxiliantes, & Scientes illam spontè non ingredi, vbi notat Azor. *Instit. Moral.* P. 1. *lib.* 13. *cap.* 9. *quæst.* 2. dispositionem intelligendam de vi coactiua, & non inductiua, propter verbum *Coegerit*, & Nauar. *cons.* 56. procedere docet de inductione, etiam non vt profiteretur, sed tantùm, vt educaretur; Propterea in tutamen dicti Decreti, elargita est Episcopis authoritas declarandi pœnas cogentium, & educendi è Monasterio puellam violentatam. Id circò si quid damni, eadem causa passa fuerit, curare poterit Episcopus expensis introducentium, & castigare contrauenientes pœnis in decreto præfato; si autem Puella Monialis liberè effici velit, erit sui desiderii compos, etiam contra voluntatem Patris contradicentis, pro saluanda libertate accedentium ad Dominum, ad quē non vi, sed liber debet esse accessus, vt Deo sit placidus, & meritorius. Sub nomine denique Puellæ intelligi potest, siue Virgo, siuè Vidua illa sit, *Pro d. Cap. Trident.*



De Episcopo elargiente facultatem Sacerdotibus exteris Sacramenta ministrandi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest elargiri facultatem ministrandi Sacramenta Sacerdotibus exteris habentibus litteras Commendatitias Proprij Ordinarij.*

Po-

Potestas CLXXVI.

1 POtest Episcopus elargiri facultatem ministrandi Sacramẽta Sacerdotibus exteris habentibus litteras proprii Prælati commendatitias. Vigore Trident. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 16. Versus *Nullus*, vbi sic. *Nullus præterea Clericus peregrinus sine* Commẽdatitijs *sui Ordinarij litteris; ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur. Et sess.* 22. *in Decreto de Obser. & Vitand. in Celebratione Missæ.* Sic: *Deinde, vt Irreuerentia vitetur, singulis in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti, Missas celebrare liceat.* & docet Azor. *instit. moral. P.* 1. *lib.* 3. *cap.* 49. *quæst* 1. *& P.* 1. *lib.* 12. *cap.* 18. *quæst.* 9 Sanchez, Eman. & Alij.

Ratio, quia constita eorum promotione per litteras commendatitias, prout sancitum est de ipsa promotione ad Presbiteratum cũ litteris dimissorialibus sui Ordinarii, certioratus Episcopus vtitur posita Potestate. Notat præterea Nauar. *consil.* 1. *num.* 1. *de Celebr. Missæ*; quod si Clericus carèret dictis litteris, fidemque fecerit de sua ordinatione, posset ab Episcopo vbi moram fecerit ad celebrandum admitti. Immò Sayr. *de Celebr. Miss.* & Sanchez *in Opusc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 47. resoluunt: exterum Clericum notum non indigère dictarum litterarum. Ratio, quia constat per notorcitatem, quid quæritur per dictas litteras, re vera tamen non discederem à forma Tridentini, alias idipsum valeret de promotione ad ordines cum notis exteris, absque litteris, quod est insonum, *ex Potest.* 88. vbi latiùs. Nec obstat extraneitas, quãdo constaret nullum impedimentum obiici.

Excipiuntur tamen ab hac Regula Sacerdotes ratione beneficii ascripti in sua Diœcesi residère, puta Parochi, Animarumque curam habentes, secùs Alii beneficiarii simplices, *ex Sacra Congregatione* 28. *Maij.* 1604. Apud Aloys Ricc. *in praxi fori Eccles. decis.* 598. *& resol.* 524. Nec possunt in casu nostræ Potestatis, Episcopi reuocare præfatos Sacerdotes diuina ministrantes in Aliena Diœcesi, nisi propter beneficia ad titulum residentiæ; paritèr nec coguntur Epi loci vbi moram faciunt exteros remittere ad propriam Diœcesim, quia ex nullo iure cogitur exterus ad residendum, absque Titulo.

Dixi ad Sacramenta ministrãda, etiam cum titulo residentiæ propter ius, quod habet Episcopus pleniffimum erga dictos, nisi præueniretur à quodam iure Ciuitatis, vel Diœcesis, vt audiui de quibusdam Diœcesibus.

De Episcopo eligente Consultores.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest eligere Consultores.*

2 *Sed quodnam erit Consultorũ munus?*

Potestas CLXXVII.

Po-

1 POtest Episcopus eligere sibi Consultores. Ita monet ipsa Praxis, docentque quamplures apud Barbos. *de Episcopo*, *Allegat.* 93. *num.* 14. & patet ex dictis *Potest.* 58. admonitum Pauli; pro rebus arduis decidendis consilia Peritorum assumere debet, tum quia Episcopum indecens est pedibus festinare *ex Prouerb.* 93. Nec citò manum alteri imponere *ad Timoth.* 1. *cap.* 5. nec post factum pœnitère *Eccles.* 32. Sed Prudentem, Sobrium, positum in signum, cui contradicetur; oues de medio luporum defendendo, vigilando, laborando, & Minysterium adimplendo. At moraliter impossibile est, absque consultorũ Peritorũq; consilio, arduis, & difficilibus obeuntibus occurrere, propterea eligit sibi Consultores in vtroque iure Doctores pro dissoluendis litibus, & controuersiis, asperibus explanandis, & prauis dirigendis; idcò iubetur à Tridentino, *sess.* 25. *de Ref. cap.* 10. Iudices Synodales eligere in singulis Diœcesibus, & Conciliis Prouincialibus, iuxtà formam, & conditiones præscriptas *à Bonif.* 8. *Statutum*; idest dignitate præditos, aut personatum obtinentes, siuè Canonicos Ecclesiarum Cathedralium; ità *De rescriptis in 6. cap.* 11.

2 *Sed quodnam erit Consultorum munus?*

Respond. Causis expositis studere: ardua, & difficilia pro veritate discutere: Episcopales iurisdictiones defendere: cõmissa tamquam propria tractare, vt suo muneri rectè satisfacere dicatur. Caueat autem ad suũ Tribunal clericos, eorumque causas trahere, sententiare, vel finaliter definire, sub pœnis in Bulla Cœnæ contentis. Sed tamquam Minister ad cõsultandum electus consilium fideliter suo Iudici tradere debet, cui parerit quod Deo, veritati consentaneũ est concludere, prout dixi *Potest.* 58. De delegatione causarum criminalium, & de electione Assessoris *Potest.* 179.

De Episcopo eligente Patrinum in Sacramento Cõfirmationis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest eligere Patrinum in Sacramento Confirmationis.*

2 *Sed quotnam Patrini possunt assumi in Sacr. Confirmationis?*

3 *Sed quid de Procuratore?*

Potestas CLXXVIII.

1 POtest Episcopus eligere Patrinum in Sacramento Confirmationis, defectu designandorum; hæc Potestas procedit à iure Tridentini, *sess.* 4. *de Sacramento Confirmationis can.* 3. vbi ostenditur Minister illius Sacramenti Episcopus proprius, & non alius simplex Sacerdos, sub Anathematis pœna, contrà aliter dicẽtes: vt innui *Potest* 81. Idcircò, si iura quęcunque ostendunt designationem huiusmodi fieri debere primò à Parentibus, vel eis non designantibus à Parocho; Apud Posseuin. & Bonac. *de Sacram. disp.* 3. *q.* 4. *Kn. p.* 3. §. 2. *num.* 27. defectu tamẽ designandorum, non est cur Episcopus non possit eligere,

re pro adimplendis iuribus de Patrino requisito, & mulctanda illorum, quorum interest, negligentia, vel malitia, pro adimplenda lege communi, nam Episcopus supplet omnes defectus subditorũ. Vel meliùs; Prob. Patrinos designandos esse à Parentibus in Sacramento Baptismi, proùt iura citata proclamant; De Cõfirmatione autem nil determinatè reperitur, à quo facienda erit designatio, ideò cadit sub dextera Episcopi. Quamuis Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 57. num. 9.* dicat disposita de Baptismo recurrere adhùc pro confirmatione; verè tamen ibi apertè loquitur de cognatione indè exorta.

2 *Sed quotnam Patrini possunt assumi in Sacr. Confirmationis?*

Respond. Vnum, ad differentiam Patrinorum in Baptismate, in quo ad summum duo inesse possunt; quorum vnus masculus, & alter femina, ex iure Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 2.* huncque alium esse debere à Patrino Baptismatis aduertit Camerot. *de Sacram. cap. 7. dub. 2. versu debet*. Huiusmodi demum debet confirmãdum tenere, ad contrahendam cognationem spiritualem; & non solum tangere digitorum extremitate. Apud Henriq. *lib. 12. cap. 11. §. 3.*

3 *Sed quid de Procuratore?*

Respond. iuxtà Consuetudinẽ cognationem contrahi cum mittente, ex illo, *Qui per alium facit, per se ipsum facit*, estque decisum à Sacra Congregatione, vt refert Sà *V. Matrimonium de Imped. num. 5.* Ricc. *in Praxi resol. 630. edit. 2.* Assistens autem vni confirmando poterit aliisque pariter absque peccato assistere. Apud Genuens. *in Manual. Post. cap. 14. num. 6.* Cæterùm erunt cognati vi confirmationis Confirmans, Confirmatus, Susceptor cum Patre, & Matre confirmati, qui duo vltimi poterunt contrahere cum vxore Patrini, vel ipse Patrinus cum vxore sui compatrini. ex B. Pio. v. incipit: *Cum illius vicem* 4. *Kal. Decembris* 1566. Vide Emanuel Rodriq. Sanchez *d. loco. disp. 54. num. 1.* & Bonac. *d. loco. num. 6.* quod vltimum verè dicitur de Baptismo, vbi duo patrini.

De Episcopo eligente Assessorem Laicum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest sibi eligere Assessorem Laicum.*

Potestas CLXXIX.

1 POtest Episcopus sibi eligere Assessorem Laicum. Abbas *in Cap. decernimus, num. 28.* Cuch. *titul. de Vicario Episcopi*, de Graff. *in decis. Aureis, p. 1. lib. 4. cap. 18. num. 152.* & quia Assessor nomine tenùs differt à Consultore; ideò dicta in *Potest.* 177. de Consultore recurrunt de Assessore, qui assumptus ad assistendum cum clerico, omnes causas in vtroque foro, tàm ciuiles, quàm criminales cognoscere potest, & consultare Iudici Ecclesiastico quid iuris erit: ad decidendum. Quarè *in Concilio Lateran. sub Leon. 10.* reperio nullam Sẽtentiam

am Iudicis in altero Iurium non graduati, si quam ferret absque Assessore, seu Consultore, partibus nõ suspecto, cuius verba sunt; *Iudices, si in altero Iurium graduati non fuerint, Assessorem partibus non suspectum, ab his partibus, vel illarum altera requisiti, assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur.* Quod si Epi, vel eius Vicarii, illius forte non egissent, assumere consulerem, non ad supplendam indigetiam, sed obeunda noxia, & grauiora obuiam venientia. Addo hic: Iudicem Ecclesiasticum non teneri sequi consilium Assessoris, nisi ad Iuris dispositionem, vt dixi. *Potest.* 111. sed melius *Potest.* 215. vbi de Fisco.



De Episcopo eligente Abbatissam ex alio Monasterio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest eligere Abbatissam ex alio Monasterio, defectu personæ aptæ.*

2 *Sed quid, si in illo Monasterio essent quadragenariæ, sed non magis idoneæ?*

3 *Sed quænam conditiones requiruntur in Abbatissa eligenda?*

4 *Sed num Episcopus possit Monialem de vno ad aliud Monasterium in eadem Ciuit. transferre?*

5 *Sed an Monialis professa possit eligi sine commissaria de licentia Episcopi?*

Potestas CLXXX.

1 POtest Episcopus eligere Abbatissam ex alio eiusdem ordinis Monasterio, in casu quo ibi apta deesset. Hæc potestas desumpta à *Concilio Agathensi, cap.* 19. roborata, & dilatata est à *Trident. sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 7. Vbi de electione Abbatissæ, seu Priorissæ, pro quolibet Monasterio, in eligenda requirit saltem ætatem 40. Annorum, & 8. Religionis post professionem. Subdit propterea, *Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori videatur; ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo consentiente eligatur.* Accidit ergo casus, quando idonea his qualitatibus decorata deesset, & Translatio commoda fieri posset. Tunc alterius ex alio eiusdem Ordinis fieri posset translatio, & electio in Abbatissam, seu Priorissam pro regimine dicti Monasterii, Estque modus inuentus à Tridentino ad subueniendum Monasterio, concedens facultatem Episcopis transferendi Monialem ad aliud Monasterium, ad effectum electionis præfatæ. Incommodo tandem translationis dato, iuramento ipsius Episcopi, recurrendum est ad aliam viam, quam aperuit idem Concilium, relaxando ætatem ad 30. annos, & 5. Religionis post professionem.

2 *Sed quid, si in illo Monasterio essent quadragenariæ, sed non magis idoneæ?*

Respondendo, non esse recur-

Digitized by Google

tendum ad alterum, quia seruatis qualitatibus Tridentini, quod idoneitatis defectus equiualet translationi, tenet enim electio digne relicta digniori, meo enim videri concilium habet locum in eo casu, quo nulla esset. saluo tamen meliori iudicio intuenti alias circumstantias.

3 *Sed quenam conditiones requiruntur in Abbatissa eligenda?*

Resp. 1. Quod debet esse legitima, nam illegitima non habet concursum in electione, absque Papæ dispensatione, *ex Gloss. in Clement. Attendentes, De statu Monachorũ*, & sequuntur quamplures, contra quosdam, apud Dian. *Resol. moral. P. 3. tr. 2. resol. 101.* — 2. Debet esse Virgo, *ex cap. Iuuenculas, d. loco*, contrà quosdam apud Portell. *Dub. Regul. V. Abbas, num. 10.* Tu verò consuetudinem consule, Apud Sanchez *in Summ. tr. 2. lib. 5. cap. 2. num 23.* — 3. Eligi non potest Bigama, nec infamis, vt ait Maiol. *de Irreg. lib. . . cap. 13. n. 14.* — Vota tandem Monialium recipi debent ab Episcopo, vel Superiore, qui præest, ante fenestellam, ex Trid. *d. loco*, nisi tamen prudenter iudicaret Superior electionem non fieri Canonicam, ipso non instante, ex const. Greg. XV. incip. *Inscrutabili. nonis Feb. 1622.*

4 *Sed num Episcopus possit Monialem de vno ad aliud Monast. in eadem Ciuitate transferre?*

Responsio Affirmatiua habetur apud Lezan. *cap. 22. & 25. num. 41.* nisi iusta interiecta causa, Pro transitu adstrictiorem conuentum, ex *cap. 10. q. 4.* vbi licitus est transitus ex Gloss. *V. Virgines*; nec fuit à Trid. vel Bulla B. Pii V. derogatus, qui de egressu loquuntur, non verò de transitu, Rodriq. *tom. 3. q. Reg. q. 52. ar. 6.*

5 *An Monialis professa possit eligi pro commissaria de licentia Episcopi?*

Respondit Affirmatiuè Sanch. cum aliis apud Pellizzar. *de Monial. cap. 7. num. 37.* immò de licentia solius Abbatissæ.



De Episcopo eligente examinatores Synodales.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest eligere examinatores Synodales.*

2 *Sed quot examinatores eligere potest.*

Potestas CLXXXI.

1 Potest Episcopus eligere examinatores Synodales, facultate tradita à Tridentino *sess. 24. de Ref. cap. 18.* vbi iure optimo Examinatores instituuntur Synodales Magistri, seù Doctores, vel licentiati in Theologia, aut Iure canonico, Vel alii Clerici, seù Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut Seculares idonei, vt clariùs insinuauit Vgolin. *de Potest. Episcopi, cap. 5. §. 5. num. 1.* Quorum iudicio, & examini subduntur omnes Beneficiales curati, propterea ex prudentioribus, sobriis, litteratis, vtriusque iuris expertis, & insignibus eligere oportet, vt in concursu curatorum possint promotiones cõfirmare, vel in-

infirmare liberè; qualitatibus promouendorum inuigilare, vt Parochiales Ecclesiæ subsint Pastoribus, scientia, vita, & prudentia prçditis, Vtq; ne eorum mens sit vllo deprauata stipendio, statuit S. Synodus, *Ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Symoniæ vitium, tàm ipsi, quàm dantes incurrant*. Hodiè tandem sub Innocen. xi. regnante, prohibitum quoque est dare temporale pro spirituali, licèt non tamquam præmium; sed dumtaxat motiuum, etiam principale cōferendi, vel finis ipsius rei spiritualis, *In propositionibus reprobatis ann.* 1679. 4. *Martij. num.* 45. & 46. Ratio, quia per approbationem acquiritur Ius ad beneficium Spirituale, pro quo videtur dari illud temporale. Nec potest Episcopus statuere aliquod stipendium, etiam minimum, aut modicum, quod si secùs fecerit decretum erit irritum, quidquid de Hyspaniarum Ecclesiis refert decil. Garc. *de Benef. P. 9. cap.* 2. *num.* 374. si verò Episcopus aliquid dederit dictis examinatoribus, titulo præmii, stipendii, aut beneficii, vel sustentationis, laudabilem esse ait Bonac. *de Symonia P. 7. p. 2. diff.* 1. *num.* 7.

2 *Sed quot examinatores eligere potestì?*

Respond. Non minus quam sex. *ex d. Cap. Trid.* nec plus quā viginti, *ex Sacr. Congregatione in vna Cesaragustana* 1627. qui debent proponi ab Episcopo, vel eius Vicario, & à Synodo approbari, qua in eorum electione iurare debent ad Santa Dei Euangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros, quod Iuramentum esse de forma promotionis examinandorum, ait Nicol. Garc. *d. l. num.* 356. posséque fieri extrà Synodum in manibus Notarii. Electi itaq; durabūt, donec alii in Synodo deputati fuerint; quorum aliqui, si deciderint, alii erunt eligendi ab Episcopo de consensu Capituli; id ipsum si tempore concursus nullus examinator extiterit, noui ab Episcopo sex erunt eligendi, de consensu Capituli, sinè Synodo ex Garc. *d. loco*, & Ricc. *in Praxi edict. 2. resol.* 355. Pro examine .n. Parochorū tres esse oportet, ex Tridentino *d. loco*, cum clausula inualiditatis concursus, id ipsum si ab examinatoribus nō Synodalibus, vel Synodalibus, absque præstito iuramento, iuxtà formam Concilii, vel si ab Episcopo promoueretur absens ad Parochiale beneficium. lege Massabron. *in Praxi resol.* 14. *dub.* 1. cum Garc. apud Barbos. *de Episcopo Alleg.* 60. *num.* 48.

Delicta deniq; examinatorum puniuntur in Synodo, in quo si opus fuerit rationem reddere tenentur, & vitio comperto, ex parte beneficiatorum, symoniæ cum examinatoribus, non poterunt, nisi dimissis beneficiis absolui, & redduntur inhabiles ad alia impostèrum, ex mandato Tridentini *d. loco.* De quorum examine ad simplicia, vel curata beneficia dicā *Potest.* 188.

Pro examinandis denique Ordinandis, Confessariis, & Prædicatoribus, posse Episcopum, quos idoneos maluerit eligere examinatores extrà Synodum, afferit Gauant. *De Synodo, P.* 1. *cap.* 31.

De Episcopo eligente digniorem digno prætermisso.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest, & debet eligere digniorem digno prætermisso.*
2 *Sed ex quo quis dignior?*
3 *Sed quid de Ecclesia Parochiali sub Iure Patronatus?*

Potestas CLXXXII.

1 POtest, & debet Episcopus eligere digniorem, digno prætermisso, in beneficiis curatis. Ita apertè ex Tridentino, *sess. 24. de Reform. cap 18. versu: Peracto, & Cap. Licet 8. q. 1. versu: Præstantior*, quod docuerat D. Thom. 2. 2. *q. 63. ar. 2. ad* 3. & alii apud Dian. *p. 2. tr. 15. resol.* 38. 40. & 41. & Barbos. *de Episcopo Alleg. 60. à num. 96.* — Contradicentes autem DD. intelligendi sunt de eligendis ad beneficia non curata, Vel non audiendi tamquam dictis, apertisque iuribus insonis. Patet ratione Potestas; tum quia Prouisores non sunt Domini, sed Oecomini beneficiorum, igitur stare tenentur præscriptis iuribus; tum quia dignior maius ius habet ad exigentiam Ecclesiæ, quæ petit gubernari à melioribus. Tum quia violaretur iustitia distributiua, cum beneficia sint bona communia, & meritorum præmia. Ergo digniori dimisso committeretur peccatum exceptionis personarum, quod est de suo genere p. m. ne dum pro foro conscientiæ, sed adhuc pro foro iudiciali exteriori, Quare nouissimè Pastore Innocentio xi. regnante, sub Anathematis pœna. *In proposit. prohibitis, n. 47.* ly *Dignior* non potest sumi pro positiuo, hoc est pro digno, nec pro negatiuo, hoc est, vt excludat indignos, sed verè comparatiuè videlicet, præ cęteris digniores eligi debent vi Concilii. *ex d. C.* quarè electio digni, digniori prætermisso poterit calumniari, & nullam declarari, ex Bulla B. Pii .v. *In conferendis. 15. Kal. Aprilis* 1566. cum decreto irritante, vel tamquam subrectitia, ex verbis Tridentini *V. Subrectitia d. loco num.* 100. *in fine*. tandē si Prouisiones faciendæ sint per cōcursum, & oppositionem, digniori prætermisso, facienda erit restitutio per Prouisores, à quibus læsa fuit iustitia commutatiua, orta ex qua si contractu per fidem datam in edicti propositione. Apud Molin. *de Primogen. lib. 2. cap. 25.* Ex quo dignum porrigentem pecuniam digniori, ad desistendum ab oppositione, committere Symoniæ labem resoluunt Sotus *de Iustitia, & Iure lib. 9. ar. 1. ad 2.* & Alii apud eumdem. Tradētes autem pecuniam electoribus paratis eligere indignum, vt illum non eligant, sed digniorem, excusantur à Symonia. Ita Fernandez *In Examine Theol. Moral. p. 4. cap. 14. §. 1. num. 1.*

2 *Sed à quo quis dignior?*

Respond. Quia regula certa non est assignabilis, iuxtà variam Ecclesiæ vacantis exigentiam, ideò rectum iudicium Episcopi, qui cōsideratis necessitatibus Ecclesiæ, & personarum, erit regula formans dignum, & digniorem, rectèque rimari potest ab Examinatoribus extràiudicialiter, & Episcopo repræsentare, cui erit eligere. Itaque ex propositis, præferendus erit Sacerdos, non Sacerdo-

doti, & in paritate Seniori, apud Rodald. *consul.* 47. *num.* 75. Carens beneficio, habenti, Lambert. *P.* 3. *lib.* 2. *q.* 5. — Pauper, diuiti, Rota *decis.* 61. apud Perez de Lara. — Dispensatione non indigens, indigenti. Apud Seráfiq. *decis.* 767. *num.* 2. *p.* 1. — Item tempore supprimendi Ecclesiam sunt præferendi Diuites pauperibus, & Nobiles, Ignobilibus. Apud Fernand. *in Examin. Theolog. Moral. p.* 4. *cap.* 4. *num.* 5. — Doctores, non Doctoribus, & magis in Iure Pontificio, quàm Ciuili, apud Ricc. *P.* 4. *decis.* 135. *num.* 1. — Immò Doctinoti, doctioribus ignotis, & aptiores, minus idoneis. Apud Farinac. P. 1. *rec. decis.* 551. — Dignus in Ciuitate, dignioribus extraneis. Apud Zech. *de Benef. cap.* 12, *num.* 36. — Seniores, iuuenibus, Barbat. *Consil.* 23. *vol.* 1. *num.* 13 Senior tandem ille tenetur, ne dum ab ætate, quā à moribus, & sapientia, apud Farinacc. *d. loco.* Aliisque pensatis qualitatibus ad bonum regimen requisitis, Episcopus constituere debet fidelem, & prudentem Pastorem pro ouibus Christi.

3 *Sed quid de Ecclesia Parochiali sub iure Patronatus?*

Respond. Id ipsum fieri, vt diximus de concursu, & electione, illo solo discrimine requisito à Tridentino *d. loco.* 1. Si Iuspatronatus fuerit alicuius Ecclesiastici, præsentatio per concursum spectat ad Patronum, institutio verò ad Episcopum, qui ex approbatis per examen, digniorem eliget. Quando autem iuspatronatus erit mixtum, idest partim Ecclesiastici, partim Laici, rixant Authores, & pro vtraque parte sunt rationes. Apud Aloys. Ricc. *in Praxi decis.* 420. *num.* 278. Si denique laicorum fuerit, præsentati examini subdantur, & dignior ab Episcopo instituetur, nisi concursus fundationi repugnauerit. Garc. P. 9. *cap.* 2. *n.* 270. Demū Pro Ecclesia exiguarum, & tenuium reddituum, si nullus examini subire voluerit; poterit Episcopus publicum examen relinquere, & priuatum aliud adhibere, de cōsilio deputatorum. Sicut licet Synodo addere, vel minuere, circà examinis formam, & prouidere, vt conuenit, ex vltimis verbis Trident. *d. Cap.* 18. sic: *Licebit etiam Synodo Prouinciali, si qua in supradictis circà examinationis formam, remittendaue esse censuerit, prouidere.*

De Episcopo eligendo à Regularibus in Conseruatorem.

SVMMARIVM.

1. *Episcopus potest eligi à Regularibus in conseruatorem.*
2. *Sed num hoc Priuilegium sit pro omnibus Regularibus?*
3. *Sed quinam Superiores possint conseruatorem nominare?*
4. *Sed quid de Regularibus, qui hucvsque non curarunt eligere conseruatores?*
5. *Sed quantum durabunt litteræ Conseruatoriæ?*

Potestas CLXXXIII.

1 POtest Episcopus eligi à Regularibus in Conseruatorem. Ita

Ita ex cap. 1. & vl. de Officio Iudicis delegati in 6. Trid. sess. 54. de Ref. cap. 5. & variis Summ. Pontificum diplomatibus, quibus Prouida pia Mater Ecclesia conspicitur in subueniendis, pauperum miserabiliumque personarum, locorum, & Hospitalium, præsertim Religiosorum, necessitatibus, quorum vita Deo dicata à notoriis hominum iniuriis, aliorumque Satanæ insidiis, tueri, & defendi possint, tamquam pupilli à suo Tutore. Quo circa ex Præd. cap. non poterant eligi in tutorem, seù conseruatorem Alii, quam Episcopi, eorumque Superiores, ex conditionibus exigitis ab antiquo iure, *in cap. Statutum. De Rescriptis in 6.* Indè vt delegatio caderet in subiectis Authoritate, vel præcellentia prædictis. De iure verò nouo Trid. *sess. 25. de Ref. cap.* 10. Etiam Canonici Ecclesiarum Cathedralium deputati in Synodis, & Conciliis Prouincialibus eligi possunt.

Ad sciendum autem vigorem Regularium, quorum interest nominare, seù eligere Iudices conseruatores, Nota: pro Monachis S. Iustinæ emanauit constitutio Eugenii 4. Incipit: *Militantis 25. Nouembris*, 1435. — Pro Canonicis lateranensibus, Sixtus 4. Incipit: *Dũ ad Vniuersos. 19. Martij*, 1476. — Pro Patribus Montis Oliueti, Iul. 2. incipit: *Militantis 26. Octobris*, 1505. — Pro Camaldulensibus Leon. x. incipit: *Et si, 4. Nonas Iulij*, 1513. — Pro Æquitibus Hyerosolemitanis Paulus 4. incipit: *Circumspecta 1. Iulij*, 1560. Pro Mendicantibus autem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Aug. & Carmelitarum, plura emanasse diplomata à S. Apost. narrant DD. infrà, Generaliter pro omnibus Mẽdicantibus mare magnum habuit Sixtus 4. Specialitèr verò pro S. Prædicatorum Ord. B. Pius. v. Pro ordine Serafico, Bened. xi. Iul. 2. & Sixtus 4. Pro Eremitanis, Clem. 8. Incip. *Sanctissimus* 1592. & Gregor. xv. 1621. Pro Minimis Clem. 7. 19. *Martij* 1524. Pro Clericis *Reg. S.* Pauli decollati Iulius 3. incipit: *Ad hec 3. Idus Aug.* 1550. & tandem pro PP. Iesuitis Greg. 13. incipit: *Æquum 8. Kal. Iun.* ũ571. Aliaque innumera de gratia S. Sedis in fauorem singularum Religionum sunt, vt videre est apud Rodriq. *in Bullar.* & Barbos. *de Episcopo Alleg.* 106. Quibus accesserunt non pauca S. Cong. Decreta, quorum adductio satis apud citatos, ex quibus satis, abundèque colligitur passiua Episcoporum electio in Iudices conseruatores, tutoresque Regularium. Proindè electi renùere non possunt sub mortali, quia sine causa in re graui delinquunt, & damnum pupillorùm, eorumque tutelam respuunt; immò incurrunt excommunicationẽ Papæ reseruatam, ex Iulio 2. Innoc. 8. & Leon. X. *in compend.* Rodriq. *resol.* 33. *nu.* 3. & Mirand. *in Man. Tom.* 2. *q* 47. *ar.* 4. *in fine.*

2 *Sed num hoc Priuilegium sit prò omnibus Regularibus?*

Resp. Posse Omnes Regulares vti dicto priuilegio via communicationis, vt à molestiis manifestisque iniuriis eruãtur. Rationem affert Aldan. *in eodem cap. de Officio deleg. lib.* 6. Quia est de numero eorum, qui de facili conceduntur, ergo sub indultorum communicatione comprehenduntur. Si fortè igitur sit Religio, cui adhuc S. Sedes non indulsit. Securè poterit de indultis, aliis Religioni-

ribus participare, & nominare suum Iudicem Conseruatorem pro sui conseruatione. DD. ibi.

3 *Sed quinam Superiores possint Conseruatores nominare?*

Resp. Generales, & Prouinciales, quibus Reseruata est facultas in re tam magni momenti, per constitutiones ordinum: quidquid dixerant Rodriq. & Portell. *V. Conseruatores*, asserentes: Prælatum Conuentualem sufficere, quorum sensus est, nisi per eorum Constitutiones prohiberentur, vt videre est pro nostra Religione Seraphica, *in Stat. Generalibus c. 12. §. 21.*

4 *Sed quid de illis Regularibus, qui huc vsque non curarunt Conseruatores eligere?*

Respond. Posse eligere, quando eis libuerit, non obstante tempore elapso *ex cit. Constit.* Greg. xv. Tum quia tempus elapsum non tollit potentiam eligêdi, Tum etiam quia sic decisum fuit in controuersia, apud Seel. *in Select. Canon. cap. 12. num. 7. ex Sacra Cong. 12. Septembris 1627.*

5 *Sed quantùm durabunt litteræ conseruatoriæ?*

Respond. Vigore Conciliorum, & diplomatum dictarum nô protrahi vltrà quinquennium; à die publicationis, & instrumento in curia Episcopali relicto, nullatenus autem prohibetur, prorogatio, modo perseuerent eædem qualitates requisitæ, *ex cit. cap. Statutum, & Gregor. 15.* Etenim si quis dignitati requisitæ renunciauerit, insurgit impotentia electionis passiuè, & actiuè in Eligente. Nec desunt tenentes in fauorem Regularium prorogationem non esse necessariam, eo quia priuilegia concessa sunt perpetua, ita subscribit noster Sanctorus de Melsi, *Constit. 11. Stat. 1. sub §. Quares. 6.* Quapropter durant dictæ litteræ post obitum concedentis, Neque obstat Trid. *sess. 14. de Ref. cap. 5.* quia ibi est sermo de Conseruatoriis, quæ Religiosorũ non sunt. Finiunt tandem dictæ litteræ cum Morte, vel renunciatione nominati. Aut recusatione facta à nominantibus ex legitima causa, puta ex Inimicitia, Impotentia, vel negligentia, vel alia iusta causa ad ius recusationis requisita. Munus autem Conseruatoris electi, est defendere Religiosos, eorumque Priuilegia, tuere illos à manifestis iniuriis, quoties Rei existunt, non verò quando Actores, vt videre est apud Mirand. *d. loco*, apud quem constat De delegatione muneris in personam alterius, ex tenore Greg. xv. & Clem. 8. *Sanctissimus*, vide Portell. *d. loco, tom. 3.*

De Episcopo ædificante Ecclesiam in præiudicium alterius.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ædificare Ecclesiam, etiam in præiudicium alterius, si necessitas subesset.*

2 *Sed quodnam esset præiudicium alteri Ecclesiæ inferendum?*

Potestas CLXXXIV.

1 Potest Episcopus ædificare Ecclesiam, etiam in præiudicium alterius, ex necessitate, Fun-

Fundamentum Potestatis est ipsa necessitas, quàm sic declaro; quia ad ædificandam Ecclesiam duo requiruntur, *ex cap. Ecclesia* 16. *q.* 1. Authoritas Episcopi, & consensus eorum, qui habent interesse, ad præiudicium cauendũ; at quia quamplurimæ sunt causæ exuperantes præiudicium, Quarum prima erit necessitas orta ex pregrandi difficultate incolarum, accedentium ad antiquam Ecclesiam. 2. Ex nimia distantia. 3. Ex multi numero fidelium, quos non capit prior Ecclesia, & altera simili, Quibus pensatis ab Episcopo, magis prævalet ędificare nouam in subsidium fidelium, quam attendere alterius inani præiudicio. Immò dic: data tali necessitate præiudicium esse potiùs materiale, quam formale, quia formaliter Ecclesia noua non præiudicat, sed subuenit, adiuuatque priorem; ideò non in fraudem, sed adiuuamen dicitur constructa fidelium non valentium, accedere ad priorem, atque meliùs diceretur prioris extentio, seù membrum antiquę, quàm eius destructio; tanto magis, quod accedit Authoritas Episcopi, *ex cap. quidquid d. loco.* aliisque iuribus allatis à Barbosa, *Alleg.* 26. *num.* 1. §. *secundo sciendum.*

2 *Sed quodnam esset præiudicium alteri Ecclesiæ inferendum?*

Respond. Vel quando diminuerentur sumptus pro sustentatione Rectoris, Vel inferretur damnum iurisdictioni, seù oblationibus fieri solitis, Quapropter causis prædictis concurrentibus, de necessitate, & fini adæquato constructionis Ecclesiæ, qui est commoditas Populorum confluentium ad diuina celebranda, & audienda, cõstructio prævalet pręiudicio, quod cedere oportet in fauorem populorum.



De Episcopo sibi eligente Sepulturam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest sibi eligere Sepulturam, etiam extrà limites suæ Diœcesis.*

2 *Sed quid de expensis in feretri delatione.*

Potestas CLXXXV.

1 POtest Episcopus sibi eligere Sepulturam, etiam extrà limites suæ Diœcesis. *Ita* apud Gemin. *consil.* 1. *num.* 5. Hyeron. Venero, *De examin. Episcopi. lib.* 4. *cap.* 17. Azor. & Alii. pro Ratione stat ipsa electionis libertas, in fauorem Ecclesiarum, in Clemen. *de Sepul. extrà in* 6. Cui accedunt quamplurima Sacr. Congreg. decreta pro libertate Sepulturę, ad effrenãdam Parochorum, & Regularium Prçlatorum, aliàs inuadentium cupiditatem. Apud Aldan. *in compend. lib.* 4. *tit.* 17. *num.* 32. Villalob. 2. *p. Sum. trac.* 37. *diff.* 12. Suarez, & Alios apud eosdem, Immò ad tuendam hanc Sepulturæ antiquam, & liberam electionem *ex Clement. Cupientes.* Bonifac. 8. in Virtute S. Obedientiæ, & excommunicationis pœna Clericis, & Religiosis prohibet suasionem, & inductionem ad vouendum, iurandum, & promittendum, vt eligant sepulturam

in

Digitized by Google

in suis Ecclesiis, vel electam manutenent, si autem secùs factum fuerit, electio erit nulla. Apud Rodriq. *in Summ. resol.* 128. *num.* 6. Nec obstat dictum quorumdam: Parochos apud suam Parochiam, & Episcopos in sua Diœcesi sepelliri oportere, nisi intelligas: *negatiuè*, hoc est nulla facta sepulturæ electione, vt aduertit Sebast. de Medicis. *De Sepult. q.* 7. *num.* 6. resoluens: Episcopum si mori contingerit extrà suam Ecclesiam Cathedralē, ad ipsā eius cadauer reduci debere; quod si ex indulto Apost. duos haberet Episcopatus, tunc vbi ferè continuò residebat. Si demum extrà Diœcesim in illius Cathedrali. Tum insuper, nec decet Episcopum suis Diœcesanis deteriorem esse, quibus si liberum est eligere Sepulturam extrà Parochiam, neq; minus Episcopo liberum erit illā eligere extrà Diœcesim, & quia hoc est iuribus citatis consonum; ideò non immorandum.

2 *Sed quid de expensis in feretri delatione?*

Respond. Expensis Episcopi defuncti, etiam intuitu Ecclesiæ acquisitis. Apud eumdem Geminian. *d. loco.* Ratio, quia Ecclesia tenetur honorare, & reuereri suum Pastorem, cuius sapida fuit regimine, ne incurrat ingratitudinis, vel iniustitiæ notam; adeoq; tene ur ad solemnitatem, & pompam funeralem, & ita conformiter practicari videtur. ideo.



De Episcopo erigente nouas Parochias.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest erigere nouas Parochias, ex necessitate.*

2 *Sed an dicta Authoritas recurrat etiam, quando posset subueniri antiquæ Parochiæ per coadiutores, vel aliam Ecclesiam Baptismalem?*

Potestas CLXXXVI.

1 Potest Episcopus erigere nouas Parochias, ex necessitate. Ita disponente Trident. *sess.* 21. *de Refor. cap.* 4. his verbis: I*n ijs verò, in quibus ob locorum distantiam, siuè difficultatem Parochiani, sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Diuina officia audienda accedere non possunt, nouas Parochias, etiam inuitis Rectoribus, iuxtà formam* Con*st. Alexandri* 3. quæ incipit: *Ad audientiam. constituere possint.* In textu autem Alexandri traditur inquisitio causæ sufficientis ad præstandum consensum Episcopi, Prouisio necessariorum de dote, & citatio Rectorum. quod vltimum fuit correptum à Trident. *d. l.* Vel meliùs citari debent Rectores, audiri, & conuinci per causas necessarias, quod si renuerint; ipsis inuitis procedit Episcopus, etiam tamquam Delegatus S. Apost. *ex cap.* 3. *de Ecclesiarum ædification.* Necessitas autem, quæ est causa motiua nouæ erectionis, rimari oportet ex distantia locorum, Puta: Si Rurales plures in magna copia morarentur extrà Ciuitatem, vbi esset Parochialis, & clauderentur portæ Ciuitatis, vel ob pericula latronum, aut iustitiæ temporalis, accedere nequissent. Vel aliud simile magnum incommodum, ne

Christi fideles debito beneficio christiano fraudentur. Episcopus vti pr̃ dicta potestate. Indè vt cõmodiùs possint Pueri Baptismum, Adulti, & senes, Sancta Sacramenta Confessionis, & Communionis, atq; Morientes extremam Vnctionem inuenire;& omnes vtriusque sexus diebus festiuis Sacrificio Missæ, diuinisque laudibus interesse.prout latè docuerunt Stefanus Vveyms, *ad Const.* 24. ex antiquo iure desumpta, & Tambur. *de Iure Abbatiss. Tom.* 3. *decis.* 32. *num.* 3.

Parochia autem nouitèr erecta prouideri potest in sui sustentatione, vel à superfluis beneficiorum aliarum Ecclesiarum, vel ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodolibet pertinentibus; etiam decimalibus, quacumque reseruatione non obstante, absque tamen magno incommodo, vel ruina illorum. Aut meliùs prouidenda sumptibus eorum, qui nouum opus desiderarunt; aut cogendus Populus, in cuius commoditatem Ecclesia destinata est. Inter quos modos à Concilio disiunctiuè assignatos, vltimum præualere ait Rebuff. *de Decimis, quest.* 6. *num.* 22.

2 *Sed an dicta Authoritas recurrat etiam quando posset subuenire antiquæ Parochiæ per Coadiutores, vel aliam Ecclesiam Baptismalem?*

Respond. Negatiuè cum Aloys. Riccio, *in Praxi fori Ecclesiast. resol.* 467. *num.* 6. Trullench. *in Expos. Decal. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 7. Tum quia Coadiutoria est inuenta ob impotentiam Parochi. Quapropter censuit Rota, *decis.* 484. *num.* 5. non posse vti facultate Tridentina, *in d. cap.* sed in casu huiusmodi cogere Rectorem ad sibi eligendos alios Sacerdotes, quod differt à potestate erigendi nouam Parochiam, in qua subuenitur multitudini Parochianorum accedere impotentium, vel absque maximo incommodo, ad priorem Parochiam. Neque secundum, sibi vindicat locum, eo quia intentum Tridentini erit nouum Rectorem, & Pastorem erigere, independentem à priori, quod est diuersum ab Ecclesia Baptismali, cum Cappellano dependenti. Immò vult in noua erectione proprium, & non delegatum Sacerdotem residère, in tali noua erectione; ideò noua Baptismalis assignatio aufugit casum Tridentini, *in cap.* 4 Nota tandem: Potestatem præfatam procedere, etiam si Ecclesia fuerit Regularium, quia Episcopus procedit etiam tamquam S. Apost. delegatus ad tollenda de medio omnia impedimenta, ad effectum sortiendi finem prætensum.

De Episcopo erigente Pontificalia in sua Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest erigere Pontificalia in sua Diœcesi, in locis etiam exemptis.*

2 *Sed num dicta habent locum pro exemptis, etiam in aliena Diœcesi?*

Potestas CLXXXVII.

Po-

1 POtest Episcopus erigere Pontificalia in sua Diœcesi, etiam in locis exemptis. Prima pars nullam pati potest difficultatem, quia sole clarior, fundata, *in cap. Cum Episcopus. De officio Ordinar. in 6.* Tum etiam propter intentionem fundatam, quam habet in omni suæ Diœcesis loco, ad exercendàm suam iurisditionem, tàm contensiosam, quàm voluntariam à nullo loco prohibetur ad erigendum tribunal, & Baldachinum, in vsum Pontificalium, tum demũ: intrà territorium suæ Iurisditionis vbilibet poterit dictã iurisditionem exercère, quia Episcopus agit more maiorum; ideò intrà fines territorii ostendit maiestatem suam Episcopalem. Non loquor de translatione Cathedræ in alio loco, quia ex eodem Cap. est ipsi vetitum, vt meliùs dicam P. *post. Impot.* 148. cum Gemin. & Campanil, *in Diuersorio Iuris Canon. Rubr.* 11. *cap.* 13. Secunda pars, de locis exemptis intrà fines Diœcesis fuit dubium inter DD. & ex parte negatiua, adduxerunt textum Tridentini, *sess. 6. de Reform. cap. 5. & sess. 14. de Ref. cap. 2. & cap. Omnia Vtriusque, De pœnit. & remiss.* vbi vetuit exercere Pontificalia in alterius Diœcesi, absque licentia Ordinarii loci, & quia iuxtà hoc, locus exeptus videtur quasi non suus, vel extrà fines Diœcesis, ideò, &c. Affirmatiuè temen melius est dicendum: ob decretum Sacr. Congreg. de speciali mandato Clem. 8. *sub die* 10. *Iun.* 1603. apud Quarant. *in Summ. Bullarij V. Priuilegia Regul.* cum clausula *Regularibus negligentibus posse ab eodem Episcopo per pœnas, & censuras compelli; priuilegijs immunitatum, & exemptionum non obstantibus.* Verba autem Decreti sunt: *Liceat eisdem Episcopis illud asportare, & in quacunque* 1 *eorumdem Regularium, aut alia quantumuis exempta Ecclesia supra Episcopale solium, seù Pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eodem sedère, & stare, quemadmodum in proprijs, & Cathedralibus eorum Ecclesijs stare,* 1 *& sedere solent.* In quo paritèr apparet de locis exemptis, qui Regularium non sunt, de quibus facta est expressa mentio in eodem Decreto, sub illis verbis. *Aut alia quamtumuis exempta Ecclesia.*

2 *Sed num dicta habent locum pro exemptis, etiam in aliena Diœcesi?*

Respond. In eadem tantum: ex apertis verbis, in proemio positis, sic: (*In quocumque suarum Diœcesum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Inpontificalibus adesse, & assistere contingit:*) Par vtique erit absque expressa licentia in aliena Diœcesi, etiam in locis exemptis, non posse vsum Pontificalium habere; sub pœna suspensionis comminatæ *in d. cap. Trid.* adeoq; talis licentia demãdari debet ab Ordinario loci, vltrà illam Superioris Monasterii exempti, vt referunt decisum Margarita *Casuum Conscient.* & Molfes. apud Barbos. *de Episcopo Allrg. 6. nu. 12. & Collect. Trid. sess. 6. cap. 5. de Ref. cap.* 10.



De Episcopo examinante pro conferendis beneficijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest examinare pro conferendis beneficijs simplicibus, & Curatis.*

Potestas CLXXXVIII.

1 POtest Episcopus examinare pro conferendis beneficiis simplicibus, & Curatis, vt infrà, & quia superiùs egi de collationibus beneficiorum, tàm Simplicium, à *Potest.* 72. quàm Curatorũ, *Pot.* 78. ficut de examinatoribus, eorumque electione, & officio. *Potest.* 181. cum Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18 hic agere assumpsi de examine prærequisito ad dicta beneficia, cum Azor. *Instit. Moral.* P. 2. *lib.* 6. *quæst.* 9. & Nicolao Garzia, *de Benef. p.* 6. *cap.* 2. *num.* 253. apud quos estāt dicentes: pro beneficiis simplicibus, semel approbatum ad id, non posse ad simile denuò examinari, quod intellige, quando secundum beneficium conferendum est illi, qui in prima promotione idoneus fuit repertus, & profecit in eo, quod didicit, atque adeò secundum beneficium ex sufficientia prioris est conferendũ, vt innui *Potest.* 78. excipe si secundũ erit superiùs, seũ Curatum, cum Azor. *d. loco*, putà si celebriùs, amplius, & populatius, prout in conferendis Ordinibus minoribus, & maioribus, pro quibus iuxtà gradum erit requirenda sufficientia, & literatura, vt dixi *Potest.* 83. adeoq; in beneficiis simplicibus est maius, & minus examen iuxtà dissimilitudinem illorum; & satis pro simplicibus.

Pro Curatis autem, examen erit per concursum, & presentationem iuxtà formam à Trident. præscriptam *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18. secũdũ inequalitatem loci, & personarum. Nam in Pagis idonior curatus esse oportet, quàm in Ciuitate, in qua doctiores sunt ad consulendum, & in Ecclesia maiori aptior, quàm in inferiori, atq; adeò doctior in Ecclesia, vbi esset fidei error, quam si nullus, vt iura disponunt de Episcopo assumendo in partibus Catholicis, & hæreticis; iuxtà igitur exigentiam Ecclesiæ, & Populorum aptandus erit Curatus. Propterea Trident. *d. loco* in promouendis, quatuor exigit timari: Ætas, Mores, Doctrina, & Prudentia; in Subiectis concurrentibus, ex quibus construitur idoneitas. Ætas.n.pro beneficiis simplicibus est Annus 14. ex Tridentino *d. loco*, *cap.* 6. Pro curatis autem 25. quos si non attingerint, nulli licebit curata beneficia possidère, ex eodem Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. Mores sint graues; vt possit Curatus magis exemplis, quam verbis alios instruere; ouesque suas pascere, quia màgis mouent exempla, quàm verba. Trident. *sess.* 23. *de Ref. c.* 12. Doctrina tanta pollère debet, vt possit suo muneri, & oneri satisfacere, ex variis Tridentini præceptis, videlicet exponere, quæ in missa leguntur, *sess.* 22. *c.* 8. predicare Verbum Dei, *sess.* 5. *de Ref. cap.* 2. Vim Sacramentorum explanare, *sess.* 24. *de Ref. cap.* 7. Commendere dies festiuos, ieiunia, & obedientiam *sess.* 25. Sacrificia offerre, & Sacramenta ministrare, *sess* 13. *de Ref. cap.* 1. Pauperum, & Egenorum curam gèrere, *ibid can.* 1. Decreta Matrimonii obseruare, *sess.* 24 *de Ref. cap.* 1. Ad Synodum accedere *ibid. cap.* 2. Carnis affectum pro-

pri-

Digitized by Google

pinquorum relinquere, *sess. 25. de Ref. cap. 1.* Hereticos anathematizare, hospitalitatem seruare, & alia huiusmodi per totum. Prudentia, quę est condimentum omnium rerum agendarum, eo vigore debet Parochus, vt possit gerenda regere, & gubernare iuxtà leges ab illa virtute dictatas. Meminerit Parochus cuiusdam Regis factum, quādo in dotem relinquit filio suo, dicens: *Fili nescis gubernare, si non scis dissimulare.* Omnia enim tempus habere monuit Ecclesiast. *cap. 3. nu. 1.* etenim in rebus arduis maturè est procedendum; & cum vino Iustitiæ, oleum misericordiæ misceri oportet.



De Episcopo examinante libros extrà Vrbem Imprimendos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest examinare libros extrà Vrbem imprimendos.*
2 *Sed quid de ipso Episcopo imprimere volente?*
3 *Sed fortè Episcopi legere possint libros prohibitos?*
4 *Sed num dicta procedant, etiam de conclusionibus, Annotationibus, & Orationibus?*

Potestas CLXXXIX.

1 POtest Episcopus examinare libros extrà Vrbem imprimendos. Ità ex multis iuribus, quorum memini *Potest. 50.* & quia in Vrbe hoc reseruatum est Magistro S. Palatii Apostolici, *ex Leon. x. in Concil. Later. sess. 10.* extrà Vrbem ex eodem Concilio commissum est Episcopis, tamquam illis Scientia, & Scriptura pollentibus; nam supponuntur homines Doctores in omni iure, & doctrina versati, vt possint per se, suosq; coadiutores, seù Assessores libros imprimendos corrigere, emendare, cassare, & expurgare, bonorum morum obrectores arguere ad conseruandam doctrinam sanam. cum Apost. *2. ad Tim.* 4. quia obscena, & inhonesta à Christiana Republica, tamquam pestis fugienda; ideò data est libera facultas Episcopis approbatiua, & reprobatiua librorum imprimendorum, ex verbis Trident. *sess. 4. De Edict. libror. vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.* Ibidem confirmatur authoritas Concilii Lateran. ad cuius executionem iubetur Impressoribus, *Nè libros de rebus sacris sine nomine Authoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, sub Anathematis pœna, amissionis librorum, & pecuniæ, nisi priùs examinati, approbatique sint ab Ordinario, & S. Inquisitione.* Licentia tandem in scriptis obtenta ab Ordinario in fronte libri apponenda, in testimonium executionis, & iussionis Concil. Trident. Contrauenientes pœnis à iure statutis per Ordinarios plectuntur, eisdemque pœnis, quibus Impressores.

2 *Sed quid de ipso Episcopo imprimere libros volente?*

Respond. Eos non subiici pœnis in Later. & Trident. quia supponuntur capita bonorum morum, & Religioni Christianæ non aduersantes. Quod si aliàs obnoxii reperti fuerint subiiciuntur pœnis

nis à S. Congregatione, vel aliis Superioribus infligendis, cum prohibitione, vel suspensione, vsque ad expurgationem. Si tandem dicti libri hæresi saperent manifesta, à DD. Inquisitoribus acriùs plectuntur, per declarationem excommunicat: Papæ reseruatæ, & publicam librorum combustionem, vt resoluit Iacob. de Graff. *in Decisionibus aureis, P. 1. lib. 4. cap. 24. num. 9.* Si verò libri aliorum essent, manifesta heresi non sapientes, recurrit potestas pro Episcopis, absque Inquisitoribus, vt possint procedere, decidere, determinare illorum causas. Quod si Regularium fuerint extrà Vrbem, vltra Ordinariorum licentiam, altera Superiorum suorum erit necessaria, in vim Concilii præfati, iuxta formam suarum ordinationum.

3 *Sed fortè Episcopi legere possint libros prohibitos?*

Respond. Negatiuè cum Azor. *Instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 7.* Immò nec Inquisitores posse libros dãnatos legere, absq; speciali indulto S. Apostolicæ, vel Sacr. Congregation. attenta bulla Iulii 3. incipit: *Cum meditatio cordis*; vbi quascunque licentias concessas aliis quacunque dignitate Ecclesiastica, vel seculari fulgentibus, cassat, & annullat; idipsum statuit Paul. 4. incipit: *Quia in futurum*, & Vrb. 8. incipit: *Apostolatus 2. April. 1631.* apud Suarez *De Fide, disp. 20. sect. 2. num. 28.* Vide *Potest. 50. V. Cognoscere, num. 2.*

4 *Sed num dicta procedunt etiam de Cõclusionibus, Annotationibus, & Orationibus?*

Respond. procedere, ex S. Congregat. apud Sorbo, *in Compend. Priuileg. V. Imprimere*, dicentem: comprehendere Lectiones, Annotationes, Conciones, seù tractatus ad deuotionem, quietationem cõscientiarum, stimulationes fratrum, & similia; vt patet ex verbis Concilii, vbi sic: *Quicunque liber, aut quæcunque alia Scriptura.* Si quis autem accommodaret sua scripta Theologica, vel concionalia aliis ad communicandum, eorumque copiæ serpèrent quantoties, non incideret in dictas pœnas, quia non esset diuulgatio per editionem, sed ad vsum priuatum. Apud Bonac. *in Bull. Cœnæ Tom. 3. disp. 2. quæst. 2. p. 16. nu. 12.* Rel. qua vide pinguiorem doctrinam, citat. *Potest. 50. V. Cognoscere.*

De Episcopo examinante ordinandos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest examinare ordinandos.*

2 *Sed quid de accedentibus ad ordines absque dicto examine?*

Potestas CLXXXX.

1 POtest Episcopus examinare ordinandos. Pluribus in locis habet Trident. de examine, vt memini *Potest. 83.* de subiecto ordinis. Hic autem rimantur qualitates ordinandorum. — 1. *Genus*; an sint Catholici? ex parentibus Catholicorũ? nec nè sint de genere Hæbreorum? — 2. *Natalia.* An sint ex legitimo matrimonio pro-


procreati? — 3. *Personam*. An sint corpore vitiati? — 4. *Institutionem*. Scilicet sub quo titulo ad ordines accedant. — 5. *De Vita*. Num rectè, & irreprehensibilitèr vixerunt. — 6. *De Moribus*. Num honestè viuant, & testimonium detulère vitæ, bonorumque morum. — 6. *Doctrinam*. Hoc est sufficientiam, quàm præsefert vnus, & quilibet gradus. Fundatur præcipuè dicta Potestas, *in Cap. Quando*. 24. *dist.* & *cap. Institutus, De purg. canon.* aliisque iuribus, de quibus habet Laurent. de Graff. *De effectibus Cleric. num.* 358. & sanè Ecclesia meliores eligit dictis decoratos qualitatib⁹, ad seruiendum Deo, cæteros verò Irregulares, & tamquam extrà genus respuit, indè vt Christi sponsa omni decorata virtute, ministros habeat, in nullo deficientes, vt innui *Potest.* 141.

Dictum examen fieri solet tempore generalis ordinationis ab Episcopo vna cum examinatoribus Synodalibus, vel per deputatos ab Episcopo, vt notat Gauant. *V. Synodus*, ad differentiam solemnitatis exhibitæ in beneficiis Parochialibus.

Quamplurima notarunt DD. de requisitis promouendorum ad ordines. 1. Filii, seù Nepotes Hæreorum, Fautorum, Defensorum, & Receptatorum via masculina excluduntur, vsque ad 5. gradum; fœminina verò ad primum. Apud Sanchez *in Precept. decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 15. — 2. Neophiti, nisi post 10. annum à suscepto baptismo admittuntur ad ordines maiores, nam ad minores possunt admitti ab Episcopo post Baptismum. Apud Nauar. *in manual. cap.* 27. *num.* 205. — 3. Filii Presbiterorum, vel aliàs, ex fornicatione prohibentur, ex variis sanctionibus, præcipuè Sixti v. incipit: *Sanctum, & salutare*. — 4. Deindè accedentes deferât testimonium Parochianorum, & fidem Parochorum de communi, & bona morum extimatione, ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 3. — 5. Doctrina sufficientes debent habere animum ascendendi ad alios ordines, aliàs arcendi ab ordinatione, apud Henriq. *in Summ. lib.* 10. *cap.* 17. *num.* 2. Quibus omnibus obseruatis per examinatores deputatos tempore edicti generalis, vel per Archidiaconum, si ordinatio fuerit particularis, Episcopus omni canonico impedimẽto liberè repertis, ordines confert.

2 *Sed quid de accedentibus ad ordines, absque dicto examine?*

Respond. Quod si postquam inhibitum fuit sub pæna excommunicationis, Remanent accedentes suspensi ab ordinum executione. Verum si in collatione Episcopus fuerit protestatus non ordinare huiusmodi non approbatos, vel examinatos; tunc ordines non conferrentur, defectu intentionis in conferente; validèque plectendi accedentes. Apud Propofit. 3. *p. D. Thom. q.* 1. Vide *P post. Impot.* 45.



De Episcopo executore vltimarum voluntatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest esse executor vltimarum voluntatum piarum.*

2 Sed

2 *Sed quinam Episcopus erit executor?*

Potestas CLXXXXI.

1 POtest Episcopus esse executor vltimarum, piarumque voluntatum. vigore Clem. 1. *De Testamentis*, §. *Si quis autem pro redemptione.* Clariùs autem disposuit *in cap.* 1. *&* 2. *dist.* 87. *& cap. Super quibusdam. De verb. Signif.* vt Episcopi habeant in laicos Iurisditionem, in cernentibus pietatem, officiumque charitatis, & humanitatis. Propterea indistincta hæc Potestas, nè dum est morientium, verum etiam viuentium, vbi nullus aderit nominatus executor. Cast. *cons.* 177. & Curt. *cons.* 66. nouissimè Carl. *de Iudic. lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 5. *num* 334. Gemin. *cons.* 214. quod totum benè firmauit Trid. *sess.* 22. *de Ref. cap.* 8. sic: *Episcopi, etiam tamquam S. Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum, sint executores, ac omnia, quæ ad Dei cultum, & animarum salutem, seù Pauperes substentandos instituta sunt, ex officio cognoscant & exequantur.* Ex quo Episcopi sunt constituti Iudices competentes ad pias causas, valentq; cõmutare legata ad pios vsus, vt dixi *Potest.* 60. vltimamque voluntatem, iustis de causis, *Potest.* 56. & cõgere hæredes ad satisfaciendum, *Potest.* 54. Quę omnia recepit, & exequitur praxis.

2 *Sed quinam Episcopus erit executor?*

Responsio patebit ex dicendis *Potest.* 201. vbi de Episcopo originis, & domicilii, inter quos est difficultas resoluta.

De Episcopo expulso, exercente Iurisditionem cõtrà expulsores, eorumque fautores.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus expulsus à Diœcesi potest exercere iurisditionem cõtra expulsores, eorumque fautores, & consiliarios.*

2 *Sed quotuplex est Episcopi Iurisditio?*

Potestas CLXXXXII.

1 POtest Episcopus expulsus à Diœcesi exercère iurisditionem contrà expulsores, eorumq; fautores, & consiliarios. ex Clemen. Vn. *De foro competenti*. Ita docuit. Sayr. *de Cens. lib.* 2. *cap.* 21. *num* 28. *in fine*, refert Barbos. *de Episcopo, Alleg.* 60. *num.* 10. vbi sic: Episcopus enim in aliena Diœcesi petita, licèt non obtenta licentia procedit contra expulsores, eorumque fautores, & consiliarios per elargitam potestatem à Concilio, nè impunita remaneant inuadentium delicta excusatione, & prætestu interdicti, prout clariùs patebit ex sequentibus.

2 *Sed quotuplex est Episcopi Iurisditio?*

Respond. Diuidi in contensiosam, & voluntariam, quarum Prima fit ex contentione partium, & con-

Digitized by Google

& consistit in erectione tribunalis, iura reddere, definire, & sententiam ferre, quæ in inuitis exercetur & in propria Diœcesi, *ex cap. Conquirentes. De officio ordin. & cap. Episcopus, eodem tit. in 6.* pro qua exercenda extrà Diœcesim non potest trahere subditos, quia dicta iurisdictio est odiosa, & restrictiua ad territorium. Nisi dicamus: delinquentem esse in contigua Diœcesi vnita, & quando idem Episcopus regeret vtramque. Vide Barbos. *dict. loco num.* 5. §. *Nec dicatur.*

Alia est voluntaria, exerceturque in volentes, & consistit in ordinatione, consecratione, benedictione, absolutione, prouisione beneficiorum, dispensatione, & similibus, quæ vel Pontificalibus indiget, & clauditur territorio, vel non, & exerceri potest vbilibet, vt tetigi *Potest.* 187. quia nullo iure restringitur, ex Grat. *tom.* 2. *cap.* 127. *num.* 1. Summ. Dian. V. *Episcopi Iurisdictio, sub num.* 59. — Ex quo dilucidiùs apparet de Episcopo expulso à Diœcesi, quid poterit operare ergà suos subditos? & primò voluntariam, quæ non eget Pontificalibus; secundò Contentiosam cõtrà expulsores, eorumque fautores, & consiliarios, ex peculiari dispositione Clem. licentia Ordinarii loci petita estò non obtenta. De Citatione autem Rei extrà Diœcesim existentis Bartul. affirmatiuè respondet, Corneius, & Hurtad. negatiuè. Apud Summ. Dian. *d. loco*, & ipse innui *Potest.* 62. clariùs autem in sequenti.

De Episcopo exercente suam Iurisdictionem in subditos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercere suam Iurisdictionem in subditos.*

Potestas CLXXXXIII.

1 Potest Episcopus exercere iurisdictionem in subditos, & quia de Contentiosa, & Voluntaria in omnes personas Ecclesiasticas suę Diœcesis dictum est. *Potest.* 192. proximè transacta. *ex cap. Conquirentes*. Ideò hìc assignantur capita, in quibus constituitur Iudex competens in exercitium suæ iurisdictionis, suntque quamplurima, videl. Visitatio, Correptio, Procuratio, Cathedratio, seù Synodatio, Charitatiuum subsidium, Honor, Reuerentia, & Institutio; in quibus explentur iura Pastoralia. Apud Stef. Daluin. *De Potest. Episcopi, cap.* 21. *num.* 28. & Graff. *in decis. Aureis, p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28. *nu.* 68. ait Barbos. *de Episcopo, Alleg.* 86. *à num.* 3. Illa octo esse in quibus fundata est intentio Episcopalis ad exercendum munus, ergà subiectas sibi de iure personas. Proindè & si alicui cõcederet exemptionem Ecclesię pleno iure, hoc est in spiritualibus, & temporalibus; non indè poterit abdicare à se omnem iurisdictionem, absque Summ. Pontificis confirmatione; immò nec exemptas ad se reuocare, præsertim quando fuit sortitus effectus. Apud Lamb. *de Iure Abbatiss. tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 10. Postremò Episcopus habet

Digitized by Google

in exercitium suæ authoritatis omnia, quæ spectant ad cultum Diuinum, Religionemque Christianam tuendam, & pascendas oues sibi subditas. Item subiectas habet personas omnes, & singulas suæ Diœcesis, cuiuscunque sint gradus, & dignitatis, in foro Animæ, & in foro exteriori, quoad causas, & delicta Ecclesiastica, quoad pœnas, & censuras in laicis. In Ecclesiasticis verò personis, etiam quoad ciuiles causas, omnia crimina, pœnarumque genera. Tum quia continet in suo regimine omnia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum iura. Dimissoriales litteras pro ordinibus concedit, speciales constitutiones conficit, bonas consuetudines introducit, Synodum conuocat, beneficia confert. Causas in prima instantia cognoscit. Visitando, Ecclesias dirigit, Ecclesiasticos corrigit, carcerat, degradat, suspendit. Negligentias emendat. Ecclesias ædificandas designat, & alia præterea, in quibus non deest locus exercitii suæ iurisdictionis, de qua vide Barbos. *in Compend. ante 2. partem.* & sequentes Potestates.



De Episcopo exercènte iurisdictionem in laicas personas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercère iurisdictionem in laicas personas.*

Potestas CLXXXIV.

1 Potest Episcopus exercère iurisdictionem in laicas personas. Ita ex iuribus infrà. Id ob plenissimum ius quod possidet supra personas Ecclesiasticas, res, & crimina, tamquam sibi iure, & ratione subiecta. Modò videamus de laicis, ad quos dextera Episcopalis se extendit, ratione causarū ad forum Ecclesiasticum pertinentium, & nulli dubium est habere intentionem fundatam in illis ob crimina, & causas conducibiles ad forum spirituale.

Primò ratione charitatis, & pietatis, *ex Cap. 1. & 4. dist. 87.* Exequutionis piarum testantium voluntatum, vt dixi *Potest. 191.* tempore penuriæ cogère diuites ad vendenda victualia vagis, peregrinis, & egenis, ad dandam Prædicatoribus eleemosynam, ex Tridentino *sess. 24. de Ref. c. 4.* Harum omnium piarum causarum Iudex Ecclesiasticus, & competens est Episcopus Apud Abb. & Hostiens. vt refert Barbos. *Alleg. 82. à num. 1.*

Secundò, Ratione delictorum ob quæ oportebit pœnis, & censuris intrusos laicos in foro exteriori multare, declarare, vel censurare, suspendere, & interdicere.

Tertiò, Ratione delicti patrati in Ecclesia, vel rebus ecclesiasticis, aut personis ecclesiastico regimini subiectis, vel ratione violationis legis Diuinæ, aut Ecclesiacæ, sanctionum ecclesiasticarum, Apostolicarum, & Synodalium. Deindè ratione Sacramentalium, & omnium illarum rerum in quibus à iure Pontificio constituitur Iudex ordinarius, vel delegatus. Nec refert homines esse du-

duplici foro subiectos, laicali, & Ecclesiastico, quia non ratione personę, sed delictorum diuersorum, quorum aliqua iudicantur à laica potestate, & alia ab ecclesiastica, sub pœnis, & censuris in Bulla Cœnæ contentis, contra Procuratores, vel trahentes personas ecclesiasticas ad seculare tribunal, & contrà eos, qui aduocant causas à Iudicibus ecclesiasticis. idipsum ex Constitut. 4. Mart. v. incipit: *Ad reprimendas.*

Demum in actu exercito potest Episcopus tanquam Iudex ecclesiasticus punire. 1. Laicum delinquentem cum clerico. 2. Si post litem motam coràm laico, factus sit clericus. 3. Ratione fructuum præbendæ sibi locatæ. 4. Ratione iurispatronatus. 5. Decimarum. 6. Sponsaliorum, & possessorii matrimonii. 7. In causis miserabilium. 8. In omnibus causis, in quibus sibi vendicaret præscriptio, & consuetudo in Episcopatu, pro soluenda Pecunia. 10. Pro solutione Laudemii. 11. Potest capere laicum ad videndum si gaudet immunitate ecclesiastica. 12. Potest petere brachium seculare, etiam antequam ad Censuras deueniret. DD. quos citat Dian. *relati in Summ. V. Iudex Ecclesiasticus.*

De Episcopo exercente iurisdictionem ordinariam, & delegatam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercère quandoque iurisdictionem ordinariam, & delegatam in subditos.*

2 *Sed apud quem facienda erit appellatio?*

3 *Sed assignentur loca, in quibus èmicat talis potestas?*

Potestas CLXXXXV.

1 POtest Episcopus exercère quandoque iurisdictionem ordinariam, & delegatam in subditos. hæc potestas posita est in fauorem vnius, & illius particulæ *Etiam*, quando iura decernunt procedere, nè dum ordinaria, verùm etiã delegata ab Apostolica Sede, vbi vnum exprimunt casum, & alium supponunt; Propterea in illa dictione videtur Episcopus duplici munitus authoritate, quã in eo posse simul compati, ostendit Innoc. 3. *in cap. Cum ex officij. num. 3. de Rescriptis*, & sequuntur Abb. Molina, & Sanch. *in precept. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 29. num. 181.* — Ordinaria exercetur in locis recensitis. *Potest.* 193. & omnibus aliis iuris canonici, ex quibus Ordinariorum facultas astruitur. — Delegata verò nisi ex speciali commissione facta à supremo Principe, vel a b ipsa lege, vt dicam in fine. — Controuersia autem illa de delegata facultate à lege, quàm quidam defendunt esse ordinariam: cum distintione resoluitur. Quod si ponuntur verba, quæ de eorum natura explicant solùm delegatam, vt (*Tamquam S. Apostolica Delegatus*) proculdubio videri delegatam; qua delegans Ordinarios inuestit sua authoritate ad procedendum in ius non suum, in quo, nomine delegantis procedere docet Bartol. & Me-

no eh. *de Arbitr. lib. 1. q. 12. à num. 4.* Si verò verborum tenor explicaret ordinariam, vel mixtam, vt *Etiam, Adhuc*, & simili. *Tamquam S. Apost. Delegatus.* probabilis erit sententia illa, quæ defendit esse ordinariam, præsertim quando erga exemptos directus fuisset sermo. Ratio quia aliquādo exēpti fuerunt de iure proprio; facti quidem sub alieno, vi exemptionis; quando iterum fuerunt reuersi, ex remotione exemptionis, vt doctissimè defendit Iacob de Nigris, *lib. 3. num. 39. ff. de Officio*, refert Barbos. *de Episcopo, p. 3. Alleg. 92. num. 9.* exemplo eorum; qui impediti fuerunt Sacramenta recipere; ablato impedimento, Iure proprio redeunt ad idem; non verò vi abulationis impedimenti; Probabilior autem sententia est, quod fit promiscuè, quæ alterutra sapit, & vtraque posse procedere, quā maluerit, vt indicat *V. Etiam*, quod immiscet vnam cum alia, inde vt efficaciùs sortiretur effectus. Apud Cīrat.

2 *Sed Apud quem facienda erit appellatio?*

Respond. Ad Metropolitanū, præsertim si delegatio facta sit secundo sensu, cum clausula *Etiam* & nō ad S. Pontificem. ita Scacc. *de Appell. q. 8. num. 87. vers. Extende.* Vulpè autem *in Prax. Iud. cap. 21. num. 39.* & Ricci. *resol. 449.* docent appellationem fieri ad metropolitanum quoad deuolutiuum; non verò quoad suspēsiuum effectum.

3 *Sed assignentur loca, in quibus emicat talis delegatiua potestas?*

Respond. Alia esse in iure communi, vt *in cap. ad Absoluendam, in fine De hæreticis, cap. Irrefragabili. De Officio Ordinar. cap. 1. & vl. de Statu Regul. in 6. — Clement. 1. de supplenda neglig. Prał. ibid. cap. quia contingit. De Religios. domibus.* Clement. 2. *De Statu Monach. —* Trident. etiam *sess. 5. de Ref. cap. 1. 2. — sess. 6. cap. 1. 2. 3. 4. & 14. — sess. 14. cap. 2. — session. 21. cap. 5. 7. & 8. — sess. 22. cap. 3. 5. 6. 8. 11. — sess. 24. de Ref. cap. 9. 10. 11. & 14. — sess. 25. cap. 8. & 9. vt in indice Concilij, V. Episcopi,* quibus in causis. si quis itē in potestatem inspice, in eādē confirmationem.

De Episcopo exercente Iurisdictionem in Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercère quādoque iurisdictionē in Regulares.*

Potestas CLXXXXVI.

1 Potest Episcopus exercère quandòque iurisdictionem in Regulares. Quoniam & si Regulares fuerunt per indulta Apostolica exempti ab Ordinariorum iurisdictione, quibus aliàs de iure communi subiecti extabant; Tandem visum fuit Ecclesiæ quibusdam in casibus relaxàre vim exemptionis, ad procedendum contrà eos, vel subueniendo per iurisdictionem voluntariam, & gratiosam, puta in confessionibus audiendis, prædicationibus, & simili-

milibus. Casus autem in quibus sibi locum vindicat iurisdictio Episcopi in Regulares sunt sequentes.

1 Procedit Episcopus, quando Regulares delinquunt notoriè extrà claustra, vel ibi morantur absq; licentia suorum Prælatorum. ex Trid. *sess. 6. de Ref. cap. 3.* vt dixi *Potest.* 114. & retuli Decretum S. *Cong.* 19. *Decembris* 1625.

2 In casu miserabilium personarum, cogit Regulares debitores ad soluendum debita, ex Trid. *sess. 7. de Ref. cap.* 14. Ac nouissimè *ex Const.* Greg. *13. anno* 1580. & Pauli v. *anno* 1588. Regulares conuenire debent apud suos Iudices conseruatores.

3 Si Regulares delinquerent in impressione librorum, absque debita licentia ordinariorum requisita, ex Trid. *in Decreto de Editione librorum.*

4 Ad cognoscendam executionem lecturæ Sacræ Scripturæ in Monasteriis, prout disponit Trid. *sess. 5. de Ref. cap.*

5 In Approbatione pro prædicatione Verbi Dei in Ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, & in scientia pro Ecclesia sui ordinis, ex Trid. *sess. 6. de Ref. cap.* Nouissimè ex Const. Clem. 8. incipit: *Superna,* 11. *Kal.* ... 1670.

6 In Approbatione ad audiendas sæcularium confessiones, ex Trident. *sess. 23. de Ref. cap.* 15. & *Const. præfata* Clem. x.

7 In susceptione ordinum, qui conferri debent à proprio Diœcesano, vbi de familia commorātur, vel ab alio de licentia proprii Ordinarii, ex Nauar. quem seq. Portell. *V. Ordo Sacer. num.* 2.

8 Quando Regulares curam Animarum exercent, ex Const. B. Pii v. Incipit: *Ex proposito,* 22. *Septembris* 1571.

9 Pro Ædificatione Ecclesiæ in loco non exempto. *Cap. De Authoritate, De Priuileg. in 6.*

10 Pro conseruanda Monialiū clausura in Monasteriis exemptis ex Trident. *sess. 25. de Regul. c. 5.*

11 Pro colendis festis, Regulares subiciuntur Episcopis præcipientibus festa esse de præcepto. Apud Cass. *in Cathal. gloria Mūdi P. 3. consid.* 48. vbi docet posse Episcopum procedere contra laicos non obseruantes festos. ex Bull. B. Pii v. *const.* 5. §. *Cum verò.*

12 Quoad publicationem censurarum, siuè à Sede Apostolica, siuè ab Ordinario emanatarum, in Ecclesiis Regularium, ex Trid. *sess. 25. de Ref. cap.* 12. Vel si Regularis fuerit à iure excommunicatus, poterit ab Episcopo publicè denūciari ad vitandum. Apud Lauren. de Franch. *in Controu. inter Episcopum, & Regul. q. 6. vers.* 5.

13 Pro publicis processionibus, degentibus in strictiori clausura, vel vltrà milliare exceptis, ex Tridentino *d. loco, cap.* 13.

14 Pro restituendis bonis, Nouitiis nolentibus profiteri, ex Tridentino, *ibid. cap.* 14.

15 Ad videndam, & definiendum professionis nullitatem, facta reclamatione intrà quinquennium, Trid. *ibid. cap.* 19. & latè dixi *Potest.* 48.

16 Pro donatione Ecclesiæ à laico facienda, *ex cap. Decimas,* 16. *q.* 7. Non desunt tamen dicentes non habere locum in trāslatione iuris patronatus, quod quis habet in fundatione, vel dotatione. Apud Lambert. *De iure patron. p. 2. lib. 1. q. 5. art. 9.* & 10. & Alii.

17 In

17 In reddenda ratione pro executione teſtamentorum, ſi benè, vel malè egèrunt. ex Clem. *p. De teſtam.*

18 Quæritantes extrà loca Monaſterii debent oſtendere licentiam ſuorum ſuperiorum, ex *Decreto Sacr. Congreg.* 1621. quod vidiſſe teſtatur Barboſ. *de Epiſcopo Alleg.* 109. *num.* 10.

19 Si Religioſus percuſſerit clericum ſecularem, vel laicus Religioſum, abſolui poteſt à ſuo Prælato, vt dixi *Poteſt.* 10. *num.* 3. vel ab Epiſcopo, *Cap.* 16. *De ſent. excommunicat. in* 6. vt notauit Tamb. *de iure Abbatiſſ. diſp.* 17. *quæſt.* 11. *num.* 7.

20 In cauſa Hæreſis, quia Epiſcopi veniunt ſub nomine Inquiſitorum, *ex cap. ad Abolendam* §. *fin. de hæreticis, & cap. Vt officij* §. *denique eodem tit. in* 6. Vide *Eman.* Rodriq. *Q. Regul. tom.* 1. 1. *q.* 10 *ar.* 10. *verſ. hoc tamen.* Tu verò adde: vbi deſunt Inquiſitores apud eoſdem.

21 In caſu ſollicitationis in Cõfeſſione, vel prætextu confeſſionis. Vel in confeſſionario, aut loco ad id deſtinato. *ex Conſt. Gregor,* 15. *die* 30. *Aug.* 1622. Item in caſu quo quis predicauerit *B.* V. eſſe conceptam cum peccato originali, ex variis Sacr. Congr. decretis. Apud Lezan. *q. Regul. cap.* 20. *num.* 12. *ſub* Greg. 15. Nouiſſimè ſub Alex. 7. incipit: *Sollicitudo,* 8. *Dec.* 1661.

22 Quando Monachus ſine habitu incèderet extrà Monaſterium, ſecùs ſi intrà ex *cap.* 1. *de Priuileg. in* 6. Apud Cocher. *de Iuriſdictione ordinar. in exemptos P.* 2. *q.* 43. *num.* 33.

23 Quando mendicantes haberent plures campanas, quia ſatis eſſet, vna tantùm, niſi aliàs cõſuetudo ſuadèret, quàm non abolet Extrauag. *Quo cuſtos. De Officio Cuſtodis.*

24 Quando Regulares ibi Epiſcopalia abrogàrent; tunc Epiſcopus interdicit eorum Eccleſias. *ex cap. Cum, & plantare, de Priuileg. vt habet* Cocher. *ibid. qu.* 45.

25 Quando Regulares delinquentes ſint ſuga ſuſpecti, ante ſententiam Iudicis. Secùs remoto tali periculo. ex Clem. 1. §. *Nonnulli.* Apud Eman. Rodriq. *qu. reg. Tom. ar.* 7. *verſ.* 3.

26 Quando Regulares egiſſent conſecratione Eccleſiarum, vaſorumque ſacrorum. *ex cap. Veniens. De præſcriptis, & cap. Abbatibus* 17. *q.* 2.

27 Quando voluiſſent Diuina celebrare, & benedictiones exercère. *ex cap. Abbates, de Priuil. in* 6. & Clemen. *Archiep. de Priuileg.* Apud Franciſcum Pauin. *in tract. de Viſit. p.* 2. *q.* 3. *n.* 9.

28 Quando Regularis delinquens non poterit puniri defectu aditus ad Superiorem, vel Papam. Apud Aufrett. *in repet.* Clem. 1. *q.* 10. *num.* 3. *de Officio Ordin.*

29 Quando Regulares Sacramenta Extremæ Vnctionis, & Matrimonii miniſtrarent abſque licentia Parochi, vel Epiſcopi poſſunt ab eo excommunicari. *ex* Clem. 1. *de Priuil.* Apud Aloys. Ricc. *in praxi aurea, reſol.* 210.

30 Quando Regulares publicarent Indulgentias abſque Ordinarii licentia. ex Trid. *ſeſſ.* 6. *de Ref. cap.* 3. *& ſeſſ.* 24 *cap.* 11.

31 Quando Regulares pulſarent campanas in die Sabb. Sancti, ante Cathedralis, vel maioris Eccleſiæ pulſationem. *ex Conſt.* 17. Leon. x. incipit: *Sacro approbante Concilio.*

32 In controuerſia inter Regulares

lares; *In processionibus publicis*, vt dicam inferiùs *Potest.* 210. siuè hæ etiam fierent in sepeliendis cadaueribus, ex Tridentino *sess.* 25. *de Regul. cap.* 13. quam compositionem Sacra Congregatio fieri præcipit absque figura, & strepitu Iudicij, appellatione postposita. Apud Campan. *Rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 120.

33 Pro tuendo iure reuerentiali. *Ratio*, quia & si Regulares sint exempti à iurisdictione, non tamen a reuerentia debẽda Episcopis. Apud Cassan. *in Catal. Gloriæ Mundi, p.* 4. *consid.* 21. *contrà* Flaminium, & dixi *Potest.* 205.

34 Quando Regulares sine debita licentia Episcopi, vel absque priuilegio, processiones efficerent extrà eorum claustra, vel ambitum. Ratio quia non habent territorium. Ita Zeroll. *in Praxi Episcoporum, p.* 1. *V. Processiones, vers. ad Quartum.*

35 Quando Regulares absoluerent reseruata, absque Ordinariorum concessione, ex Trident. *sess.* 14. *De Casibus reseruat. cap.* 7. Nec valet priuilegium; præsertim hodiè post Bull. Alex. 7. incipit: *Sanctissimus*, 24. *Septembr.* 1665. vnà cũ aliis propositionibus prohibitis, *num.* 12. vbi de Mendicantibus est sermo.

36 Quando Regularis tanquam incorrigibilis fuisset eiectus à Religione, tunc fieret Episcopi subditus, ex Decreto Clem. 8. *De Apostatis, & eiectis.* §. 4. *Ad hæc.*

37 Quando extincta fuisset Religio, tunc omnes essent Episcopi subiecti. *ex cap.* 1. *De Religiosis domibus.*

38 Quando Regularis obseruãtia non vigeret. ex Trid. *sess.* 21. *de Ref. cap.* 8.

39 Quando in Conuentu non esset numerus duodenarius Religiosorum, hodiè tamen extat Decretum Sacr. Congreg. in fauorem PP. Capuccinorum, *sub die* 29. *Nou.* 1652. pro numero Senario, *V. Part. post. Impot.* 102. vbi latiùs de hac materia.

40 Quando excommunicatos sepellirent in eorum Ecclesiis, vel illos ad diuina officia admitterent. Apud Archar. *in cap. Episcopi. n. de Priuileg. in* 6.

41 In casu reconuentionis causarum ciuilium, Regulares Episcopo subduntur, quod procedit ex natura causæ, & non personæ, vt docuit Baldus, *in Authent. habita, cap. Ne filius pro Patre, num.* 23.

42 In casu quo Regulares bini non incederent, sed soli. Nam indecet Religiosum stare, solumque ambulare, *ex cap.* 2. *de Statu Monachor.* Consulenda tamen est praxis in laxioribus Religionibus. Apud Zeroll. *in Praxi Episcop. p.* 2. *V. Regulares.*

43 Quando Regularis sui instituti desertor fugitiuus, absque licentia Superioris exiret. Reducitur ab Episcopo ad ouile. Ita Laurent. de Franch. *de Controu. pag.* 38. *vers. ad decimum.*

44 Quando Episcopus celebrare voluisset in Ecclesiis Regularium, & ipsi renuissent, censuris cogerentur, vt dixi *Potest.* 187.

45 Quando Regulares aliquid reciperent pro ingressu Nouitii, ex Tridentino; *sess.* 25 *de Regul. cap.* 18 Minutiis verò, sponteque oblatis exclusis. Alia quamplurima recensentur, apud Barbos. *Alleg.* 105. Consule pariter consuetudinẽ antiquam, vel de nouo introductã, si quæ haberet vires cõtra citata iura. De impotentia tan-

tan-

Digitized by Google

tandem Episcopi via exemptiua ergà Regulares, videtò P. *post. Impot.* 106.

De Episcopo exercente Iurisdictionem in subditos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercère Iurisdictionem in subditos dirigendo, & emendando eorum excessus.*

Potestas CLXXXXVII.

1 POtest Episcopus exercère Iurisdictionem in subditos dirigendo, & emendando suauitèr, & prudentèr eorum excessus. ex Tridentino, *sess.* 24. *de Ref. cap.* 3. hic ostenditur iurisdictionis exercitium, quòd præstare tenetur in tota sua Diœcesi corrigendo, moderando, prouidendo, ordinando, predicando, vitia eradicando, & virtutes plantando, tanquam Pastor, cuius sunt oues propriæ, iuxtà regulas prudentiæ, omnia suauitèr disponendo in ordine ad salutem. Augendo bonas, & laudabiles consuetudines, eradicando abusus, & dissuetudines, Ecclesiasticos ritus in viridi obseruantia reducendo. Collapsa restaurando, vana, & superflua à personis ecclesiasticis essrænando, egenos adiuuando, & omnibus conuenientem statum concedendo, vt facti hilares, Deo aptiores euadant, suo tanto bono Rectore. *ex cap.* 2. *de Magistris.* Denique tale exercitium ecclesiasticæ iurisdictionis in adiuuamen animarū esse debet, & non in direptionem. Lac, & mel, & non venenum sub lingua eius, vt oues sciant reprobare malum, & eligere bonum. & si lupus quotidiè circuit, bonus Pastor quotidiè munit, & vigilat, sicque erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

De Episcopo capiente, & recludente in carcerem ob delicta omnes, in quibus habet intentionem fundatam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest excarpere, & incarcerare personas, ob delicta, in quibus habet iurisdictionem fundatam.*

2 *Sed assignentur casus, in quibus Episcopus habet intentionem fundatam puniendi, & carcerandi laicos?*

3 *Sed an bona confugientiū ad Ecclesiam, quæ secum tulerunt possint ab Ecclesia extrahi?*

Potestas CLXXXXVIII

1 POtest Episcopus excarpere, seù carcerare personas ob delicta, in quibus habet intentionem fundatam. *ex cap. Cum Episcopus, De Officio Ordinarij, in* 6. Personas, intelligo tàm ecclesiasticas, quàm laicas; delicta verò ad forum ecclesiasticum spectantia, debent puniri à Iudice competente, cuiusmodi est Episcopus, qui

qui procedit inquirendo, processus formando, & per censuras, purgando criminis veritatem, eaque reperta, delinquentes carcerare per ministros birruarios, quos oportet habere in familia, ad exercendum ius, quod habet in subditos. Dictosque satellites non incidere docent in sententiam excommunicat. *ex cap. Si Clericos. De Sentent. excommunicat.* DD. Apud Molin. *De brachio seculari*, & Dian. *P. 1. tr. 2. De Immunit. Eccles. resol.* 88. apud quos, iurisdictio extenditur ad crimen mixti fori. Vt autem Episcopus procedat ad capturam personalem, attendenda erit consuetudo, & praxis, quę est magistra rectè agẽdorũ directiua in re tãti momẽti. Quidam defendunt, nè dum pro criminibus ciuilibus, verùm pro criminalibus ciuilitèr tentatis. Alii negant, ideò consuetudo probanda in Dioecesi, vt procedat in capturam laici, & expoliationem bonorum. Ita Vela, P. 1. *num.* 106. & Couarr. *in pract. cap.* 10. *num.* 2.

2 *Sed assignentur casus, in quibus Episcopus habet intentionem fundatam puniendi, & carcerandi laicos?*

Respond. 1. Posse Episcopum punire laicum delinquentem cum clerico, quia Magis trahit ad se minus idoneum. *ex cap. Per tuas. De Arbitr.* vt in simili decidit S. Congregat. 10 *Decembris.* 1591. Apud Dian. *p. 3. tr. 1. resol.* 1. & *p. 4. tr. 1. resol.* 7. vbi citantur Pius 4. & 5. pro casus decisione.

2 Quando laicus periurasset coràm Iudice ecclesiastico, nam ratione periurii factus est illi subditus. Ita Couar. *in pract. q. 9. cap.* 12. *num.* 8.

3 Quàndo post motam litem coram Iudice laico, hic fieret Clericus; sic quia laicus non potest sententiam ferre cõtra Clericum.

4 Quando quis post delictum ad Ecclesiam confugerit. Tunc enim ratione *Immunitatis*, defenditur ab Episcopo.

5 *Ratione Emphiteusis*, vel iuris patronatus. Apud Maceratense & Dian. *p. 9. tr. 1. resol.* 8.

6 In omnibus casibus decimarum. Apud Tannero. 2.2. *disp.* 5. *q. 3. dub.* 2.

7 *In Possessorio* matrimonii, & sponsalium. Apud Sanchez *de Matrimon. tom. 1. lib. 1. disp.* 29. *num.* 9.

8 Pro Vsuris, & omnibus contractibus vsurariis. Apud Gutier. *De Iuram. conf. p. 1. cap. 2. n.* 11.

9 Pro causis miserabilium personarum aegenarum, & pupillarum. *ex Priuileg. in cap. Super quibusdam. De Verborum significat.* Aliqui docent dicto priuilegio non gaudere, si Pupilli, & Viduę essent diuites. Apud Dian. *P. 4. tr. 1. resol.* 90.

10 In casu decisionis. Num Reus gaudet Immunitate ecclesiasticà, quando confugit ad Ecclesiam in casu dubio, ex variis iuribus, & nouissimè ex Bull. Greg. 14. Nec obstat consuetudo, quia reuocata in dicta Bulla, vt notàuit Lother. *De Benef. tom. 1. lib. 1. quaest. 13. num.* 96 *In* controuersia verborum, quando Reus diceret se esse captum in loco sacro, negantibus satellitibus, *Inquisitio* facienda erit à *Iudice* ecclesiastico, *ex cap. Si Iudex De Sentent. excommun. in 6.* Apud Peregrin. *De Immunit. cap.* 33. *num.* 18 Nec tàm facilè credendum birruariis. Nec datur appellatio post datam sententiam à *Iudice* Ecclesiastico in fauorem

Digitized by Google

gaudentis, vt aduertit idem Peregrin. *Cap. 16. num. 33.* His, & similibus casibus procedit Episcopus tamquam Iudex competens contrà laicos in tota sua Dioecesi, ratione delictorum. Contrà clericos verò ratione personæ, vt dixi, & si quod reliquum est, vide *Poteſt.* 239. De Delictis à sua familia patratis ab Episcopo puniendis dicam *Poteſt.* 213.

3 *Sed an bona confugientium ad Ecclesiam, quæ secum tulerunt, possint ab Ecclesia extrahi?*

Respond. Illa, vel esse propria confugientium, sicque nisi de S. Congreg. licentia, per Episcopũ extrahi possunt, Eadem S. Congregat. 17. *Ian.* 1628. Apud Dian. *P. 6. tr. 1. resol. 9. & resol. 17.* addit, debitores in Ecclesia non esse multo tempore tollerandos, sed arcèri discedere. Si verò essent alterius, poterunt à Iudice Ecclesiastico extrahi. Nauarr. *in Summ. De Immun. Eccles. num. 7. ex cap. Definiuit, 17. quæst. 4.* Valetque de bonis alterius transportatis, vnà cum confugiente, vel sine eo. Ita multi subscribunt apud Dian. *d. loco*, & Bonac. *Tom. 2. disp. 3. quæst. 7. p. 3. num. 5.*



De Episcopo excipiente Iuramenta medicorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus poteſt excipere* Iura*menta medicorum.*

2 *Sed quid de infirmo confiteri renuente?*

Poteſtas CLXXXIX.

1 POteſt Episcopus excipere iuramenta medicorum. Ita *ex cap. Infirmitas, De Pænit. & remiſſ. in Concil. Brachar. act. 5. c. 31.* & B. Pio .V. incipit: *Supra Gregem Domini.* 8. *Martij.* 1566. vbi habetur: Medicos, vltrà fidei professionem debere iurare in manibus Episcopi, vel Rectoris, obseruare statutum in dicta constitutione Piana, quod si secùs, excommunicationem ipso facto incurrunt in *d. Concil.* Statutum autem est hoc. Vtq; ꝗo ad infirmum vocantur, eum inducant, ad procurandam Animæ salutem, vocando etiam Medicum spiritualẽ, vltrà tertium diem, ægrotum nè visitent, nisi per Confessarii scriptum de infirmi cõfessione facta sit fides, vel nisi cõfessarius ex iusta causa longiùs tempus infirmo concedendum iudicet. Denique præcipit vniuersitatibus, & Collegiis, vt cum licentiam medendi alicui concesserint, exigant ab illo iuramentum hæc seruandi. Ita Apud Quarant. *in Summ. Bullar. V. Medicus.* Dian. *Resol. moral. p. 3. tr. 4. resol. 93.* Ratio motiua iuramenti colligitur paritèr ex proemio diplomatum, Vt cũ corporali vocetur, & medicus spiritualis, ad medẽdũ cũ corpore animam: Angunt tandem Doctores de infirmitate periculosa, & non periculosa, asserentes de prima constitutionem intelligi. Apud Dian. *d. loco*. Suarez autem *Tom. 4. disp. 25. sect. 3. n. 4.* ait de quocunque morbo lectum petente.

2 *Sed quid de Infirmo confiteri renuente?*

Respond. Medicum non debere

te cessare monère, quia quod primo monitu non obtinetur, in posterum obtinebitur; iura enim monitionem volunt, non verò visitationem prohibent. Sanchez *in Pracept. Decal. lib. 3. cap. 16. nu. 10.* Dian. *p. 3. tr. 4. resol. 93.*

De Episcopo exigente quartam decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exigere quartam decimarum ab Ecclesiis curatis.*

Potestas CC.

1 POtest Episcopus exigere quartam decimarum ab Ecclesiis curatis, consuetudine existente ex cap. Conquirente. *De Officio Ordinarior. iuncta Gloss. V. Decimationum.* Quoduè Episcopus habet intentionem fundatam in hac canonica portione exactiua ab Ecclesiis curatis, firmauit Rota *decis. 31. p. 2.* pluribus in casibus: quod fit in restauratione tertiæ portionis, quæ antiquitùs debebatur Episcopis pauperibus. *ex Cap. Antiquor. 30. quæst. 1.* cum onere fabricæ. Cui successit ius de quarta decimarum, frugum, & tributorum portione. *ex citato cap. Conquirente.* De qua intentione quamplurima extabant iurgia, & contentiones in Dei Ecclesia, accedentibus pluribus SS. Pontificum diplomatibus, & S. Congregat. Decretis in fauorem fundationis de iure communi, fuit decisum apud Seraphinum, *decis. 1449.* vt refert Barbos. *De Episcopo, Alleg. 86. à num. 33.* Paritèr citati Doctores defendunt Episcopos in decimis ius equale habere cum Parochis. Nec obstat contraria *ex cap. Contingat, & cap. Cum tua. De Decimis,* vbi habetur spectare ad Ecclesias Parochiales, nam videntur textus contrarii, quos concordarunt in defensione dictæ potestatis Host. Ioan. Andron. & Alii. vt stare optimè possit ius Episcopale, super canonicam portionem cum iure Parochiali, proùt ostendunt decisiones rotales.

De consuetudine verò referunt posse abolère dictum ius, vel in totum, vel in partem, Lotter. *De Benef. lib. 1. quæst. 20. num. 108. in dicto cap. De quarta*, Siluest. Panorm. & Miranda, *in Manual. tom. 2. quæst. 48. ar. 5. concl. 2.* Quapropter ipsa consuetudo est attendenda, & obseruanda, quæ vsu discit, quid fieri oportet hac in re, diuersis in Diœcesibus, & Ecclesiis Parochialibus. De quarta autē funerali vide *Potest. 242.*

De Episcopo exposcente rationem testamenti Defuncti, vbi obijt.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exposcere rationem testamenti Defuncti, vbi obijt.*

2 *Sed quando Episcopus executo-*

 res

res compellere, & rationem testamenti exigere potest?

Potestas CCI.

1 POtest Episcopus exposcere rationem defuncti, vbi obiit. Ita tenent Gambar. & Pereira, *De Manu regia, cap. 16. nu.* 40. Ratio decisionis stat pro testatore defuncto in vna Diœcesi, qui pro sua libertate elegit Sepulturam in alia, ibique sepultus fuit. Hæredibus autem negligentibus, agit Episcopus tanquam exequutor, ex Tridentino, *sess.* 22. *De Ref. cap.* 8. ad solutionem piarum causarum, sed quia ibi indistinctus est sermo de Episcopo loci, vbi mortuus, vel vbi sepultus, fuit decisum in fauorem posterioris potestatis, videlicet pro illo loci, vbi defunctus fuit; tam ratione testamenti, quàm ratione mortis, ex quibus fit subditus Episcopo loci. Nam vbi sepultus, est tantum subditus ratione sepulturæ. Sicut à pari de alienigena in aliena Diœcesi, non disponit Episcopus loci, vbi moram fecit, sed ille originis, sine cuius dispositione, nec ordines dare, neque beneficium cõferre poterit. Itaque extrà dubium est, Episcopum loci esse executorem testamenti quòad pias causas, iuxtà dicta fusè *Potest.* 191. At dicerem de ipsa hæreditate, & omnium aliorum, quæ testantur, vt stent pro parte defuncti, adimplendo voluntatem eius, dum Episcopus exigit rationem de adimpletione testamenti. Praxis insuper est consulenda, quæ pluribus in partibus est varia, ideò satis.

Fauores verò, & exemptiones, quibus gaudent testamenta, quò- ad pias causas, quamplures enumerantur. Suntque 1. Data inualiditate testamenti, subsistunt relicta ad pias causas. Apud Panorm. *in Cap. Cum dilectus. De testamentis.* — 2. Incerto hærede relicto, tenet testamentum pium. — 3. Quando instrueretur hæres de iure prohibitus, putà Religiosus, qui nec in communi, nec particulari proprium obtinere possit, valebit quòad pias causas. ex Clem. *Exiui, cap. Cupientes. De Verborum significatione.* — 4. Quando hæres differret adire, vel repudiaret hæreditatem, posset peti legatum. *Ita* Panorm. *in cap. Relatum,* & Franc. Marc. *quæst.* 446. — 5. Non debet detrahi pars falcidia, etiam si legatum sit in maiori quantitate. Acosta, *in cap. Si Pater. V. Trebellianica, & cap. Pontifices.* 12. *qu.* 3. — 6. Quando donatio facta esset, cuius possessio haberet incertum euentum, similiter legatum erit validum. Apud Panorm. *in Cap. Nos quidem. De Testam.* — 7 Quando legatum erit Ecclesiæ in genere relictum, erit validum pro Ecclesia matre. Alia quamplurima sunt priuilegia. Apud DD. quos refert Molin. *De Iust. tr.* 2. *disp.* 197.

2 *Sed quandonam Episcopus executores compellere, & rationem testamenti exigere potest?*

Respond. Iuxtà præfinitum tempus à testatore, cuius exequitur voluntatem; cum Episcopus sit merè testamenti exequutor, & non immutator, sequens à dictum tempus, & conditiones testamenti. Nisi tempus fuisset indefinitè relictum, quo casu infra 6. menses, à die insinuati testamenti, tenerent exequutores hæredes; elapsis autem lex mensibus deuol-

nitur ius ad Episcopum, *vt in Authentica de Ecclesiis, §. Si legatum.* Ita Ioan. à canibus, *in Tract. de executione vl. voluntatis. P. 2. quæst. 43.* Si verò executores non sint ad pias causas, intrà Annum, quo elapso deuoluitur ius ad Iudices seculares, vt tenent multi, *in L. Nulli, De Episcopis, & Clericis, & cap. Nos quidem. De Testam.* contrà Couar. Aliosque tenentes ad Episcopum reuolui, refert Barbos. *De Episcopo, Alleg. 82. num. 15.* lege Dian. *P. 1. tr. 2. resol. 98.* Placet autem tenere secundum, cum Couar. quia infirmus in miserabilibus constitutus debet à Pastore supplere iura suarum ouium subueniri, & quid miserabiliùs homine mortuo? exigitur ideò ratio ab hærede testamentario, qui ratione delicti subditur Episcopo quòad culpas, & pænas infligendas.

De Episcopo exigente portionem canonicam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exigere portionem canonicam.*

2 *Sed quid de Ecclesiis exemptis, & Regularibus?*

3 *Sed enim sint aliqui casus iure exempti, in quibus quarta Episcopalis non debetur?*

Potestas CCII.

1 Potest Episcopus exigere portionem canonicam. *ex Cap. Conquirente. De Officio Ordinar. Cap. Relictis, & cap. ad. De testament. cap. de quarta funerali,* & Nouissimè *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 13.* in quibus insinuatur Episcopum habere intentionem fundatam in tali portione à Sacr. canonibus constitutam, in recognitionem Patroni, & curæ Paternalis, estque decisa Apud *Sera f. decis. 1449. nu. 4.* refert Ludou. Miranda, *in Man. Prælator. tom. 2. quæst. 48. ar. 103.* commodo, quo diximus de quarta decimarum. *Potest. 200.* in similitudinem portionis, quæ Patri debetur de bonis filiorum, seù inferiorum, quorum gerit curam in administratione pastorali. Vocatur hæc portio diuersis nominibus, iuxtà diuersitatem locorũ. Quarta funeralium, luctuosa, Mortuaria; quæ vel minuta, vel aucta, vel præscripta reperitur, iuxtà morem Ciuitatum, & Diœcesum, valdèque differt à quarta Parochiali, quæ debetur Parochiæ de singulis legatis relictis Ecclesiæ. Apud quam eligitur sepultura. *ex Cap. Nuper, De Sepulturis.* De qua nil in præsenti ambigitur.

2 *Sed quid de Ecclesiis exemptis, & Regularibus?*

Respondeo Illas non teneri ad quartam; tùm quia exemptæ à iurisdictione; nec gubernantur ab Episcopo, sed vel à Sede Apostolica, cui immediatè subiiciuntur, vel dotes, idque ratione exemptionis. Verùm ex variis diplomatibus SS. Pontificum in fauorem Regularium, est decisum pro dicta quarta funerali, nam Paulus 4. *ann. 1556.* indulsit Ordini Prædicatorum. Iul 2. *ann. 1511.* Paulus 3. Minoribus, & Alii Summi Pon-

Pontifices declararunt; Regularium Monasteria exempta esse à solutione dictæ quartæ. Apud Lezan. *Summ. Quæst. Regul. tom. 2. V. Canonica portio. num. 6. &* 7. Enarrat Pater Noster de Lantusca, *in suo Theatro, V. Canonica portio. sub num.* 5. In controuersia Parochi S. Angeli in foro Pisciū, cū P. Guardiano S. Francisci ad Ripam in Vrbe, fuisse decisum in fauorem Guardiani, *ann.* 1664. quod quarta funeralis ex morte quorumdam Nicolai Renzii non debebatur Ecclesiæ Parochiali.

3 *Sed nùm sint aliqui casus iure exempti, in quibus quarta Episcopalis non debetur?*

Respond. cum Azor. *Inst. Moral. p. 2. lib. 9. tit. 12. quæst.* 7. Plures excipi casus in iure, Quorū 1. est de relictis pauperibus, ex quibus nulla detrahitur quarta; *ex Cap. 2. V. Decreuit. De Sepulturis*. Ratio, quia non locis, sed personis relinquitur. 2. Ex relictis pro fabrica, ornamentis ecclesiasticis, choro, pictura, & simili. *ex Cap. vl. De testamentis*. 3. Ex relictis pro solemnitate alicuius Sāncti. *ibid.* 4. Ex relictis pro maritandis Orfanis. lege Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 88. *à num.* 16. Vbi agitatur quæstio illa, De legato relicto Ecclesiæ exemptæ tempore testamenti, & subiectæ tempore Mortis, vel è contra; ita resoluta §. 2. & 3. quod Canonicæ portionis solutio sequitur tempus mortis, ex quo sumpsit vim dictū legatum; & ita si exemptio cadit tempore mortis, canonica non debetur, secùs si subdita. Si verò exemptio sit vtroque tempore, extrà dubium est, non deberi. Doctores, *ibid.*

De Episcopo exigente à Regularibus fidei professionem, ante munus prædicationis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exigere fidei professionem à Regularibus ante munus prædicationis.*

2 *Sed quid in Praxi?*

Potestas CCIII.

1 POtest Episcopus exigere à Regularibus fidei professionem ante munus prædicationis. Ita decisum reperitur apud Rodriq. *tom. 2. Quæst. Reg. quæst.* 72. *ar.* 1. Portell. *tom. 3. V. Professio fidei. num.* 1. & Alios; quos citat Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 76. *num.* 33. Afferens declarationem Eminen. Cardin. tempore B. Pii, V. in quo duo notantur, vt innuit Portell. *d. loco, num.* 2. Primum est, si Episcopus peteret; cuius defectu in quibusdam partibus in dissuetudinem conuersa est hæc bona, & optima dispositio. At sanè per non vsum, vel contrarium vsum, non antiquatur, nec tollitur lex, vt aduertunt DD. de legibus in tutiori sententia. Meliùs autem: per dictam declarationem factam fuisse extentionem Decreti Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. vbi pro curatoribus, seù beneficiariis animarum, quam voluit extendere Pius. 4. ad Doctores, & Magistratus in vniuersitatibus. *in Cōst.*

111.

Digitized by Google

142. quæ incipit: *In Sacrosancta.* Quam constitutionem paritèr extendit Sacra Congregatio ad Lectores etiam grammaticæ, & alia eiusdem Pontif. incipit: *Iniunctũ nobis, ibid. Nouembr.* 1564. Ad quoscunque superiores Regularium Conuentuum, domorum, & locorum, vbi ne excusatio locum habeat, tradidit formam dictę professionis. Secundum est: dictã professionẽ exigendam tempore, quo solent Episcopi licentiam imperti-ri; ante autem dictum tempus, nec Regulares teneri, nec Episcopi exigere possunt, vt aduertit Laur. de Franch. *in controu. inter Episcopum, & Regulares. pag.* 148. *in resp. ad* 2. & refert Barbos. *d. loco,* cum quodam casu. Vide ibi.

2 *Sed quid in Praxi?*

Respõd. Illam sequi posse, præsertim quando nulla adesset requisitio Episcopi, à cuius voluntate pendet eam seruare, cum ei sunt sanctiones directæ; Tandem, si Clerici, vel Regulares omitterent dictam professionem, defectu requisitionis, poterunt excusari à peccato mortali, in quod aliàs incurrerent, tamquam legis humanæ transgressores in re graui, aut ex obliuione, vel ignorantia; vt notat Portell. *d. loco, num.* 4. Vna tamen cum praxi benè potest cõpati fundata potestas in Episcopo, in cuius voluntatem posita est requisitio, & negatio facultatis concionandi, renuentibus professionem emittere. Notat tandem Cappuccinus, *d. loco.* pro Prædicatoribus, licèt eam pluries fecissent, & ab Episcopo iterum exigeretur, tenerentur illam emittere. quod post primam vicem, superfluum videtur.



De Episcopo eximente Ecclesiam, sed nõ in totum à sua iurisdictione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest eximere Ecclesiam, sed non in totum à sua iurisdictione.*

Potestas CCIV.

1 POtest Episcopus eximere Ecclesiam, sed non in totum à sua iurisdictione. Gloss. *V. Tradita, in Cap. Nisi visis litteris,* 16. *quæst.* 2. *&* 25. *quæst.* 2. Lotter. *De Benef. lib.* 1. *quæst.* 23. *num.* 32. Rondina, *in Prompt. recap. sent. tit.* 38. *num.* 9. Gambar. *de Potest. legati à latere lib.* 2. *tit. De Varijs Ordin. num.* 180. Abb. *in Cap. Cum Venerabilis. num.* 9. Ratio est. 1. Quia apud ipsum residet tota iurisdictio Episcopalis in Ecclesiis, & personis suæ Ciuitatis, & Diœcesis sibi iure subiectis. Secundo, non in totum, quia sic præiudicaret iuri Episcopali, vsque ad reuerentiale; quod supremi Principis, & Pastoris est. 3. Data iusta causa eximendi Ecclesiam secularium ad alios meliores, videtur translatio facta in meliùs, fauendo iuri ecclesiastico, cui semper fuit Ecclesiæ proficere. Verùm quippè id fieri non posse, absque Capituli consensu, vt decisum affert Farinacc. *decis.* 377. *num.* 2. *p.* 2. *rec.* & quidem semper sibi retenta iurisdictione personali, & reuerentiali, quoad visi-

Digitized by Google

visitationem, & correptionem. Apud de Graff. *in decis. aureis, p. 2. lib. 3. cap. 28. nu. 68.* & Sayr. De Cens. *lib. 1 cap. 6. num. 12.* In totum denique, nisi supremo Pontifici reseruatum est, vt notauit dictus de Graff. *in cap. Cum Venerabilis. De Censibus.* Si autē exemptio fieret cum translatione ad Religiosos, nec etiam posset à se abdicare omne dominium, & authoritatem; vt multoties facit S. Pontifex Romanus, eximendo Ecclesiam ab Episcopis. Nec Ecclesia concessa, Episcopali authoritate alicui Abbati videtur pleno iure concessa, Sed limitationibus concedi solitis, in dicta concessione, etiam accedente Capituli consensu. Apud eosdem suprà, vt notat Barbos. *De Episcopo, Alleg. 89. à num. 1.* vbi ait prescriptione posse Ecclesiam eximi; ergo magis, sententia; iure semper retento reuerentiali, quod non potest præscribi, *ex Cap. non liceat. De præscript.*



De Episcopo exigente obedientiam, & reuerentiam à suis subditis,

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exigere reuerentiam à suis subditis.*

Potestas CCV.

1 POtest Episcopus exigere à suis subditis obedientiam, & reuerentiam. *ex Cap. Omnes Basilicæ. ib. quæst. 7* & *Cap. Cum non liceat. De Præscript.* Rota decis. 1. *ibid.* Peregr. *De Iure Fisci, lib. 6. tit. 8. num. 9.* Rationes ibi adducūtur. 1. Quia obedientia, & reuerentia intrinsecè constituunt rationem formalem superioritatis, ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 104. art. 1.* 2. Inter iura, Episcopalia enumerantur, *ex Cap. Conquirente. De Officio Ordinar.*
1 3. Subditi enim non sunt Acephali, hoc est sine capite; neq; ab eo membra recedere debent. Sed vnà cum illo, semper vnita esse. Neque subditi vim inferre debent in potestatem, aliàs inanis, seù nulla potestas, quæ consistit in imperio. Nec contrà eam
1 valèret præscriptio, quia esset inuersiua, & infrictiua iuris boni, & publici, & generatiua confusionis, adeoque persistit Potestas contrà præscribentes, in tutiori sententia: Apud Barbos. *Allegat. 128. De Episcopo. p. 3.* Verum quando in diplomatibus Pontificiis eximuntur loca, & Ecclesiæ, seù personæ à supremo Principe, tūc fit translatio dominii in alterius obedientiam, per reuocationē, vt subiecta remaneant Sedi Apostolicæ, Strictiùs autem iura procedunt pro Episcopis, ad differentiam iuris Pontificii; ideò remanet ius reuerentiale, & obedientiale ad ipsum eximentem.



De Episcopo expendente redditus Ecclesiæ, etiam ad actus profanos.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest expendere de redditibus Ecclesiæ, etiam ad actus profanos, patrimonio suo retento, & conseruato.*

Potestas CCVI.

1 POtest Episcopus expẽdere de redditibus Ecclesiæ etiã ad actus profanos, patrimonio suo retento, & conseruato. *Ita* quamplures, apud Couar. *De Testam. cap. 1. num. 2.* Sotus, Molina, & Alii, & sequitur Caetanus. *2. 2. quæst. 185. art. 7. ad Tertium.* Quorũ fundamentalis 1. ratio est quia licitè Episcopus percipit, ergo licitè expendit, id quod suis laboribus, tamquam iusta merces deputatur, at dicti redditus sunt tamquam merces Episcopis assignata in præmium suorum laborum, curæ animarum, in exercitium suæ administrationis. ergo, &c. 2. Quia præbenda est, tamquam patrimonium, & proprietas officii. igitur suo conseruato patrimonio, redditus præbendales subsunt libero Dominio Episcopi. Neque hoc sapit alienare, (quod est vetitum) sed expendere de fructibus, seù tamquam vsufructuarius disponere. — Dixi etiam *Ad profanos vsus* ad ostendendum verum, realeque dominium, seù proprietatem acquisitam ab Episcopis, vi electionis, & præeminentiæ ad redditus, eorumque fructus; ita quod ad suum libitum omnia disponere possit in vita. ex Gloss. V. *Reseruari. in Cap. Præsenti. De Officio Ordinar.* vide Barbos. *De Episcopo, Alleg. 114. à num. 33. & 36.*



De Episcopo exponente publicè reliquias adorandas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exponere Reliquias publicè adorandas.*

Potestas CCVII.

1 POtest Episcopus exponere reliquias publicè adorandas, de testimonio alterius Episcopi. Ita habet Sanchez, *De Matrimon. lib. 3. disp. 19. cap. 4. num. 18. & 19.* Facundez *in 5 Ecclesiæ præcepta, lib. 1. cap. 4. à num. 7.* Suarez, & Alii à me citati *Potest. 34.* vbi fusiùs de Reliquiarũ approbatione. Hic autem de expositione illarum de testimonio Episcopi firmatarum, & in Diœcesi alterius translatarum, de quibus, nec decet, nec congruit ambigere, sed eas publicè adorandas exponere. Nec Concil. Trid. *Sess. 25. cap. De Reliquijs Sanctorum*, requirit nouam approbationem respectu translatarum, quia sufficit testimonium Episcopi trãsferentis. Immò volunt citati: Episcopum non debere ambigere, num sint illæ *Reliquiæ*, quæ continentur in dicto testimonio? fortè hoc quia innixus tantæ dignitati sufficit; limita tamen, nisi aliundè esset rationabilis causa in re tàm graui. Quoties igitur per Bullam Apostolicam, vel testimonium prædictum constaret; il-

las esse veras, & approbatas, id ipsum erit sufficiens ad effectum eas exponendi ad publicum cultum. De permixtione tandem Reliquiarum, vide *Potest. cit.* vbi fusiùs.



De Episcopo explorante volūtatem Virginum Deo dicandarum, in ingressu Monasterij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest explorare voluntatem Virginum, Deoque dicandarum, in ingressu Monasterij.*
2 *Sed quomodo fit exploratio?*
3 *Sed quid de Episcopo impedito?*
4 *Sed quid, nulla præcedente exploratione?*

Potestas CCVIII.

1 POtest Episcopus explorare voluntatem Virginum, Deo dicandarum in ingressu Monasterii, & ante professionem. Ita disponente S. Concilio Trid. *sess.* 25. *De Regul. cap.* 17. & in dubiis variæ sūt decisiones. Apud Piasech. *in Praxi noua Episcopi, p.* 2. *cap.* 3. *à num.* 55. Eman Rodriq. *Qu. Regul, tom.* 3. *p.* 12. & sequitur Miranda, *de Monial. quæst.* 8. *ar.* 4. Dian. *tr.* 2. *resol.* 47. Tamen hæc Potestas in Praxi posita semel obtinuit: Virgines explorari ante professionem, ad fenestellam cancellorum, seù ad crates ferreas; etiam in Monasteriis exemptis, Regularibusque subiectis, ex variis S. Congregat dispositionibus. Apud eosdem, & non intrà septa Monasterii, vt dicam meliùs P. *post.* I*mpot.* 97.

2 *Sed quomodo fit exploratio?*

Respond. Ex verb. Concilii *d. loco*, Ita fieri, An Puella fuerit ad professionem coacta, vel seducta? Sciat ne quid agere, & obseruare? Sit ne pia deuota, & libera, apta ad obseruantiam Regulæ, & Monasterii? Idonea mente, corpore, & ætate requisita? Prompta, & parata de presenti, & futuro ad obseruantiam clausuræ, quibus conditionibus repertis. ex Concil. *liberè profiteri liceat.* Episcopus enim certior factus à Præfecta Monasterii ante mensem de tempore professionis Nouitiæ, tenetur intrà 25. dies examen perficere, quibus elapsis, ampliùs in eo se intromittere non potest. ex Sacr. Congregat. penès Armend. Lezan. *tom.* 3. *V. Episcopus num.* 10. refert Barbos. *Collect decis. V. Episcopus quoad Nou. & Monial. num.* 2.

3 *Sed quid Episcopo impedito?*

Respond. Ex eodem Concilio: *Eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus, ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, &c.* Nec professio poterit emitti ante explorationem: Meminerint tamen scrutatores Anathemati subiici, si eorum officio quomodocumque Virginem, vel Viduam coegerint ingressum, vel professionē. Mulieribus conuertitis exceptis. *in seq. cap. Trid.* §. *Ab his.*

4 *Sed quid nulla præcedente exploratione?*

Respond. Professionem esse validam, sed non absque scrupulo, ex dicendis cum DD. P. *post Impot.*

Digitized by Google

pot. 110. cum DD.

5 *Sed quid de Nouitia clàm egressa à Monasterio, vt inueniret virum, quem educanda, in maritum accipere decreuerat?*

Respond. Nullam incurrere excomm: quia prohibitiones factæ sub censura excomm. de clausura, ad professos solum extenditur. Suar. & Alii. Apud Bonaç. *tom.* 1. *disp. de Clausura, quæst.* 1. *p.* 2. *num.* 3.

De Episcopo exercente Prædicationis munus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest exercère munus Prædicationis.*

2 *Sed quid de delegatione muneris Prædicationis?*

Potestas CCIX.

1 POtest Episcopus exercère Prædicationis munus. *ex Cap. Inter cætera. De Officio Ordin.* & nouissimè ex Tridentino *sess.* 5. *de Ref. cap.* 6. *& sess.* 24. *cap.* 4. Estque de iure Diuino, ex illo Pauli 2. *ad Timotheum* 4. *Prædica verbum, insta opportunè. — Opus fac Euangelistæ, Ministerium tuum imple.* Patet Episcopus de munere proprio est medicus inter Populum, & Deum, apud quem allegat causam in fauorem illins. Excitat verbum sanum, morbos peccatorum pellit, & tãquam verus Pastor, cui inest cura de ouibus, quas oportet ducere, & Diuino conspectui consignare. Nec excusatio ignorantiæ valet, quoniam vigilare tenetur, & attèrere vitiosorum lupos. Prædicationis munere, ad quod Mitræ, & baculi Maestas concessa est. Adeò vrget prædicationis officium, aliàs non erit immunis à grauissima culpa. Præsertim in partibus, in quibus hebesat fides, vel multi confluerent hæretici. *Ita* apud Laurent. de Franch. *in Contrauer. inter Episcopum, & Regular. pag.* 150. *ad* 13. Constat præterea; Episcopos legitimè impeditos posse per alios idoneos supradictum munus abire, in adiumamen proprii oneris, hac tamen lege, quod pro Cathedrali Ecclesia, remota qualibet consuetudine etiam immemorabili, solus eligit absque capituli consensu, & consilio; in Aliis verò seruatur cõsuetudo, Parochialibus exceptis, quando Curatores per se ipsos maluerint prædicationis officium subire. nec debent prohiberi. Apud Armendar. *in Add. &c, De Prædicatoribus Sacræ Scripturæ. num.* 20.

2 *Sed quid de delegatione muneris Prædicationis?*

Respond. cum Tridentino *d. loco*, quia hoc est precipuum Prædicationis munus Episcopi; legitimè tamen impeditus, per eos, quos ad prædicationis munus assumeret in sua Ecclesia, in Aliis autem Ecclesiis, per Parochos, siuè iis impeditis, per alios exercère tenetur, In qua Tridentina resolutione apertè apparet Potestas delegatiua, quæ intrat, ratione impedimenti, Quarè volente Episcopo prædicare, nullus audet contradicere: aliàs multandus pœnis. ex Const. *Pauli* 3. citata ab eodem Concilio, & quia fusiùs egi de Delegatione *Potest.* 93. & De eleemosyna prælstãda. *Potest.* 52. ideò ibi dictis me refero.

F

De Episcopo suspenso à Pontificalibus quamplura faciente.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest facere quamplura, suspensus à Pontificalibus.*

2 *Sed quinam sint actus proprij Episcopi in pontificalibus?*

3 *Sed an suspensus à Pontificalibus, celebrando, irregularitatem incurrat.*

Potestas CCX.

1 POtest Episcopus facere plura suspensus à pontificalibus, vt baptizare, confessiones audire, beneficia conferre, vt infrà. Multi apud Dian. P. 5. *tract.* 10. *resol.* 4. Tum quia hi actus non sunt pontificales, ideò possunt exercèri independenter ab illis. Probatur antecedens. Baptizzare, confessiones excipere, nuptia celebrare sunt actus proprii Sacerdotis. Dispensare, beneficia conferre, dimissorias concedere, sunt actus competentes Episcopo electo, & dumtaxat confirmato, ante vsum pontificalium, vi enim confirmationis solam recipit iurisdictionem, & meram administrationem; ideò ab vsu Pontificaliũ suspenso, restant actus exercibiles independentes ab illo; Nec dicas: vnum inferre aliud, quia in odiosis, & diuersis non datur illatio.

2 *Sed quinam sint actus proprij Episcopi in pontificalibus?*

Respond. Esse omnes illos actus vsum mitræ baculi, vel pallii requirentes, putà ordines conferre, confirmare, Virgines, Altaria, Ecclesias, & Vasa consecrare, Missæ sollemnitèr in pontificalibus assistere. & alia huiusmodi. apud Propositum, P. 3. *quæst.* 4. *De Susp. dub.* 2. *num.* 13. Suspenditur prætereà à Pontificalibus, Si ordines etiam 1. Tonsurã cõferret Alieniginis absque litteris dimissoriis proprii Episcopi, per Annum ex Tridentino, *sess.* 14. *De Ref. cap.* 2. Similitèr si eos conferret extrà Diœcesim suis subditis, absque Ordinarii loci licentia. ex Tridentino, *sess.* 6. *De Ref. cap.* 5. Quarè audiendi non sunt DD. apud Bonac. *De Sacram. disp.* 3. *quæst. vn. p.* 2. *num.* 3. tenentes extrà Diœcesim Ordinarium conferentem primam tonsuram non incurrere suspensionem, propter cõtrarium stylum, & consuetudinẽ. Apud Azor. *instit. moral. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 49.

3 *Sed an suspensus à Pontificalibus celebrando, irregularitatem incurrat?*

Respond. Sententiam affirmatiuam tutiorem esse. Apud Caldarin. *in Tract. De Interdicto memb.* 2. *quæst.* 3. & Sayr. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 17.

De

Digitized by Google



H

De Episcopo habente territorium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere territorium.*

Potestas CCXI.

1 POtest Episcopus habere territorium. *ex Cap. Omnes Basilicè 16.qu.3.& C.Vt Animarum.De Constit.* Hodiè hac in re non àmbigitur; immò sententia vetustior contraria claudicat. Tũ ex aperta Dioecesum diuisione, in quarum qualibet, proprius Episcopus tamquam in sua portione diuisa, exercère potest suam liberam, & contentiosam iurisdictionem. Tum etiam ex nouo iure Tridentini pluribus in locis, supponentis huius rei veritatem, constituit *sess. 6. de Ref. cap. 5.* sic: Nulli Episcopo liceat; Pontificalia in aliena Dioecesi, nisi de Ordinarii loci expressa licentia exercère. Territorium insuper, à terrendo dictum, habet, vbi partes componere, contentiosas lites iudicare potest in personas, & loca sibi subiecta, earumque excessus corrigere, & emendare, controuersias definire, vlcisci, & & iudicare. ex Tridentino *sess* 25. *cap.* 5. absque molestia, & contrauentione, vt quid in ea definitum, correptum, sancitum, & dispositum fuerit, ratum habeatur, vt fusiùs dixi *Potest.* 167. Quapropter ad sui iurisdictionis effectum, Episcopo conceduntur Carceres, eorumque custodes, familia armata, cum fisco, pro exercẽda iustitia punitiua in dicto territorio, Habet Thronum erectum ad audiendas partes, Mitram ad terrendum, baculum ad corrigẽdum, vt cum potentia, & Maiestate, liberè sit Pastor, & Iudex, & quia extrà Dioecesim plurima prohibentur, Insurgunt limites, & Territoria suæ Ecclesiasticæ dignitatis, ad quam fuit assumptus tamquam in partem, seù portionẽ suæ sollicitudinis, Ad differentiam supremi Pastoris Romani, cuius Territorium est totius Orbis Terræ ambitus, in quo iudicare, & punire potest, & valet, tamquam Vicarius illius, cuius sunt Orbis Terræ, & plenitudo eius.

De

Digitized by Google

De Episcopo habente carceres ad pœnam, & custodiam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere carceres.*

Potestas CCXII.

1 POtest Episcopus habere carceres ad pœnam, & custodiam. *ex Cap. Cum Episcopus. De Officio Ordinar.* Quamplures, inter quos fusiùs Marta, *De Iurisdictione, p. 2. Cap. 29.* & Vgol. *De Potest. Episcopi, cap. 4. §. 12. nu. 3.* Quorum ratio est; Tum quia habet merum imperium in executione suæ iurisdictionis. Forum pro causis ad ipsum spectantibus, iudicium criminum, & delictorum à nullo alio iudicabilium; ideò tamquam Iudex Ordinarius arguit, obsecrat, & increpat quosque reperit delinquentes, per ministros, birros armatos capit, & carcerat; immò quandoque neruis censurarũ minatur, vim vi repellendo, in quibus duritiem excudit. Carceres insuper habet, nè dum ad pœnam, in executionem suæ iustitiæ, ad occurrendos errores grauiores, verùm ad custodiam, ad detinendum suspectos de fuga, cuius crimina subsitant probationibus, vel alitèr ad terrendum. In quo casu Custodi carceris, ex Clem. 1. §. *Sanè*, quasi depositario fideli traduntur, cui erit mares, à mulieribus separatim ponere; qua in re si desides reperiretur, pœnis grauioribus multandus erit; eoque magis, si carnalitèr cognosceret mulieres detentas, quamuis meretrices. Hinc tandem si grauida mulier reperiretur, malitia custodis præsumi debet, & puniendus. Ita Maschar. *De Probationibus, concl. 167. num. 4.* & Farinacc. *De hæresi, quæst. 31. num. 95.* cum Botter. *decis. 216.*



De Episcopo habente familiares armatos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere familiares armatos.*
2 *Sed quid de Episcopo titulari?*
3 *Sed num liceat Episcopo augere familiam suam armatam?*

Potestas CCXIII.

1 POtest Episcopus habere familiares armatos. Non pauci apud Ciarlin. *cap. 58. num. 25.* Bollinus, *De Brachio Regio, p. 4. num. 258.* Marta, *De Iurisdictione, p. 1. cap. 50. num. 12.* Alfons. De Leon. *p. 1. cap. 9.* & Dian. *p. 3. tr. 1. resol 17.* contra Moscosum. Ratio, Tum quia ex dictis, habet iurisdictionem, Diœcesim, Territoriũ, & Carceres; ergo debet habere ministros armatos ad complendam potestatem; prout confirmat Sacr. Congreg. sub B. Pio .v. 5. *Iun.* 1567. ad instantiam S. Caroli Borromei, vbi declaratum fuit, posse Episcopum habere familiam armatam. Tum quia Episcopo plurima sunt delicta, etiam mixti fori, in quibus da-

datur preuentio ad capturam, at hæc nequit exequi, quam per ministros armatos, *ex cap.* Contra *idolorum*, 26. *quæst.* 5. *& cap. Attendendum*, 16. *quæst* 4. qua in re, non est ambigendum, ob praxim, & vniformem DD. sententiam, post luctam antiquorum, apud Dian. *d. loco.*

Nec ambigi debet, predictos ministros gaudere priuilegio fori. Dian. P. 1. *tr.* 7. *resol.* 97. *& P.* 4. *resol.* 30. quia priuilegium capitis diffunditur in membris, pro delictis etiam communibus, & extrà officium. *ex declar. Sacræ Congregationis* 2. *Martij*. 1611. apud Raum, *De Immunit.* refert Dian. *P.* 5. *tract.* 1. *resol.* 125. In cuius executionem, Siciliæ adest Decretum Viceregiũ, *ann.* 1460. directum ad officiales Castri Ioannis, ad instantiam Episcopi Catanensis, & asseruatur in Regia Cancell. *fol.* 144. vt refert Ciarlinus, *d. loco.* vbi de Barisello, Fiscali, & Notario. Contraire consuetudini, Doctoribus, & citatis declarationibus impunè videtur, quidquid dicat Cutellus, apud Dian. idipsum de Vicario Episcopi. Dian. P. 7. *tr.* 1. *resol.* 46. ex quo delicta illorum puniuntur ab Episcopo.

2 *Sed quid de Episcopo titulari?*

Respond. Idipsum dicendum, ac de iurisdictionem habente, pro quo estat ratio, quia indecorem, splendorem, & tutamen dignitatis est; habere familiam immunẽ; eorum tamen excessus non puniuntur ab ipso, sed ab Episcopo loci, vt decreuit S. Congregat. 17. *Iun.* 1618 Apud Ciarlin. & exequutum fuit ab Archiepiscopo Rodiensi, *ann.* 1639. 14. *Maij.* & quod dixi de familia, idipsum de famulis, famulabus, & seruis; nam hi constitutionem familiæ ingrediuntur.

De Immunitate familiæ Episcopi scripserunt Ciarlinus *V. Episcopus*. Megala, *tom.* 1. *resol.* 122. Gambar. *lib.* 4. *cap.* 3. dicentes: Eam duplici titulo gaudere posse Immunitate. 1. Ratione tonsuræ, & de hoc habet Trident. 2. Ratione famulatus; & de hoc ius commune. Apud Dian. *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 98. Nec valet adducere contrarium vsum Romæ, pro familia Em. Cardinal. quoniam ibi ob reuerentiam S. Pontifici immediatam, ostenditur maior subiectio. Summ. Dian. *V. Immunitas Ecclesiæ, nu.* 19. § *Exemplum Romæ*: ibique adducuntur variæ decisiones, ad tuendam immunitatem famulatus. Nec insuper valet dicere cum Mascoso: Regis potestatem minui; Tum quia inter millia millum, parum est immunes quasdam personas ad honorem, & reuerentiam dignitatis, ad obsistendum quibusdam turbantibus ius ecclesiasticum. Tum quia Reges, & Principes sunt tutores, & defensores iurium Ecclesiasticorum, in Conciliis, quibus pariter placuit Sanctas leges, & decreta firmare, ad fauendum dictis iuribus; ergo videtur de eorum consensu, nullam iniuriam habere. — Dicunt propterea calumniatores: Trident. pluribus in casibus voluisse: Epos habere brachiũ seculare, At hoc est propter insufficientiam, & debilitatem ministrorum; vt si opus fuerit, inuocãe dictum brachium. Tum denique quia Episcopi eorum causas terminant citra sanguinem.

3 *Sed num liceat Episcopo augere familiam suam armatam?*

Respond. Affirmatiuè: dummodò tamen circa numerum, & quali-

lita-

Digitized by Google

litatem eorum, quos sibi duxerit assumendos, prudentèr, & moderatè se gerat, ex Sacr. Congregat. 4. *Decembris*, 1627. refert Aldanus, *in Compendio Canoni: Resol. lib. 2. tit. 3. num.* 15.



De Episcopo habente Fiscum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere Fiscum.*
2 *Sed quid de Episcopo indigenti?*
3 *Sed quid sint mulcta, & pœna.*

Potestas CCXIV.

1 POtest Episcopus habere Fiscum. *ex Cap. Nouit. de Iudic. Cap. Nolentes, in Clem. De Hæreticis. DD.* apud Dian. *p.* 10. *tract.* 8. *à resol.* 1. & Barbos. *de Episcopo, Alleg.* 107. *à num.* 16. & Alii innumeri, quorum scribẽtium authoritas iuncta cum Praxi, contrarias, & antiquas opiniones ad nihilum reduxère. Rationes autem fundamentales iure, praxi, & consuetudine firmatæ, sunt sequentes. Tum quia Episcopus est Iudex ecclesiasticus ad corrigenda crimina ecclesiasticorum, ex illo Matt. *Cap.* 18. *Si te non audierit frater tuus, vade, & dic Ecclesiæ*. idest Iudici ecclesiastico, quam partem supplet Fiscus, quẽ vocemus Aduocatum Fiscalem; cui erit corrigere, alligare, & cognoscere causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, & omnia crimina mixti fori, propterea birruarios, & officiales applicare potest in præuentione, ad capturam delinquentium; Habet parìtèr Fiscus imponere pœnas pecuniarias, etiam laicis personis ad cauenda quædam immania peccata, & crimina facinorosa, ex communi sententia, & praxi recepta in Synodalibus constitutionibus Episcoporum; & quia controuersum fuerat ante Trid. de mulctis, & pecuniariis pœnis, pro parte negatiua existentes probatissimi Authores dicentes: tirannicam esse impositionem, & auaritiam sapientem, fouentem Reos, qui scirent peccata pecunia redimere. Quorum rationes emendauit, & suprexit Concilium, *sess.* 25. *de Ref. cap.* 3 §. *In causis verò*: vbi sancitum fuit licère Episcopis, si expedire videbitur: *In causis ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodlibet pertinentibus, contra quosdam etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi existentibus, eo ipso quod exactè fuerint, assignentur.* Quo decreto infriguntur argumenta in oppositum, & auaritiæ suspicio tollitur, sed audi sequentem declarationẽ Emin. Cardinalium, in vna Messanensi. Apud Barbos. *d. loco, nu.* 19. Pœnas omnes, & mulctas, siuè ex Cõstitutionibus Synodalibus, siuè ex præceptis, siuè decretis Archiepiscopi, vel Vicarii prouenient, esse piis locis, non autem fabricæ, vel Sacristiæ Ecclesiæ applicandas. Aliasque duas declarationes eiusdem tenoris videto, apud Quarant. *d. loco*, & Farinacc. *De Hæresi, quæst.* 190. §. 11. *à num.* 154. & Couar. *lib.* 2. *Variar. cap.* 9. *num.* 8.

2 *Sed quid de Episcopo indigenti?* Respond. Licère sibi applicare, ex decis. S. Congreg. apud Ricc. *resol.*

resol. 300. sicut, & pænas arbitrarias, de quibus pariter disposuit eadem Sacra Congregatio, *in vna Auersana 22. Ian.* 1591. Pænas autem criminales distribuendas censuit piis locis ad arbitrium Episcopi, & in pari necessitate, pauperibus loci, in quo habitat Clericus condemnatus. Itidem pænas huiusmodi, nec pauperibus die cœnæ, nec carcerum restaurationi, nec Vicario Curiæ, aut musicorum salario, nec denique Officialib⁹, Notariis, vel birris, sed tantum piis locis applicandas; declerasse pluries S. Congreg. testatur Barbos. *d. loco, sub num.* 11. §. *Pœna.* Illicitum iudicarunt authores indicere, vel exigere censum à concubinariis. Apud Couar. *d. loco, cap.* 9. *num.* 9. id, ad tollendam in sceleribus perseuerantiam; Cogimur enim noxia vitare, & facta punire.

3 *Sed quid sint mulcta, & pœna?*

Respond. Ex iure ciuili, & canon. mulctam esse: pænitentiam illam in pæcunia soluendam, per sententiam Iudicis, qui mulctando, & castigando Reos, vtitur iure suo, cogendo illos ad solutionem pæcuniarum. Pæna vero pecuniaria est: quando per legis, seù Synodi dispositionem, peccata quædam in foro plateæ condemnantur, vt eius timore, homines ab illis se abstineāt, & quia vtraq. in pecunia versatur, vtrasque intendit Trident. cum sit eadem iuris dispositio, quando militat eadem ratio. Seruare etenim tenemur mentem, & non corticem legis, DD. citati.

De Episcopo habente coadiutorem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere coadiutorem à Papa, causa senectutis.*

2 *Sed quid de authoritate coadiutoris?*

3 *Sed quid de Beneficiorum collatione?*

Potestas CCXV.

1 Potest Episcopus habère coadiutorem à Papa, causa senectutis. *ex Cap. vnico De Clerico ægroto in* 6. & Trid. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 7. vbi in vrgenti, & euidenti necessitate, statuit: dari à Summo Pontifice coadiutorem Prælato, cum futura successione; examinata priùs causa, per Cardinales in Consistorio, vt notauit Flamin. *De Resignat. benefic.* precedentibus conditionibus à Trid. requisitis in Episcopis, vt sunt vita, scientia, & ætas: ægritudo tāmen non debet esse leuis, sed grauis, aut longa inter quas numeratur senectus, quæ est perpetua infirmitas. A fortiori autem si cæcus, leprosus, vel demens, aut in maiori anni parte infirmus extiterit, apud Bertachin. *De Episcopo, P.* 2. *lib.* 4. *num.* 24. Ipse tamen adderē ferè omnes causas, quæ irregularitatem, & suspensionem ex defectu proueniunt, fuisse sufficientes ad hanc coadiutoriam; indè vt populus sufficienti auxilio non esset destitutus.

2 *Sed quid de Authoritate coadiutoris?*

Respond. Ad tollendam de medio discordiam fortè oriundā

ex duplici capite in eadem sede. pluriès resoluit. Sacr. Congregat. 31. *Ian.* 1591. Apud Prosp. de Augustino, *in Add. ad Quarant. in Summ. Bull. V. Archiep. Authoritas*, *num.* 12. præscriptas conditiones seruari.

1 Non licère Coadiutori ingredi pontificalitèr ciuitatem, quia non caput, sed capitis coadiutor. — 2. Nec vti Cruce in functionibus Pontificiis, vel Vrbem incedendo. — 3. Nec vti cappa in pontificalibus, nisi absente Epo, presente verò, vti posse mantelletto, & Rochetto. — 4. Non licère sedère in eadem sede. — 5. Cogi canonicos assistere solemniter celebranti, non autem ad circulos. — 6. Coadiutorem accedere ad faciendam confessionem cum Canonico celebrante, & benedicere Populo in fine Missæ. — 7. Posse Populum in itinere benedicere, de licentia tamen Prælati. 8. Canonicos debere obuiam exire in ostio Ecclesiæ coadiutori pōtificaliter accedenti, atque àdeo ad idem ostium retrocedenti, & laudabiliter, si ad ipsius ędem. — Vltimo Coadiutorem Prælatum: carère facultate indulgentias elargiri, si quas publicare voluerit, id nisi de Episcopi concedentis facultate.

3 *Sed quid de Beneficiorum collatione?*

Respond. Sententiam Oldrad. *cons.* 44. §. *Quæritur*, distinguentis, sequitur Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 158. in fauorem Coadiuti Episcopi, si mentis exilium in senectute non operaretur, secùs si operaretur, cui distinctioni subscribunt Gemin. *in d. cap. Vnico.* Azor. *Instit. Moral. P.* 2. *lib.* 2. *cap.* 75. *quæst.* 15. At placeat Coadiutori addere consilium firmās exiliū, cū absq; dicto consilio fortè lis orienda in vtroque foro.



De Episcopo habente ratam alienationem factam à suo Antecessore.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest habere ratam alienationem factam à suo Antecessore, quando Ecclesia fuerit hæres instituta.*

Potestas CCXVI.

1 POtest Episcopus habere ratam alienationem, factam à suo Antecessore, quando Ecclesia hæres institueretur; hanc Potestatem tuetur Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 115. *nu.* 6. ex Gloss. *V.* Ab hæredibus, *in cap. Episcopus,* 12. *quæst.* 2. & sequitur Immola, & Couar. contrà quosdam. apud eosdem, & Primò; alienatio vetita, de qua *Potest.* 30. à Paulo 2. *V. Ambitiosæ*, limitibus ibi cōstructa, hoc in casu, quando Ecclesia hæres relinquitur, militare non debet, ob præiudicium Ecclesiæ illatum, quod Probatur sic: quidquid deesset, suppletur per hæreditatis institutionem, in qua augentur, & nō minuuntur Ecclesiæ bona, ideò facta hæres, & impinguata de bonis hæreditarii, ex contractione cum legatariis, tenetur adimplere eorum voluntatem, vt patet ex Gloss. *vl. De inst. & quasi contractu*, §. *Hares.* Tum quia quando quis ab aliquo lu-

Digitized by Google

lucrum capit pro ea parte, qua illam representat, non potest venire contra factum illius, absque maxima ingratitudinis nota. Modò vt de bonis castrensibus filii, cuius pater alienare non potest, quia de sudoribus personalibus filii, & de aduentitiis non acquiritur ius Patri. Tamen si filius hæres institueretur, tenetur stare alienationi factæ à suo Patre bonorum aduentitiorum; id ipsum de possessore maioratus, restitutioni bonorum non subiectorum. *ex* §. *Fratre, De Legatis*. Qui omnes casus, firmant regulam in contrarium alienationis vetitæ. Tum quia stante iusta hereditatis institutione, stat quoque alienatio sui Antecessoris, quam ratam habere cogitur successor. Tum denique quia hæres constitutus pollicetur adimplere voluntatem defuncti, saltem tacitam, in signum beneficii præstiti, vel ex quasi contractu, & beneplacito vtriusque; igitur alienatio facta à testatore irreuocabilis, etiã rata haberi debet; nec temerè alienatio facta censetur ex allatis iuribus, & DD. vt patet ex argumentis negatiuè concludentibus, allatis à Barbos. *d. loco*; & ab eodem solutis, vbi casũ excipit à vetita alienatione, in quibus tenetur successor satisfacere debita sui Antecessoris. Iuuat videre dicta, *Potest.* 231. *&* *Potest.* 256. vbi De pensionibus.

I

De Episcopo implorante brachium seculare.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest implorare brachium seculare.*

2 *Sed quid de Iudicibus secularibus renuentibus præstare brachium?*

Potestas CCXVII.

1 POtest Episcopus implorare brachium seculare, quando suam sententiam exequi non valeret, ex iure antiq. *Cap. 1. de Officio Ordinar.* & nouo Triden. *sess.* 21. *&* 25. *De Regul. & Monial. cap.* 5. vbi sic: *Inuocato etiam auxilio, si opus fuerit brachij secularis*. Ita notauit Bonac. *De Cens. in Bulla Cœna, disp.* 1. *quæ.* 20. *p.* 2. §. 2. Hæc potestas de 1 iure concessa est Episcopis in Conciliis, quorum decretis fauent magni Principes, Imperatores, & Reges, in executionem Ecclesiasticæ iurisdictionis, quæ quandoque ob interpositas difficultates, Episcopale brachium non valet suas sententias exequi, Propterea 2 subuenitur fortiori brachio. Quãplurimi Authores se subscribunt huic sententiæ, quorum copia Apud DD. infrà. Controuertitur autem, apud eosdem, Nùm Iudex ecclesiasticus nõ examinata causa compellere possit laicam potestatem nolentem brachium præstare. Quidam negatiuè responderunt. Tum quia non tenetur secularis Iudex brachium impertiri, quando nulliter procedit Ec-

Tt 2 cle-

Digitized by Google

clesiasticus, ante causam examinatam, visumque processum. Tum quia non debet succurri præceps voluntas Ecclesiastici procedentis, iuris ordine non seruato. Probabiliùs tamen est dicendum ex classioribus, apud Alciatum in d. Cap. De Officio Ordinar. vt notauit Bonac. d. loco, §. 3. num. 1. Posse Iudicem Ecclesiasticum compellere censuris, & pœnis, apud Dian. P. 1. tr. 2. resol. 121. Ratio, quia cognoscere de iustitiæ causa, competit superiori Tribunali, cuiusmodi non est Magistratus, vel Iudex secularis. Tum quia brachium est in auxilium, & executionem, non verò cognitionem causæ. Tum deniquè si controuersia esset de competentia iurisdictionis, vel de iustificatione processus, standum erit Iudici Ecclesiastico, ex Couar. in Pract. quæst. 33. num. 1. Molina, De Brachio seculari, cap. 9. num. 29. De criminibus hæresis nullū est Authorum dissidiū, ex Bulla Bonif. 8 incipit: Dilectus filius. Sicut de Symonia, apud Suarez, De Paz in Pract. tom. 2. prœl. num. 10. De criminibus tandem mixti fori, fortè verior esset prima sententia. Pariter quando Iudex Ecclesiasticus, quem damnauit, & curiæ seculari tradidit, siquidem eo casu non tenetur Iudex laicus sequi sententiam ecclesiastici. Apud Campan. in diuersorio, cap. 13. num. 87. At sumus extrà casum, quia hic curia est curia; illic verò exequutrix, & brachium curiæ spiritualis.

2 *Sed quid de Iudicibus secularibus renuentibus auxilium præstare?*

Respond. Cogendos esse, per remedia coactiua ecclesiastica, tum ad exequutionem Decretorum Tridentini, quòd frustrà de consensu Magnatum, & Principum foret conclusum, & acceptatum. Tum quia concessa facultas pro fine, censetur præstare omnia media executiua illius finis, ita apud Farinac. in Praxi criminal. quæst. 97. num. 82. Remedium autem huiusmodi esset Gladius excommunicationis, donec inferior Potestas obtemperet. Molin. refert Bonac. d. loco, §. 1. num. 3. lege Trident. sess. 25. de Regul. & Monial. cap 5.

De Episcopo imponente pētionem ad tempus, eamq; reseruāte causa, & Capituli consensu intercedentibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest imponere pensionem ad tempus, eamque reseruare causa, & capituli consensu intercedentibus.*

Potestas CCXVIII.

1 Potest Episcopus imponere pensionem ad tempus, eamque reseruare, causa, & capituli consensu intercedentibus. Apud Rebuff. De Priuilegg. Scolar. priuileg. 42. Nauar. cons. 4. & 15. & roboratur Decretis Sacr. Congregat. 6. Martij. 1596 & 9 Iun. 1579. apud Barbos. De Episcopo Alleg. 69. num. 15. Sicque declarando Probo. licet sit Episcopus veritum censum, vel pensionem per-

perpetuam imponere, *ex Cap. scientes, & cap. Prohibemus. De Censibus.* Clem. 1, Versu *Eadem quoque, De supplenda Pralat. neglig.* & soli supremo Principi reseruatum, *ex cap. Ad quæstiones, 6. de Permutationibus*; siuè id fiet ex permutatione, siuè ex simplici resignatione beneficiorum. Ad tempus autem, hoc est ad possessorum vitam, vel breuiùs, licitè posset cẽsus personales, seù pensiones tẽporaneas in fauorem alterius imponere. *ex Cap. Nisi essent, 21. De prebendis.* Ita in praxi Mendol. *De signatura gratia*, testatur Episcopos quosdam constituisse pensiones durante vita Pensionarii. In quo non Ecclesia, sed persona grauatur. Vndè obseruauit Abb. *in Cap. Prohibemus*, hoc, in terminis nullatenus prohiberi.

Dixi iusta de causa, puta in vtilitatem Vniuersalis, vel particularis Ecclesiæ, ad scolares subueniendos. Tum quia Ecclesia indiget litteratis, vt illustretur, quos speciatim diligit. Illitteratos autem tamquam cæcos, cæcorumque duces expellere nititur, & tamquam irregulares à numero Ecclesiasticorum eicit. *ex Cap. Pracipimus. & Cap. Illitterator. 34. dist.* Vel propter aliam causã ad dictam vtilitatem spectantem, Puta: pro studiis erigendis, Ecclesiis ornandis, Pauperibus, Ægenisque subueniendis, & pro bono pacis, vt notauit Gratianus; *in Discept. forent. cap. 617. à num. 1.* & Filiucc. *tract. 32. De pensionibus, cap. 3.* vbi quamplures casus exponit similares in exercitium posiæ Potestatis; scilicet de duob litigantibus, de Ecclesia egente Ministro, & quando de mensa Episcopali assignantur certi redditus pro seruitio Ecclesiæ. His & similibus casibus Epus mandat Beneficiarijs de pinguedine beneficii pensiones soluere, in resignatione, & permutatione beneficiorum suorum.

Dixi insuper de Capituli consensu, absque quo ad dictam impositionem peruenire non poterit. *ex Cap. Pastoralis. De Donat.* vt notauit Abb. *in Cap. Significauit. De Censibus.* Ratio, quia huiusmodi impositio census, & pensionis in fauorem alterius, sapit alienatione; ideò solemnitatem in alienatione requisitam postulat; quo circa absque causa iusta, & dicto consensu, irritas, & nullas existimarunt impositiones, quamplures apud Flamin. *in Resign. benefic. lib. 6. quæst. 2. nu. 134.*

Dixi denique de reseruatione, quod est potioris iuris. Apud Stef. Gratianum, *loc. cit.* vt notauit Barbos. *De Episcopo; Alleg. d. & 85 sub num. 11.* Ad redarguendas resignationes illas ex pactu partium oriundas, non nisi de causis benè visis Episcopo, & dictis personis, sibi subiectis, in vtilitatem Vniuersalis, vel particularis Ecclesiæ, erunt pensiones erogandæ, per quantitatem pecuniæ, vini, &c. non verò, vt detur tertia, vel quarta pars redditúum, vt vocant per modum quottæ. Deindè Reseruator debet tantum ad vitam onerati, & non successoris reseruare pensiones impositas. DD. supra.



De

De Episcopo ingrediente clausuras monasteriorũ monialium sibi subiectarum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ingredi clausuras Monasteriorum monialium sibi subiectarum, in casibus necessariis.*
2 *Sed quid de causis ingressus?*

Potestas CCXIX.

1 POtest Episcopus ingredi clausuras Monasteriorum Monialium sibi subiectarum, in casibus necessariis. ex iuribus infrà, cit. & apud Emanuel. Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 46. Miranda, *tom.* 1. *qu.* 2. *ar.* 14. *concl.* 1. & Alios, quorum præcipua fundamenta sunt, quia in dictis casibus potest aliis elargiri facultatem, ex Trident. *sess.* 25. *De Regul. cap.* 5. his verbis ingredi: *Nemini liceat sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtinenda visitationabilis, & manifesta causa existat, aut de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia.* ergo poterit vti de se, quia indultum fortiùs operatur in indulgente. Nouissimè tamen omnia calcauit dubia Gregor. 13. incipit: Dubijs, 23. *Decembris*, 1581. vbi confirmans constitutionem B. Pii v. ita ait: *Authoritate Apostolica declaramus: Prælatos omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demũ vti posse, si id faciant in casibus necessariis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati.* Qua declaratione, omnis hæsitationis materia præcluditur. Mirum.n.in modum præmit Ecclesia, pro clausura Monialium, ad conseruandum Puellarum Deo dicatarum candorem, atque perdurandam vetustiorem disciplinam in virginibus, clausura detêtis. Accessum, & frequentiam huiusmodi limitarunt SS. Pontifices *in Concilio* 2. *Hyspalensi*, cui accesserunt *Sacræ Congregationis Decreta. Nonis Maij*. 1590. iussu Sixti 5. & Vrb. 8. 12. *Kal. Decembris*, 1623. apud Laurent. de Franchis *De Controuersiis inter Episcopum, & Regul. pag.* 225. Lezan. *cap.* 25. *numer.* 36. Nouissimè verò pro Regularibus Clem. ix. 11. *Maij*. 1669. statuit: *Neq; per modicum temporis spatium accedere.* Ingressum Monast. Monial. interdixerunt Trid. *d. loco*, Greg. 13. incipit: *Sanctimonialium*, 5. *Februar.* 1589. Paulus .v. incipit. *Monialium*, 20. *Iulij*, 1612. & S. Congregat. Decreta, quibus sub Anathematis censura, & reatu lætali, abstinere inhibentur, tàm subditi, quàm Prælati. Casibus necessariis exceptis, de quibus abundè dixi *Potest. citatis.*

Egressum verò obcluserunt Bonif. 8. *in Cap. Periculoso. De statu Monach.* Trident. *De Regular. & Monial. sess.* 25. *cap.* 5. B. Pius .v. incipit: *Circa Pastoralis*. 1566. & Alia incipit: *Decori*. 1569. vbi prætestum quemlibet exeundi calcauit, & dumtaxat ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ exitum licère permisit, vt fusiùs notaui *Potest.* 124. Accessit pariter Gregor. 13. incipit: *Deo Sacris*. 1572. De exitu autem pro trãsferen-

renda Moniali, ad effectum electionis Abbatissæ in alio Monasterio, vide Potest. 180. vbi fusiùs. Superest tandem speciatim inspicere dictos casus, in quibus licebit Epis ingredi, de his in sequẽti.

1 *Sed quid de causis ingressus?*

Respond. 1. Ratione visendæ clausuræ, etiam in Monasteriis exẽptis, quoties opus fuerit; nec impediri possunt ab illis, quibus, per exemptionem, subiiciuntur. *ex Const.* Bonifac. 8. & B. Pii 5. Incipit: P*astoralis*, 1564. Miranda autem, D*e Sacris Monial. quæst.* 2. *art.* 14. *num.* 3. quòad clausuram exemptorum limitat: quoadvsque constaret publicè violatam esse, sed reprobatur à Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 102. *nu.* 9. incèderem ipse per mediũ sic: data notitia, & non simplicitèr ad libitum, vt dicam Potest. 230. extensiùs.

2 Ratione electionis; si aliàs canonicè sortiri non posset effectus, absque ingressu, ex Greg. 15. incipit. *Inscrutabili*, *Potest.* 180. *cit.* aliàs forinsecùs ad fenestellam tenebitur colligere vota. Vide Lezan. *V. Abbatissa num.* 3. & *Impot.* 97. P. *post.*

3 Pro Sacramentorum administratione monialibus infirmis, tãquam Parochus, quia sicut aliis facultatem elargitur, ita ea vti potest per se.

4 Pro Ecclesiæ, Altaris, aut sororum consecratione; Tum quia ei de iure erit, talia obire munia, dignitatiq; Episcopali consonum, quando opus fuerit.

5 Pro capitulo visitationis, quod exequi nõ valeret de foris, & fieri solet in fine visitationis totius Monasterii ad declarandum: si omnia, illarum instituto, & disciplinæ, quam professi sunt, respondeant; & Deniq; vt vnico verbo dicam: hanc esse sui ingressus mensuram, quam pro aliis ad intrandũ, facultatẽ pro rebus necessariis erogare poterit. Apud Nauar. *Cons.* 9. Sanchez, *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 25. Extrà tandem casus necessitatis manifestę ex parte Monasterii, vel Monialium. Meminerint tamen Prælati omnes, tàm Seculares, quã Regulares: ingressum fuisse vetitum sub Anathematis pæna, *ex Const. præfata Gregor.* 13. cuius hæc sunt verba: *Quocirca Vniuersos, & singulos, Episcopali, seù maiori etiam cardinalatus honore præditos. — & Alios quoscumq; superiores seriò monemus, vti facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur necessariis, eadem Authoritate Apostolica. Statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos, pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda, à munere Pontificali, & à Diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione.* Quod reliquum est de Electione, vide Potest. 18. pro Regularibus autem, quòad eorum Monasteria, eorum curæ subiecta, adest Bulla Alex. 7. incipit: *Felici*, 18. *Octobris*, 1664. cuius memini, P. *post. Impot.* 97.

De Episcopo indicente processiones publicas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest indicere processio-*

siones publicas.

2 *Sed quid de vocandis ad processiones?*

3 *Sed quid de ordine seruando in pracedentia?*

4 *Sed quid, si Regulares venire renuerint?*

Potestas CCXX.

1 POtest Episcopus indicere processiones publicas. *Ita* resoluunt Campanil. Bellett. Frãciscus Leo, & Alii quamplures, apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 28. *num.* 3. Episcopum habere tale ius, censuit S. Congregat. *in Elborensi*, 14. *Ian.* 1617. & patet ex Trident. *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 13. vbi elargita fuit facultas cõponẽdi, quę potestas compositiua oritur à directiua, & indictiua, siuè quocumque nomine nuncupentur. Idque de consilio capituli, vt decisũ habet Francicus de Leo, *in Thesauro Fori Eccles. p.* 4. *cap.* 2. *num.* 145. *ex* S. *Congregat. tempore cit. &* 28. *Maij.* 1628. Processiones publicæ illæ dicuntur, quę fiunt in litaniis Maioribus, vel Minoribus, pro bono publico, imminente Peste, Aquarum irruptione, vel siccitate. Iubilęo, aduentu noui Episcopi, in festis SS. Corporis Christi, titularis, seù Patroni Ciuitatis, vel Terrę. Priuatè verò quę à Capitularibus, vel Cathedralium Clericis tantùm fiunt; aut in priuatis Regularium Monasteriis ab iisdem Regularibus. Ita apud Prosperum de Aug. *in Addict. ad Quarant. V. Pracedentia.*

Processiones denique illas, quę nullius sunt iuris, putà de Corriggia, Cordone, Rosario, & Aliis determinandas fore ab Episcopo, contraria consuetudine non obstante, testatur Aldan. *ex Sacra Congregat.* 16. *Febr.* 1619. hùcvsque de indictione, seù determinatione. — Directio tandem, seù deductio, *Ex quo, Per, seù ad quẽ locum.* Tam processionum publicarum, etiam pro deferendis vmbellis, vel defunctorum corporibus tumulandis, decreuit Sacra Congregatio, *in d loco*, Trident. Episcopis esse, vel eo absente Vicario Generali, decisum habetur, apud Aloys. Ricc. Valens. Aldan. & Armendar.

2 *Sed quid de vocãdis ad Processiones?*

Respond. Vocari, & compelli posse per censuras arbitrarias, Clericos omnes beneficiatos, etiam exemptos. Quoslibet Regulares etiam Monachos, atque Religionis Hierosolymitanę. Canonicos, & clericos habentes aliquod officiũ in Ecclesia, Beneficio verò carentes inuitari, sed non cogi posse; nisi ex consuetudine, & Confraternitates laicorum, vt notauit Barbos. *d. loco, num.* 24. Video tamen in quibusdam Diœcesibus Sicilię, consuetudinem forte legitimè pręscriptam omnes cogi, pœnis, & censuris venire renuentes, vt vult Barbos. *in decis. Apost. V. Processio. num.* 24.

2 *Sed quid de ordine seruando, in pracedentia?*

Respond. primò; Clericos quã Regulares, & inter illos, primò erunt Canonici Ecclesiarum Cathedralium; deindè aliarum Ecclesiarum postremo curati.

Secundò Religiosi; inter quos primo Canonici Regulares, deindè PP. Benedictini, qui ex antiqua consuetudine ad processiones SS. Sacramenti accedunt, deindè alii Monachi.

Ter-

3. medicantes, inter quos 1. Prædicatores, 2. Minores, inter quos obseruantes, deindè Conuentuales, ex Leon. x. incipit: *Omnipotens Deus. idibus Iulij.* 1517. & sub cruce Obseruantium *Reformati*, nisi ipsi renuerint cędendo locum, & præcedentiam, incedendo anteriores in processionibus, quomodò practicatur variis in locis, in hoc Regno Siciliæ, & Messanæ, & Catanæ, incedentes sub propria Cruce, ante, vel post Patres Cappuccinos, vt apparet ex instrumentis in Archiepali curia Messanési, & Episcopali Catanési ex cessatione iuris. Nam alibi cautum est, ex Decreto Sacræ Congregationis, 10. *Decembris* 1619. Reformatis dandam præcedentiam, siuè per se, siuè sub Cruce familiæ incedant, & ita vbique seruari mandauit.

Quartò Eremitæ Sancti Augustini.

5. Carmelitæ. Inter supradictos dignitate maiores, deindè seniores præcedant, de quorum antiquitate luculenter egi *Potest.* 110. Hodiè tamen in loco controuersiæ, seruatur ordo præfixus à Gregor. 13. de quo suprà, vbi recepta est dicta Constitutio.

Vltimò Abbates, Canonicos præcedant, & Episcopus in suo territorio digniorem obtinet locum, in alieno verò incedit post Episcopum loci, ex decisione, apud Rodriq. *V. Processio, & Qu.* 37. *ar.* 1.

Si quę autem oriretur controuersia in hac præcedentia, tunc temporis, quando facienda erit processio, nè tumultus fieret in populo, data fuit facultas à Tridentino, *d. loco.* Episcopis, vt absque forma, & figura iudicii, seù sine strepitu, omni appellatione postposita, sed de plano procedant, prout iure, in domino videbitur, debetque ordinario executioni mandari. dixi, iure, quia ex Rota, apud Barbos. *d. loco.* si quæ fuerit appellatio habère effectum deuolutiuum, & non suspensiuum. Intelligas etiam; Episcopum seruare debère constitutionem Gregor. 13. incipit: *Exposcit,* 15. *Iulij.* 1583. vbi recepta est Bulla B. Pii. v. modum tribuentem in controuersiis componendis, *Vt præcedant, qui in possessione sunt, vel si non constaret, Mendicantes antiquiores in loco controuersia. Ita vt si contingat noua Monasteria, aut domus, alicuius ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta sint, ille ordo, qui priùs monasterium, seù domum, in quo habuerit, præcedat.* hæc ille.

Confratres denique, qui priùs saccis vsi sunt, præcedant; sumpta eorum pręcedentia, nè dum à die, verùm ex hora, quæ sufficit. ex *Cap. Si eo tempore,* 45. *De Elect. in* 6. Gloss. *ibid.* Dictam constitutionem Greg. seruari iterum mandauit S. Congregat. 26. *Aug.* 1593. & placuit SS. Clem. 8 Notat Quarant. *in Summ. Bull. V. Præcedentia*, & Pialech. *in Praxi, p.* 2. *cap.* 3. *num.* 48.

Restat videre: *An vocari oportet Regulares ad processiones solemnes?* Respond. Affirmatiuè tum ad excusationes vitandas, tumque ad sciendum diem, & horam, quæ vocatio fieri solet, dato signo, ex Zeroll. *in Praxi Episcopali, V. Processio.* §. *ad Tertium.*

4 *Sed quid, si Regulares venire renuerint?*

Respond. Intimandos sub pœna censurarum incurrendarum

Digitized by Google

ipso facto, Restiuos denique non punire, sed S. Congregat. certiorem facere, ex variis decisionibus eiusdẽ Cong. apud Sell. & Laur. de Franch. vt notauit Barbos. *in Decisionibus Apostolicis, V. Processio, num. 24.*



De Episcopo instruente processum seruorum Dei in genere.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest instruere processum seruorum* Dei *in genere.*

Potestas CCXXI.

1 POtest Episcopus instruere processum seruorum Dei in genere, nè pereat eorum memoria. Ita Contelor. *De Canoniz. Sanctorum, cap. 4. num. 20.* Molfes. *cons. 46. num. 21.* Intelligo processum in genere, morum Inquisitiones, vitæ probitatem, in virtutibus moralibus, miraculorum annotationes, quæ omnia reseruata non fuisse Sedi Apostolicę recensent citati, poteritque Summus Pontifex huiusmodi instructione præbère fidem, & ad Beatificationem, vel Canonizationem procedere, & licèt de soluto aliàs dicendum occurrit, id tamen non derogat Potestati fundatæ in nouo iure Trident. *sess. 25. De Inuocat. & Veneratione Sanctorum*, vbi vult nulla esse admittenda noua miracula, nec nouas reliquias excipiendas, nisi cognoscente, & approbante Episcopo, vt censuit S. Congregat. 1626. cuius sensus etiam ad non canonizatos extendi vult Barbos. *De Episcopo, Alleg. 97. num. 3.* — Vel dicam; Solitũ esse de processu speciali, qui preit canonizationem Sanctorum Authoritate Pontificia fabricatus, cui stant SS. *Pont* fices; estò stare possent processui effecto ab Episcopo immediatè post mortem summa cum diligentia, per testes, & contestes idoneos iuratos, de visu, in vita, & morte eorundem seruorum Dei, nè memoria iniuria temporum periret. Videtur enim talis notitia strues, & fundamentum alterius construendi, si velit, nec nè S. Pontifex. Vetita autem Episcopis est, & soli Pontifici reseruata beatificatio. Ecclesiæ dedicatio, Officii, & Missæ celebratio, in quibus cultus, & veneratio intersunt, quæ nisi de *Pon*tificia authoritate efficiẽda erunt. Reliquum verò pro plena adhibenda fide concessum ostendit S. Congregat. in Decreto. *Iussu* Vrb. 8. *edito 30. Ottobr. 1625.* vbi sic: *Gesta, Miracula, & Reuelationes, sine cognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in his recognoscendis, Theologos, aliosq; pios, ac deuotos viros in consilium adhibeat, & nè deindè fraus, aut error, aut aliquid nouum ac inordinatum in re graui committatur, negotium instructum ad sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet.* Immò clariùs: 12. *Martij* 1631. *Probibet omnibus Personis Ecclesiasticis, tàm Secularibus, quàm Regularibus càpere informationes, super Sanctitate, aut* Miraculis *alicuius Sancti; quod si Superiori, Sacristæ, vel alteri officiali illius loci, vbi requiescit corpus illius defuncti*

cti

Eli fuerint reuelata aliqua miracula, possint ea recipere sub sigillo secreto, & tenentur deferre, seù transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quòad reuelationes, sic vt suprà accepta non faciant aliquem probationis gradū, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu. Vide Trullench. *in Expositione decalogi, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 26. Laur. de Franchis *in Controuers. pag.* 242. Quid autem sit de approbatione Reliquiarum pro publica earum veneratione? dixi *Potest.* 34. Solum animaduertitur pro hac potestate finienda; nemini inferiori Episcopo licère processus, seù informationes, & annotationes suprà sanctitatem, ob copiam miraculorum excipere, ex Tridentino, & Sacra Congregatione citatis.



De Episcopo interdicente Prædicatores prædicantes errores.


SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest interdicere Prædicatores prædicantes errores.*

Potestas CCXXII.

1 Potest Episcopus interdicere Prædicatores prędicantes errores. Multi apud Mirand. *In Manuali, tom.* 1. *quæst.* 50. *ar.* 3. Homob. Leo, Nauar. & Alij, apud Barbos. De Episcopo, *Alleg.* 76. *num.* 48. & cum ipse dixerim de munere, sufficientia, litteratura, licentia, vel benedictione requisitis *Potest.* 94. Superest modò de interdictu contrà prædicantes errores, & scandala disseminantes, cum Concilio Lateran. sub Leon. X. *sess.* 2. vbi statuit: *Prædicatores debère à fabulis abstinère, falsisque reuelationibus; & sess.* 11. sic: *Prædicantes fabulas, & falsas reuelationes, debent ab Episcopis Diœcesanis, severè, & rigorosè puniri.* Id ipsum in Concilio Bracharen. 6. *act.* 4. *cap.* 22. *De Editione, & vsu librorum. Violatores Verbi Dei, iuris, & arbitrarii pœnis per Episcopos coerceantur, quæ huiusmodi potestas Coercitiua, contrà imprimentes, & librorum Impressores, atque euulgantes scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, impias superstitiones, diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, & similia, vel illa disseminantes, extenditur ad temeritatem, & contemptum illorum; veramque doctrinam Euangelicam, siuè libris, siuè oretenus prædicantes.* Quapropter pro vigilantia iussit Pius 4. incipit: *Iniunctum nobis,* Prælatis, & Theologis, fieri professionem fidei, cum clausula, quod numquam quisquam accipiet, vel interpetrabitur S. Scripturam, nisi iuxtà vnanimem sensum Sanctorum Patrum. Nostris demum temporibus per SS. D. N. Clem. 9. *Anno* 1. *sui Pontificatus,* 1667. Mandatum fuit omnibus Prædicatoribus. *Nè verba scurrilia ad risum prouocantia, sed sanis verbis Euangelicam veritatem spirantibus ad virtutes amplectendas, & vitia expurganda directis, verbum Dei euulgent.* Et quia pœna debet culpæ aptari, ideò interdictum Prædicationis, aptiùs videtur, & punitur in eo, in quo

deliquit. Nè alterius scandala seminata concrescant, idest vt quod Episcopus, cui semper bonum semen seminare est, in terra Animarum nostrarum, poterit interdicere, vt cessarent semina mortua Pseudoprophetarum. Si verò errores huiusmodi erunt dogmata hæreticalia, debet procedere ad iuris dispositionem, ad maiora, & atrociora tormenta, vt vult Concil. Bracharens. *cit.* & notauit Miranda, *d. loco, ar.* 7. Si denique reuelationes, seù inspirationes suas, vel profanas, ex S. Scriptura non desumptas, prædicare præsumpserit, incidit in excommunicationem reseruatam, ex Const. Leon. x. incipit, *Supernæ Maiestatis*, in dicto Concilio Lateran. *sess.* 9. & 11. Apud Bonac. De *Cens. disp.* 2. *quæst.* 5. *p.* 2.



De Episcopo ostendente suam præeminentiam in pluribus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ostendere in pluribus, suæ dignitatis præminentiam.*

2 *Excellẽtia in Episcoporũ consecratione ostenditur.*

3 *Sed quid de Priuilegijs Episcopi?*

Potestas CCXXIII.

1 POtest Episcopus ostendere in pluribus, suæ dignitatis præeminentiam; hac in potestate, prerogatiuis, & priuilegiis innumeris; do-

Digitized by Google

dotata ostenditur, dignitatis praeeminentia, & iurisdictionis amplitudo. Vt nobilitas Episcopalis de iure diuino instituta compareat, ex illo ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: Alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, in opus ministerij, in aedificationem Corporis Christi.* & 1. Corinth. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes.* Vbi nomine Doctorum, venire Episcopos, docet Trid. *sess.* 21. *De Ref. cap.* 2. quidquid Azzorius, & Miranda distinguendo dixerunt. — Nobilitas n. dignitatis cõmunicatur, 1. Parentibus, ex quo ejus parens non plebeus, sed nobilis dicitur, vt notarunt quamplures, apud Farinacc. *in Praxi criminali, lib.* 1. *p.* 1. *tit.* 5. *quaest.* 41. Sicut vi electionis, à Patris dominio liberatur. *ex Cap. Per Venerabilem, & cap. Quia nos, De Testamentis.* Nunquam autem filij, antea Vxorati Episcopi eximuntur à Patre, apud Dian. *Resol. moral. p.* 5. *tr.* 2. *resol.* 32. — Ad cuius electionem duo concurrere oportet; *Aetas, & Scientia*, ex quibus vera discretio essentialiter requiritur ad Praelatiam ducẽdam: Huiusmodi autem aetas 30. annorum esse debet, ex Concilio Agathensi *cap.* 16. & 17. completorum, addit Alex. 3. in Lateran. *More Gallico excepto*, vbi indultum est 27. annorum eligi posse, & firmauit Greg. 14. 15. *Martij*, 1591. Aetas tamen solita 30. annorum correspondet Christi sibi sponsanti Ecclesiam; quidquid dicat de titularibus Bonac. *De Sacramen. disp.* 8. *quaest. vn. p. & num.* 5. qui si consecrarentur ante legitimam aetatem, non erunt Irregulares. & Sanchez, *in Opusc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 32. resoluit Puerum, in cunis consecratum; factum tenère. — Scientia verò, qua Episcopus pollère debet, ex Tridentino, *d. loco*, est, quod sit Doctor, licentiatus in Theologia, vel iure canonico, vel probatus idoneus testimonio alicuius Academiae, cum iam multi Doctores sunt nomine tenùs; Statuit Clem. 8. Assumendo ad Episcopatũ in Italia, coràm ipso coram Cardinalium, aliorumque virorum grauium, & peritorum Praelatorum. In Hyspania verò, coram S.R.E. Cardinalibus legatis, ipsisque deficientibus, coràm Nunciis, negotii huius grauitatẽ examinari, & non aliàs ad Ecclesiae regimen admittatur. Refert Franc. de Leo, *in Thesaur. fori Eccles. quaest.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Quid autem sit de dubius Canonico, & Theologo concurrentibus? cum distinctione respondendum, secundum loca, & exigentiam Episcopatus.

Requirit praeterea Trid. *sess.* 7. *De Ref. cap.* 1. Assumendum ex legitimo matrimonio natum esse debere. idipsum *sess.* 22. *De Ref. cap.* 2. & *sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. Quid si fuisset per subsequens matrimonium legitimatus, absque alia dispensatione promoueri posset. Ratio, quia sic tollitur Natalium defectus, apud Marchin. *De Sacram. Ord. tr.* 1. *p.* 10. *cap.* 1. *num.* 10. — Promotus denique consecrationem intrà tempus à iure statutum suscipere tenetur, & prorogationes vltrà sex menses concessae, nulli suffragantur. ex Tridentino, *sess.* 7. *De Ref. cap.* 9. & *sess.* 23. *De Refor. cap.* 2. Cui accessit Greg. 14. 15 *Maij*, 1590. *in Cap. Cum in multis. De aetate, & qua-*

Digitized by Google

& qualit. ordinand. Oportère omnibus sacris initiatum fuisse ante *6.* menses, si fortè sacerdotium non præcessisset, collatio non esset vitiosa, estò impedita, apud Barbos. *De Potestate Episcopi, Alleg. 1. à num. 36.* Quapropter non potest consecratio protrahi vltrà tres menses, ab electione cōfirmata, sub pæna amissionis fructuum. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sunt priuati. *ex eodem loco* Trid. Quod intelligas: morbo, vel alio graui impedimēto non obstante, apud Turrecremata. *in cap. Quoniam.* 100. *dist.*

2 *Excellentia in Episcoporum cōsecratione ostenditur.*

Nec desunt prærogatiuę dignitatis Episcopalis pateferi in eius consecratione, quoad tempus, locum, & indumenta. Nam 1. Cōsecratio nisi, die Dominico facienda, quia illo die celebramus, & veneramur diem Domini N. I. Christi, cuius typum gerit Episcopus. *ex Cap. Quia in Alio, si dist.* vt notauit Bonac. *De Sacrament. p. 3. quæst. 1. num. 3.* quocirca ordinatus Sacerdos die Sabbato, poterit in Episcopum consecrari die Dominico. Immò, & Sacerdos nullo de iure prohibetur eodem die consecrari. Apud Sanchez, *in Opusc. Moral. lib. 7. dub. 15. num. 15.* — 2. Locus autem erit Metropolitana Ecclesia, vel alia ad libitum Metropolitani, ex Tridentino, *d. loco.* *De Ref. cap. 2.* his verbis: *Consecratio verò, si extrà Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.* Cōsuetudo tandem seruanda permittitur à Tridentino. Conuocati Episcopi à Metropolitano, accèderentur, vt fusè dixi *Potest. 21.* Neque facienda à minori numero, quàm à tribus Episcopis, *ex Cap. Archiepiscopus De tempore ordinationis.* Quasi à Trinitate, cuius typum gerunt illi tres Episcopi, potestas consecratiua in illo descenderet. — 3. Vestes Episcopales non minori prçcellentia fulgent, *ex Ceremonial. Episcoporum lib. 1. à cap. 1.* Sunt Epi vestes violaceę cum Rochetto, & Mozzetta, Galerus cum cordulis viridibus, & sericis: Annulus gemmatus, in 4. digito sinistrę manus. Sed extrà Diœcesim, suprà Rochettum, Mantellum, loco mozzettæ. Vtque gressus sit grauis, à Cappellano caudam sibi portare iubet. Sciens omnes homines gressus eius dinumerare.

3 *Sed quid de priuilegijs Episcopi?*

Respond. 1. Quando celebrat, vel coràm se celebrare facit in Altari portatili, vbique locorum. *ex Cap. Quoniam, vltimo De Priuilegijs in 6.* vt probaui *Potest. 43.* contrà quamplures, tenentes id derogatum à Tridentino, *sess. 22. in decret. De Obser. & euitandis in sacr. Missæ.* & est decisū *in d. c.*

2 Quando Missā celebrat, nullus eodem die, & Altari celebrare poterit, *ex Cap. in Altari. De Consecrat. dist. 2.*

3 Potest celebrare, & audire diuina, tempore interdicti, vel corām se facere celebrare. *ex Cap. quod Nonnullis, De Priuilegijs.*

4 Potest sibi eligere Sacerdotem idoneum, & discretum in Confessorem, *ex Cap. Nè pro dilatione. De Pænit. & Remiss.* vt dicam *P. post. Impot. 93.* cum limitatione versus finem, & concordat cum Decreto Sacræ Congrega-

gationis. Apud Quarant. *in Sum. Bullar. V. Archiep. Authoritas*, vbi sic: *Sanctissimus D. N. Greg. XV. Audita relatione Congregationis, declarauit: Episcopos vigore priuilegij.* in Cap. Nè pro dilatione. *Non posse sibi eligere Sacerdotem non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit, ad formam huius Decreti Concilij admissus, & approbatus ad audiendas confessiones*. Ideò videtur Priuilegium in sua Diœcesi restrictum ad suos subditos.

5 Potest assistere Inquisitoribus in rebus fidei, vel illis absentibus procedere, ex Bull. Alex. 4. apud Ricc. *in Praxi aurea*, *resol.* 203.

6 Potest esse Iudex in causa propria suæ Ecclesiæ, iuxtà sensum, *in Cap. Romana*, *De pœnis*. Apud Zeroll. *in Praxi*, *p.* 1. *V. Episcopus.*

7 Episcopo fides est adhibenda, in iudicio, & absque iuramento in rebus ciuilibus. Apud Aggiat. *De Exib. auxilij*, *concl.* 4. In rebus autem, in quibus per statutum iurare tenetur, sat erit à longè versus librũ, vel pectus manũ eleuare; *ex Cap. in Causa*, *De Iuram.*

8 Potest accusatus, non stare, sed vnà cum Iudice paulò inferiùs sedère. Apud Sell. *De Benef. p.* 1. *quæst.* 3. *num.* 13.

9 Non cogitur ad tutelam suscipiendam, Non citatur ad curiam ab Auditore Cameræ. Non flagitatur ad testimonium dicendum, non absoluit percutientes etiam leuitèr se, vel alium Episcopum. *ex Cap. Prauenit, De Sent. excommunicat*

Ostenditur prætereà præcellẽtia Episcopalis, in his, qui sequuntur: Enim verò Epi plusquam Seculari dignitate refulgent, Immò Ecclesiastica nobilitate. *ex Cap. Denique*. 4 *dist.* proptereà Trid. *sess.* 25. *De Ref. cap.* 6. præcipit: vt Episcopis tribuatur honor, vt par est dignitati. Suntque omnium fidelium magistri, vita, & doctrina docentes. *ex Cap. Quid dubitet.* Primæ Potestates in eorum Diœcesi, sicut Papa in Vrbe, (reseruatis exceptis) *ex Cap. Ad honorem, De Authoritate, & vsu pallij.* — Vocantur Præsules, Antistes, Magni Sacerdotes, & fratres nuncupati à Pontificibus, quasi illis equales, sicut Reges appellantur filii, tamquam obedientes. Principes Ecclesiarũ. Apud Ricc. *in Praxi aurea*, *resol.* 203. *num.* 2. — In lege odiosa non comprehenditur dignitas Episcopalis, benè tamen in fauorabili. *ex Cap. Dilectus*, 12. *De Conceß. Prabẽd.* — Non ligantur censura, nisi de eis specialis mensio fieret, proptereà in generali dispositione non comprehenduntur. *ex Cap. Quia periculosum. De Sent. excommunicat.* — Si casu occideretur Episcopus, in pœnã, Ciuitas illa tali dignitate priuatur, tàmquã indigna, & ignorans. *ex Cap. Ita nos.* 25. *quæst.* 2. Memorat Couarru. *lib.* 2 *variar. cap.* 2. *in fine*. Dilucidè ostendit fulgentem dignitatem. Imperator maximus excipiens S. Martinum, cu cratherem dedit, & hic non Imperatori, sed suo Præsbitero reddidit, vt in vita eiusdem Sancti. & Innoc. 3. reprehendit Imperatorem sedère facientem Patriarcham in scabello pedum suorum. Vtque denique maiori, qua decet pompa emineat dignitas, Cathedralis à Regibus, hiusque seculi Principibus, sumptibus, & diuitiis in partibus quampluribus dotata, & decorata conspicitur: vt eius approbat ornatus, lege Bellarmin. *tom.* 1. *lib.* 3.

De

P

De Episcopo permittente ædificium Ecclesiæ dotatæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest permittere ædificium Ecclesiæ, sed dotatæ.*
2 *Sed num id valet etiam pro nõ Parochialibus Ecclesiis?*
3 *Sed quid de Dote?*
4 *Sed quid de Ecclesiis piorum eleemosinis construendis?*

Potestas CCXXIV.

1 POtest Episcopus permittere ædificium Ecclesiæ dotatæ, aliàs tenetur de proprio, dotare. *ex Cap. Sicut. De Eccesiæ consecrat. & Cap. Nemo ibid. dist.* 1. Meminit Piasech. *in Praxi aurea, p. 1. cap. 4. nu.* 2. Lotter. *De Benef. lib. 1. quæst. 31. num.* 3. Ratio, tum quia sic augetur fidelium deuotio, & Dei cultus in multiplicatis domibus. Pascuntur Diuinę Scripturæ & Sacramentorum pabulo, Christi milites arcentur, atq; Sanctorũ patrociniis adiuuantur. Ex quo originem duxit distinctio Dioecesum, & Parochiarum in Ciuitatibus, vt vnusquisque accipiat commoditatem, suoque Pastore gaudeat. ex Tridentino, *sess.* 14. *De Ref. cap.* 9. Itaque vt Dei Ecclesia tamquam eius sponsa non destituatur, dotari oportet pro ornatu ministrorum, paramentorum, & luminum, sinè quibus præstari non debet consensus Episcopalis: aliàs Ecclesia corrueret, vel in direptionem laberetur, tamquam Vidua, auxiliis sufficientibus destituta, & Episcopus de suo dotare tenetur, in præsignatis iuribus, ex dictis *Potest.* 64. vbi fusiùs.

2 *Sed num id valet etiam pro nõ Parochialibus Ecclesijs?*

Resp. dicta pro inferioribus Ecclesiis, præcipuè sibi vindicare locum, quia de Parochialibus fit factus sermo *Potest.* 186. cum Trident. *ibi cit.*

3 *Sed quid de dote?*

Respond. Quia dotare est conseruare, & illi erit dotare, cui fuit placita ædificatio, ex illo: eidem erit facere, & conseruare, seù statuere perpetua Ministrorum, luminum, & paramentorum emolumenta, iuxtà magnitudinem, & exigentiam loci, Quapropter aptantur sumptus in Ecclesia pro rata seruitii, & ornatus.

4 *Sed quid de Ecclesiis piorum eleemosinis construendis?*

Respond. In dies constructionem talium Ecclesiarũ recrescere, ex deuotorum eleemosynis, & Episcopi permissione: non ex rigore iuriũ, sed eo quia sic obtinuit deuota consuetudo, defectu expensarum. Vel etiã quia videntur eleemosynę præstare totum id, quod præstat ipsa dos. Quapropterea experientia cõpertum est, quasdam Ecclesias ita ornatè manuteneri, ex christianorum eleemosynis, & deuotione in sanctos, ac si fuissent dotatæ, & meliùs

Digitized by Google

ùs si Ecclesię huiusmodi fuissent vetustiores factæ, vel a dotibus derelictæ, pilque deuotorum eleemosynis sustentatæ; laudabiliùs esset; prout experimur in dies.



De Episcopo postulante auxilium moderatum à personis ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest postulare, iusta de causa, auxilium moderatum à personis Ecclesiasticis.*

Potestas CCXXV.

1 POtest Episcopus postulare iusta de causa, auxilium moderatum à personis Ecclesiasticis *ex Cap. Cum Apostolus, De Censibus*, sic: *Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, vt si manifesta, ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeāt auxilium postulare.* Quod factum est, post generalem prohibitionem, quàm habent Episcopi imponere tallias, vel collectas Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis: Nè graues illis fiat, neuè thesaurizare in terris, videantur, cum scandalo, & tirannide in Populis. Non illi tamen ex manifesta, ac rationabili causa ad subueniē adū necessitatibus supraueniētibus, absque forma iudicii, & strepitu verborum; sed cùm charitate modo quo Pater de filiorum bonis auxilium, quidem non exorbidum, sed moderatum petere potest, ex Gloss. *in d. Cap. Sustinemus*; hoc est *Tolleramus*, — *ex causa*, & non absque ea, — *Manifesta*, idest sibi, & omnibus nota, — *Rationabili*, — & non ex libito, — *extiterit*, — *&* nō futura, Postulat cum *Charitate*, — & nō *Iustitia* — *Moderatum auxilium &* non exuperans. Videtò tamen de exigentia Quartæ decimalis, & portionis canonicæ *Potest.* 200.



De Episcopo præfigente numerum Religiosorum in Monasterijs, seù Conuentibus suæ Diœcesis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest præfigere numerum Religiosorum in Monasterijs, & Conuentibus suæ Diœcesis.*

2 *Sed quandonam facienda sit talis præfixio.*

Potestas CCXXVI.

1 POtest Episcopus præfigere numerum Religiosorum in Monasteriis, & Conuentibus suæ Diœcesis. ex Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. ac etiam exemptis, ex Bull. Greg. 13. incipit: *Deo Sacris.* 1573 Addit Tamb. *De iure Abbatiss. disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 4. In his autem quæ superioribus subiecta sunt, ab Ordinario, cum interuentione superioris Regularis; idipsū

Clem. 8. *De Reform. Regular.* incipit: *Nullus omninò*, 25. *Iulij*, 1599. §. *In vnoquoque conuentu.* Talis verò præfigendus numerus respondere debet redditibus Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis, quibus sustentari commodè possit, pro modo, & loci qualitate, nè suprà vires emolumentorum crescat numerus Religiosorum, propter quod onerata fuit Episcoporum conscientia: idipsum quoque iniunxerant B. Pius V. incipit: *Circà*. 4. *Kalen. Iunij.* 1566. Paulus .v. incipit: *Sanctissimus*, 4. *Decembr.* 1605. Greg. xv. & Vrb. 8. Omnes approbantes S. Congregationis Decreta, *sub dat.* 18. *Aug.* 1624. & Alia *De Celebr. Missarum, sub* 21. *Ian.* 1625. roborata ab Innoc. x. incipit: *Vt in paruis*, 10. *Febr.* 1654. Apud Lantusc. *in Theatro Regularium*, V. *Conuentus, num.* 14. & quod de 12. Religiosis sancitum erat, nouis tandem decretis accedentibus. *sub* 29. *Feb.* 1656. ad sex restrictum fuit, apud eundem de Lantusca. De numero statuto, & augmento Monialium, vel puellarum educandarum, satis egi. *Potest.* 69. & 70. Quibus autem non placet doctrina Sanchez, eo quia scripsit ante Bullas Clem. 8. Pauli .v. & Vrb. 8. vt aduertit Bellutus, *Opusc. Moral. resol.* 45. placeat sententia Fagnani viri valdè eruditi, *in* 1. *p.* 3. *Decret. De Iustitia. Cap. Non amplius* num. 33. vbi postquam partem exagitauit negatiuam, affirmatiuam docuit, dicens: numerum taxatiuum intelligi cum tacita conditione; nisi redditus Monasterii augerentur. Vel rebus sic stantibus, non poterit augeri; ergo auctis reditibus, augetur numerus. Mirum quippè non est, videre Fratr. Minores de Obser. in Capitulis, & congregationibus augere, vel minuere numerum præfixum, quia fruuntur concessione Pauli .v. facta Ministro Generali Archangelo de Messana, *die* 26. *Nou.* 1606. vt notauit dictus de Lantusca, *d. loco, V. Augère num.* 2. & viget in ordine, attenta conuentuum paupertate, quæ stabilem non præstat annonam. De aliis verò regularibus, non audeo dicere: posse augere, solo prætestu augmenti redditu um, absque S. Congregation. licentia, vt voluit Vrb. 8. De *Celebr. Missarum*. §. 7.

2 *Sed quandonam facienda sit talis præfixio?*

Respond. Post constitutionem Vrbanam de celebratione Missarum, in Capitulis, & congregationibus, ex declaratione S. Congregat. *in eodem Decreto, Ad sextum.* In quo de respondentia Religiosorum, vnà cum oneribus Missarum celebrandarum. Nec obstat præfixionem factam esse vi decreti Pauli .v. sed alteram fieri decreuit Sacra Congregatio; Nec Religio abstinère debet post factam præfixionem, de congruo numero Nouitiorum recipiendorum, quia possunt in alio conuentu transferri. *ibid. ad* 17.



De Episcopo præstante consensum, pro construendis Monialiũ Monasterijs.

SVMMARIVM.

1 *Epi.*

1 *Episcopus potest præstare consensum pro conseruandis Monialium Monasterijs.*

Potestas CCXXVII.

1 Potest Episcopus præstare consensum pro construendis Monialium Monasteriis, seruatis seruandis, ex Trident. & S. Cõg. decretis, apud Gauãt. *in Enchirid. V. Monialium Monasteria.* Sic habita Primò Sedis Apostol. speciali facultate. *ex Cap. vnico, De Excess. Prælat. in 6.* & Clem. *Cupientes. De pœnis.* Sine qua facultate, consensum Episcopi esse insufficientem, declarauit S. Congregatio 10. *April.* 1615. Apud Ioan. Mariã Nouar. & Barbos. *in Summ. Apost. decis. V. Monasteria. Collect.* 504. Nec obstãt priuilegia, quia reuocata ab Vrb. 8. incipit: *Romanus Pontifex*, 28. *Aug.* 1624. Nouissimè tandem ex Const. Innoc. X. incipit: *Instaurate, Tom. 4. Bullarij, pag.* 50 vbi sic: *Nè deinceps aliquis mendicantium, vel non mendicantium domos, aut loca quæcumque recipere, seù conuentus incipere, vel fundare præsumant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, &c.*

Facultate tandem speciali præmissa S. Apostolicæ, accedit consensus Episcopopalis præstandus ad formã primò traditam à Clem. 8. *Quoniam ad institutam, sub datum,* 23. *Iulij.* 1603. Quam Constitutionem habere locum in erigendis Monialium monasteriis, testatur decisum, 19. *Decembr.* 1620. Sellius, *in Selectis, cap.* 90. *num.* 4. & notauit Tamburin. *De Iure Abbatiss.* 33. *quæsit. num.* 4. præsertim quoad illam conditionem, *Nisi vocatis, & auditis aliorum, in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seù Procuratoribus.*

Paritèr seruari debent conditiones, præscriptæ à Sacra Congregatione, variis sub temporibus apud Gauant. *V. Monial. Monaster. num.* 1. in erectione dictorum Monasteriorum, quas refert Lezan. *in Summ. cap.* 25. *num.* 43. cuiusmodi sunt, quæ sequuntur.

1 Ne erigantur noua Monasteria, quibus ad minus 300. Scutorum redditus annui non assignentur pro 12 sustentandis.

2 Nec sine consensu Ordinarii loci.

3 Nec sine speciali Sedis Apostolicæ indulto.

4 Nec nisi in locis muro cintis, & vbi copia confessariorum adest, aut facultates conducendi confessarium aliundè.

5 Nè erigantur in his locis, in quibus Monasteria priùs erecta, laborant inopia.

6 Quod propè monasterium tollantur arbores altæ.

7 Quod in collocutorio nullo modo sit porta, per quam aditus sit ad Monasterium.

Sequuntur aliæ notabiles conditiones indictæ à Sacra Congregatione pro Monialium Ecclesiis.

1 Quod clauis fenestellæ pro communione Monialium, perpetuò sit pænès confessarium.

2 Ne permittatur in earum Ecclesiis cantus simplex, vel figuratus à personis secularibus.

3 Quod in Sepultura Monialium, quæ intrà clausuram est, nè sepelliantur extranei.

4 Quod si viget consuetudo sepelliendi Moniales in Ecclesia exteriori, permittatur.

5 Nè instituantur ibi confraternitates.

 Qui-

Digitized by Google

Quibus in Decretis S. Congreg. summariè adest totum id, quod attinet ad erectionem, vel constructionem Monaster. & si quod reliquum desideras. Inspice DD. citatos.

De Episcopo præstante consensum trāsferendi Monasterium de vno, ad alium locum in eadē Ciuitate.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest præstare consensum transferendi Monasterium de vno, ad alium locum in eadem Ciuitate.*

2 *Sed quid si dicta translatio fieret cum præiudicio alterius Monasterij?*

3 *Sed quid de licentia Sedis Apostolicæ in præfata translatione?*

Potestas CCXXVIII.

1 POtest Episcopus præstare cōsensum transferendi Monasterium de vno ad alium locum in eadem Ciuitate, vel Oppido, nō seruatis tot conditionibus in potestate antecedenti, vel sequenti enarratis. Ita 16. *quæst.* *vl. & Cap. Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum, in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & fratrum suorū, dimittat Presbiterum in priori loco ad ministerium Ecclesiæ.* Apud Eman. Rodriq. *Quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 13. *ar.* 7. Portell. *tom.* 3. *V. Monasterium à num.* 5. Dian. *resol. moral. p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 136. & sequuntur multi cum Aloys. Ricc. *in decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis.* 188.

Probatur: Mutare, seù transferre non est nouitèr erigere, sed cum loci variatione idipsum manère, adeoque tota vis coercitiua Conciliorum, & Bullarum cit. ad nouam, realemque erectionem, & fundationem transfunditur, vt videre est in tenore, vbi sic: *Non erigantur sine licentia Episcopi, cuia interest attendere interesse aliorum Conuentuum, & Monasteriorum, ob nouam erectionem, & introductiouem*, quę est finalis ratio, quaque cessante, cessant dispositiones Bullales, Bordon. *Controuers. Moral. contr.* 36. Nec valet retorquere sic: Concilium, & Bullas citatas non militare de mutatione, quia in illis fit mensio de licentia Episcopi; igitur in mutatione non requiritur talis licentia, in quam non valère: quia mutatio stat in manibus iuris communis, in citatis capitibus, vbi *consilium* accipitur pro *licentia.* Ideò sic dici debet: quod licentia nouę erectionis est tot conditionibus vallata, cum inuocatione interessentium; Mutationis autem, nisi ad videndum: Num in Monasterio derelicto relictus sit Præsbiter? nè remaneat spelunca latronum? Neuè mutatio sit impertinens, aliisque nociua? vt dixi de Ecclesia ædificanda in præiudicium alterius. *Potest.* 64. vel ne fieret ad locum non exemptum, per quod patet ad instantiam, Vide Const. Bonif. *in Cap. Vn. De Excessu Prælat. in* 6. vbi sermo est de mutatione, & requirit expressè licentiam Episcopi. Afferre tandem poteris concessiones Apo-

postolicas, quibus gaudent quãplurimi Regulares, vt absque dicta licentia possint de locis incõmodis, ad commodiora transferre Monasteria, & Conuentus, in eadem Ciuitate, vel Oppido; vt PP. Benedictini à Sixto.*v.* 25.*Nouembr.* 1587. cum clausula seruanda, de consilio, & consensu Capituli generalis, *Prædicatores* à Sixto 4. incipit: *Regimini Vniuersalis.* Minores ab eodem Sixto. Minimi à Iul. 2. incipit: *Virtute*, in compend. Priuilegi. quæ omnes concessiones dicuntur abrogatæ à Tridentino, Estò sit lucta *DD.*& ex parte affirmatiua defenduntur non abrogatas. Apud Miranda. *Man. Pral. tom.* 1.*quæst.* 33. *ar.* 3. Tandem multi apud Lezanam *in Summ V. Monast. Regul. num.* 33. expressè negatiuam sustinent sententiam, & non requiri in translatione in eodem loco, secùs in noua erectione, pro qua, requisita, & solemnitates pręfatæ pręire oportet. Lezana, *ibid.*

2 *Sed quid, si dicta translatio fieret in præiudicium alterius Monasterij in eadem Ciuitate?*

Respond. cum Lezan. *d. loc. in fine*, requiri solemnitates, proùt in erectione nouorum conuentuum, ob rationem motiuam bullarum, quarum finis viritìm stat, quando præiudicium infertur tertio. Mensurari tamen oportet pręiudicium, non ad libitum Clamantis Monasterii; sed ab Episcopo, cui videre erit: Num diminuerentur emolumenta clamantis, redditus, & concursus Populorum, ex quibus alitur Monastęrium. Etenim fauor, & commoditas vnius non debet præiudicare essentialitèr alterum. Audiui enim intentum PP. Benedictinorum Messanæ, volentium transferre Monasterium S Mariæ Maddalenæ propè Monasterium Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci, & effectus non fuit sortitus ob priuilegium, quo gaudent minores de non ædificando Monasterio intrà spatium, 300. cannarum per aerem mensurandarum, vt dicam *Potest. sequenti.*

3 *Sed quid de licentia Sedis Apostolicæ in præfata translatione?*

*Re*spond. His nostris temporibus non requiri, præsertim si talia Monasteria post Bonif. 8. & Clement. 5. Regulares acquisierunt. Ratio; licèt *in Cap. Vnico, De excessu Prælat. in* 6. *& Cap. Cupientes, De Pænis.* requiritur id intelligendum de mutatione illorum, quæ tempore dictarum constitutionum Mendicantes habebant, non verò de illis postea acquisitis, ex verbis in illis (*Hactenùs recepta mutare*) ergo de receptis, non verò recipiendis. Adeoque fundata post ann. 1300. circitèr non comprehenduntur; Neque si translatio fieret ad ducendam vitam hæremiticam in vallibus, ex Gloss. *in eodem Cap.* vt notauit Lezan. Neque demum ad extendendum, ampliandumque Conuentum requiritur facultas Ordinarii.



De Episcopo præstante consensum pro construendis nouis Cõuentibus in sua Diœcesi.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest præstare consensum pro construendis nouis Conuentibus in sua Diœcesi.*

2 *Sed quid de Monasterijs Monialium?*

Potestas CCXXIX.

1 POtest Episcopus præstare cõsensum pro cõstruendis nouis Conuentibus in sua Diœcesi, ex Trident. 25. *De Regul. cap.* 3. vbi sic: *Nè de cætero similia loca, tàm mulierum, quàm virorum sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta*; & sequitur determinationem factam, *seß.* 21. *De Reform. cap.* 4. *& cap. ad Audiendam de Ecclesiis ædificandis*, ita notarunt multi cum Stephan. Vveyms. Apud Barbos. *in Collect. ad Trident. in cit Cap. num.* 14. Verùm consensus Episcopalis præstandus erit post habita facultate S. Apostolicę, *in Cap.* 1. *De Exceß. Prælat. in* 6. Clem. 8. Vrb. 8. Nouissimè Innoc. x. incipit: *Instauratæ*. Quibus duabus facultatibus habitis; antiquitùs obseruabatur distantia cannarum vnius ab alio, ad vitandam alterutrius conturbationem, vt voluerat Clem. 4. incipit: *Ad Consequendum* 3 co. distare vnum ab alio, quãque idem reduxit ad 140. cannarum, per aerem mensurandarum, quam secundam restrictionem noluit Iul. 2. incipit: *Exponi nupèr*, Fratribus Minoribus nocère, sed stare voluit primæ dispositionei, *Sorb. De Priuileg. Mendic. V. ædificare*. Hodiè tandem attendendæ sunt Bullæ recentiores, quibus cedunt antiquæ, vt docet Bordon. *in Cõtrouers. Regul. Controuers.* 36. *nu.* 32. De præstando, & obtinendo consensu ab alus Religiosis. Ideò 1. adest Bull. Clem. 8. incip. *Quoniam ad institutam*, 23. *Iul.* 1603. vbi sic: *Declaramus locorum Ordinarios: non posse licentiam ad nouos Conuentus etiam Mendicantium erigendos impertiri, nisi vocatis Prioribus, seù Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa cognita, constiterit, nouos Conuentus erigendos commodè sustentari posse*: Quam constitutionem Gregor. 15. incipit: *Cum aliàs* 17. *Aug.* 1621 confirmauit, & ampliauit sic: *Nullam domum, seù Conuentum erigi posse, nisi forma seruata* Clement. 8 *& in eo saltem.* 12. *Patres, ex consuetis eleemosynis sustentari valeant*. Ad quod accessit Decretum Vrb. 8. *De Celebrat. Mißarum*, ex Constit. Greg xv. sic: *Si quæ verò licentiæ facultates, & indulta extiterint, vt absque licentia Ordinarij erigerentur Conuentus*. Vltrà tacitam in Concilio, habere voluit expressam reuocationẽ. Vrb. 8. incipit: *Romanus Pontifex*. Voluit seruari formã Clem. 8. vt infrà. Nouissimè tandem Innoc. 8. incipit: *Instaurata*. 16. *Febr.* 1654. Vbi de paruis Conuentibus, eorumque suppressione, & erectione. Quamplurima insupèr emanarunt Decreta, ex S. Congregatione 27. *Iulij*, 1655. approbata ab Alexand. 7. refert Lantusca, *in Theatro Regulár.* Ad delucidandam dictam Constitutionem, quam mihi non est adducere, quia non de suppressis, sed de nouitèr erigendis sermonem præ manibus habeo. Num denique requiratur licentia Papę, etiam in illis Regularibus facultate præditis ante Tridentinũ,

Digitized by Google

vt absque licentia prædictę sedis possint construere Conuentus. Vnum resoluam nostris his temporibus, facultas demandari. Ecce verba Vrb. 8. *Ordinum etiam non mendicantium*, Igitur vtrumque amplecti voluit, & sequitur. *Interdicimus, & prohibemus, nè licentiarum, seù facultatum, per nos, vt præfertur reuocatarum, & annullatarum, siuè alio quouis prætextu, vel causa etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Conuentus, & alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia S. Canonum, & Concil. Trid. Nec non Constitutionibus feleis record.* Clem. 8. quę incipit; *Quoniam ad institutam, ac decretorum, de mandato eiusdem Clem. nec non fel. memor.* Greg. 15. ergo securiùs, & in praxi ponenda, hæc est potiùs, quàm opposita.

2 *Sed quid de Monasterijs Monialium?*

Respond. Proculdubio adhùc dicta procèdere de his quoàd licentias Sanctæ Sedis, & Ordinariorum. Immò in erectis absque licentia Ordinarii posse celebrare decreuit S. Congregatio. . . . *Aprilis.* 1615. *in vna Vicentina*, refert Barbos. *in Collect. Bullar. V. Monasteria Monialium.* Illud verò de partium, seù interessentium vocatione, omninò seruari censuit S. Congregatio, 19. *Decembris*, 1620. Quod denique, 12. Religiosi viuere possint, & distantiam mille passuum, non esse obseruandum, ex apertis verbis Greg. 15. vbi de viris Religiosis, docuerunt cit. DD.

Demum, si nulli erunt Regulares in loco, vbi erigendum erit Monasterium, consensus erit petendus, & præstandus ab incolis illius Ciuitatis, vel loci, ex mente Greg. præfati: xv. apud Cauant. *in Enchyrid. V. Regularium Monasteria, num.* 5. *Quod si quis processeris prætextu licentiarum reuocatarum, sciat se incidisse in excommunicat. ipso facto incurrendam, & pænam priuationis officiorum, & inhabilitatis.*

De Episcopo procurante Clausuras Moniali㝸 inuiolabiliter seruari.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest procurare clausuras Monialium inuiolabilitèr seruari.*

Potestas CCXXX.

1 Potest Episcopus procurare clausuras Sanctimonialium inuiolabilitèr seruari, ex Tridentino, *sess.* 25. *De Regul. cap.* 5. ex Const. Bonif. 8. incipit: *Periculoso*; vbi præcipit *Episcopis, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt in omnibus Monasterijs sibi subiectis, ordinaria; in aliis verò Sedis Apostolicæ Authoritate clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit diligentèr restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent.* Quam sanctam constitutionem firmarunt B. Pius V. incipit: *Circà pastoralis Officij,* 5. *Iun.*

Digitized by Google

5. *Iun.* 1566. & Greg. 13. incipit: *Deo Sacris.* 29. *Decembris*, 1572. Ex variis igitur Sacræ Congregationis decisionibus, apud Sperell. *in decis.* 97. *num.* 27. Quoties expedire iudicauerit, poterit clausuras Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ingredi, ad ipsam visendam; hoc dico; non simplicitèr, hoc est ad simplicem, & irrationabilem voluntatis motum, sed fundatè ad notitiam violatæ, vel de proximo violandæ clausuræ. Siuè in visitatione, siuè extrà habitam. contrà Bonac. *De Clausur. Religios. quæst.* 1. *p.* 6. & Mirand. docentes: in eo dumtaxat casu quo constaret publicè violatam esse, non enim debet expectare factum esse, quia simul tenetur inuiolatam conseruare, & violatam resarcire, ex apertis verbis Tridenti. Ingresso igitur Episcopo, ea, quę ad clausuram spectat ordinare poterit, sibi contradictores punire vi Tridentina, & S. Congregat. decretis, apud nostrum Lantusca, *V. Clausura Monialium, num.* 12. huic potestati iuuat vidère dicta, de visenda clausura. *Potest.* 219. seù meliùs *Potest.* 268.



De Episcopo procurante omnia pignorata à suo Antecessore.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest immò tenetur procurare omnia pignorata à suo Antecessore.*

Potestas CCXXXI.

1 POtest Episcopus procurare, immò tenetur, omnia pignora à suo antecessore. Multi apud Rodoan. *De Spolijs Eccl̃siast. quæst.* 10. Explicatur simul, & Probatur sic: Si Antecessor pignorauerit res Ecclesiæ in sui sustentationem, vel alia simili occasione; tenetur illas depignorare successor, vel soluere expensas à suo antecessore factas, tamquam hæres factus omnium illorum, quem reperit in Episcopatu, in fauorem rerum ecclesiasticarum, & sicut est paratus ad bona recipienda, ita ad damna reparanda; modo quo hæres reperit expensas per testatorem de sua hæreditate factas, ita repetere debe. de suo patrimonio expensas factas pro Ecclesia, vel sustentatione sui Prælati Antecessoris. Nec nouum videatur Successorem stare damnis; quia, sicut stat pro emolumentis; ita pro expensis, Adeò quod pignorata de se clamant reuocari ad propriam Ecclesiam, aliàs de pigritia Prælatorum dicerentur deperdi, seù alienari in damnum Ecclesiæ notabile, quod abhorrent iura Ecclesię.

Dicet quis: Pignora facta fuisse in præiudicium sui successoris. Respond. Nequaquam si de pignorum expensis crassata fuit Ecclesia, vel sustentatus eius Prælatus, quia nomine dignitatis, & nō personę operatus fuit antecessor; & meliùs, si pignoratio facta sit de capituli assensu, cuius factum màgis tenet. vide *Potest.* 216. ex variis decis. Rotæ, apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 120. Successor in Episcopatu tenetur ad pensiones decursas, & non solutas, tempore

præ-

predecessoris, constita diligentia facta à pensionariis, quod facilitat negotium presens.

De Episcopo prohibète pulsare campanas non benedictas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest prohibère campanas non benedictas, pulsari.*

Potestas CCXXXII.

1 POtest Episcopus prohibère campanas non benedictas, pulsari. *Ità S.* Congregatio Rituum *in vna Abrutina, 5. Iul. 1614.* refert Barbos. *De Episcopo Alleg. 27. num.* 48. in fine. Vsus benedicendi, seù vt aliàs vocant baptizandi cāpanas, habetur ex Concil. Colon. *Tit. De Const. & consuetudinibus cap.* 14. & recensitur à Gloss. extraord. *Quicunctis, De Officio Custodis*, vbi voces campanarum his duobus carminibus exploduntur.

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum.
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Quibus addit Concilium, institutas esse campanas, vt earum voces timeant Demones. Repellantur hostes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, & ventorum flamina suspendātur, quæ ōnia non naturali virtuti, sed benedictioni ascribuntur. Propterea de necessitate præcepti campanæ benedicuntur, tum ad prætanda dicta beneficia, tum ad calcādam Caluenistarum opinionem. Ab Episcopo quidem, vt patet ex Pontificali, Rubr. *De Benedictione campanarum*, Sic suspendi debet, vt commodè possit intus, & extrà tangi, tractari, & circumiri. Ecce verbum, *debet*, quod importat necessitatem precepti. Apud Farinacc. *p. 1. tit. 1. dec. 79.* — Ad tollendas igitur DD. controuersias, Campanæ, vel sunt fabricatæ ad vsus profanos, vt vocetur Populus ad arma, ad exequendas sanguinis causas; & huiusmodi ponuntur in Turribus, Castellis, aliisque similibus locis. vel ad vsus sacros, ad executionē ritus Ecclesiastici, & hæ ponuntur in campanili Ecclesię; ideò primi generis non benedicuntur, quia Ecclesia mitis sequens mansuetudinem Christi abhorret illorum vsus, secundi verò generis vult Ecclesia benedici, & consecrari, ad beneficium, & commoditatem totius Populi Christiani. Nè igitur turbetur alterutrorum vsus, poterit Episcopus interdicere sonitum illarum primi generis, presertim quando benedictæ pulsantur; adeòque ad conseruandum liberum vsum benedictarum. Cōcil. Lateran. *sess. 2. sub Leon. x.* prohibuit campanas pulsari in Sabato Sancto, ante Cathedralem, & in Diœcesi ante Parochialem, quod non obseruatur in campanis minoribus intrà Ecclesiam, ex Sacra Congregatione, *9. Febr.* 1608. apud Piscar. *in Praxi Caeremon. lib. 3. sess. 8. cap. 4. num.* 6. Trullench. *lib. 16. cap. 27. nu.* 98. Vide *Potest.* 40. vbi de benedictione; si qui verò habent priuilegium benedicendi vestes sa-

cras, Paramenta, Ecclesias, & Cæmeteria, nostris hisce temporibus, intelligitur cum limitatione, prçter calices, & campanas.



De Episcopo prohibente laicis superfluos ornatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest prohibère laicis superfluos ornatus.*

Potestas CCXXXIII.

1 POtest Episcopus prohibère laicis superfluos ornatus Ita Michael Agia, *in Tract. De Exhibendis Auxilijs fund.* 18. Apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 107. *num.* 35. Virorum, atque mulierum ornatus superfluos profanos, & lasciuos maximè ad ludos, turpia, & inhonesta excitantes prohibet Episcopus tamquam Iudex criminum, & peccatorum, dissipans vitiorum semina, & dispositiones ad Dei offensam; adeoque expedit Iudici Ecclesiastico, *ex Cap. Nouit. De Iudicijs*; omne crimen prohibère: vt in sua Dioecesi scandala, occasiones, cunctorumque malorum causæ eradicentur, virtutes, vtque obseruantias Christianæ fidei seminentur; verè.n. dicti ornatus sunt currus, & auriga damnationis. Nil enim eò excitatur homo ab peccatum, quam deprauatos mores. In ornatus mulierum videndo. Eù hodiè quàm corrupti mores, in vestitu, cibo, & gressu; vt vix dignosci possit Nobilis, à Plebea, eorũque luxus, qui regnant, præcipuè festiuis diebus, in quibus Episcopus vitàre, & prohibère debet, si muneri imposito satisfacere vult.



De Episcopo prouidente de Vicario in Parochia, pro Vacantia Rectoris.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest prouidère de Vicario in Parochia, pro vacantia Rectoris.*

2 *Sed quid vbi nullus sit, qui onus subire voluerit.*

Potestas CCXXXIV.

1 POtest Episcopus prouidère de Vicario in Parochia pro vacantia Rectoris. Ita disponente Trident. *sess.* 24. De *Reformat. cap.* 18. refert Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 53. *num.* 81. *&* *Alleg.* 60. *à num.* 1. Verba Tridentini sunt: *Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum, in ea Vicarium cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur.* Itaque disponit Concilium, quod habita notitia vacationis per obitum, Resignationem, priuationem, vel exilium, tenetur Episcopus prouidère de Vi-

Vicario, qui immorari nequit vltra 3. menses ad summum, vt asserit Massabr. *De Requis. 1. dub. 13.* — 1. Nec opus est examinari, modò idoneus supponitur. — 2. cum congrua, quæ non excedit vltrà duos aureos, singulis mensibus, perpensatis qualitatibus personæ, beneficii, & loci, *ibid. dub. 25.* — *donec de Rectore*, &c. cuius sensus est, deputationem factam, absque causa graui non posse desinere, vsque ad prouisionem Rectoris, quod enim semel placuit, ampliùs displicere nequit, *Ex regul. iuris in 6.*

2 *Sed quid vbi nullus sit, qui onus subire voluerit?*

Respond. Sæpè casū accidere posse ob inopiam Sacerdotum, vel insufficientiū. Tunc enim poterit Episcopus viciniori parocho parochiam commendare, vel aliis per hebdomadam, hoc tamen pacto, vt die, noctuque non destituatur Animarum cura, absentia vice pastoris. Si autem Vicarii nominatio ad beneficiatos pertinet, Episcopus poterit pręfigere x. dierum terminum, ex Bulla B. Pii .v. incipit: *Ad exequendum*. Addit Concilium. Si opus fuerit. Nam in casu quo Ministri Rectoris mortui, pręstare poterunt interea curam Animarum, non erit opus Vicarium constituère. Immò apparet ex Concilii verbis: Ecclesiam non esse destituendam, in Animarum detrimentum, sed subueniendam per Ministros idoneos, quibus deficientibus opus erit Vicarium constituere.



De Episcopo prouidère idoneos Ministros in Sacramētorum administratione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest prouidère idoneos Ministros in Sacramentorū administratione.*

Potestas CCXXXV.

1 POtest Episcopus prouidère idoneos Ministros in administratione Sacramentorum. Quia septem esse Arcana, seù Sacramenta, quibus Deus mirabilitèr operatur in Ecclesia, suósque fideles; quorum alterum diuersam materiam, & formam, seù diuersis locis, & temporibus, sibi vindicare videtur, oportet diuersos Ministros idoneos applicare, præter id, in quo conueniunt Ministri inter se. Nam omnes Sacerdotes idonei sunt ad sacrificandum, sed non omnes ad absoluendum, vngendum, vel matrimonii Sacramento assistendum. Propterea Episcopus ob alterutrorum exigentiam, aptare debet Ministros idoneos, & iuxtà eorum aptitudinem prouidère. Et quia quinque sunt Sacramenta ab inferiori Sacerdote ministranda videlicet: Baptismus. Pęnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, & Matrimonium. Par erit reperire quinque Ministrorum genera, vel omnes in vno, ad ritè, sanctèque ministrandum, vt per se, vt sunt Parochi, vel per alios, vt sunt Coadiutores, sciant quid equum erit: sintque benè instructi de materia, forma, intentione, tempore, loco, solemni-

nitate, aliisque requisitis ad sanctè ministrandum.

Enim verò Minister Baptismi assumptus ab Episcopo, vel Sacerdos, de Parochi licentia, in sua Parochia sciat: Materiam esse aquam naturalem, non verò mixtam, seù ex floribus distillatam; formam verò. *Ego te Baptizo, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Non verò in nomine Christi, vel SS. Trinitatis. Intentionem eam esse oportet, quā habet S. Mater Ecclesia in tali munere, & sufficit virtualis, non verò habitualis, vel interpetratiua, ex communi DD.

In ministrādo Sacram Eucharistiam, quilibet Sacerdos decentèr, & honorificè, *ex Cap. Sanè De Celebr. Missarum*, est idoneus, modo non sit aliqua censura irrètitus, & omni tempore (*Die Paschatis excepto*) Particulas illas, vnà cū hostia Sacrificii cōsecratas, vel de ostiolo acceptas singulis, si gulas ministrare poterit. Paritèr infirmis die, noctuque, absq; Ieiunii nota, deferendam, decenti tamen apparatu, velatam *ex eodem Cap. Sanè.* cū processione, & luminibus, prout vsus obtinuit, in obseruantiam catechismi, & Ritualis Romani.

Pro Pęnitentię Sacramento, Ministri idoniores sunt assumendi exemplo, & doctrina pollentes, quique sint Iudices, & Arbitri inter Deum, & homines, distinguētes lepram à lepra, & quia iurisdictionem in foro interno iudicialē exercent; propterea vigiles esse oportet, in materia, specie, malitia, grauitate, leuitate, & reseruatione peccatorum, quęque censurata, dubia, certa, integrè confessa, cum cordis contrictione, vel attrictione, quæ consistit in dolore offensæ, Deo factę cum proposito in posterum non offendendi. Atque præmissa si opus fuerit satisfactione, proferre debet formā. *Ego te absoluo*. Medicus pariformiter debet esse Confessarius curando criminum plagas, applicando frigida calidis, & calida frigidis, animando infirmum, cuius Deus non vult mortem, sed vt magis conuertatur, & viuat. Si quis verò pænitens indispositus fuerit, prout casus acciderit, abstineat ab absolutione, donec sit parère paratus. In articulo verò Mortis, sciat absolutionē posse impēdere ad nutum, vel vocationem infirmi, qui integram poterit facere confessionem formaliter, & si nō materialitèr. Nec absolutionē retinere, quia tunc nulla reseruatio.

Pro Extremę Vnctionis Sacramento, Parochus, seù alii de illius facultate sciant: materiam esse oleum oliuę ab Episcopo benedictum, quo vngere debent, infirmi potentias, visus, auditus, olfactus, os, manus, pedes, & renes. Repetendo formam singulis membris. *Per istam Sanctam Vnctionem, ✠ & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per N. deliquisti. Amē.* Vsus talis vnctionis est, postquam Eucharistiam sumpserit. Sed laudabiliùs docet Becan. *De Sacrament.* antea, quia ad reliquias peccatorum purgandas est institutum. Tu autem vsum tene, & Rituale obserua. Neque id repetas eadem in infirmitate. N si re incideri in mortis periculum.

Pro Matrimonii Sacramento, Parochus præmissis denunciationibus, ad impedimenta, tùm impedientia, tùm dirimentia, purgāda in spōsalibus, sponso, & sponsę

in

Digitized by Google

in debita ætate constitutis benedictionem Ecclesiæ impertitur, cum annuli benedictione ad præscriptum Ritualis Romani, *Titulo De Sacram. Matrim.* In quo accuratè inspicienda erunt: Arbor consanguinitatis, & cognationis spiritualis. Copula licita, & illicita, in linea recta, & transuersali, nè error accidat in impedimentis iure canonico sancitis, neuè celebretur Sacramētum tēporibus prohibitis, de quibus *Poteſt.* 46. Pro vagis autem, & peregrinis fas erit recurrere ad Ordinarium.

Demum in reliquis, Clericos esse oportet in suo gradu ministrantes, tamquam membra suo capiti concordes. In administratione verò Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, Episcoporum est, præ oculis semper habere Ministros idoneos.

De Episcopo puniente Seculares, absque licētia accedentes, & alloquentes Moniales in Monasterijs, etiā exēptis suæ Diœcesis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus poteſt punire Seculares quoscumque accedentes, & alloquentes Moniales absque debita licentia.*

Poteſtas CCXXXVI.

1 POteſt Episcopus punire Seculares quoscumque, tàm laicos, quàm Ecclesiasticos, absque debita licentia accedentes, & alloquentes Moniales, vel alias personas intra septa degentes, in Monasteriis suæ Diœcesis, *ex Cap. Periculoso. De Statu Regularium in 6. Cap. Monasteria. De Vita, & honeſtate Clericorū.* vbi vetitus fuit accessus, & frequentia, tàm laicis, quàm ecclesiasticis. Ita sustinent Bonac. *De Clausura*, P. 3. 4. *p.* 1. Dian. P. 3. *tr.* 2. *resol.* 48. Summa, *V. Acceſſus.* In executione tamen legis Papalis, ferè vbique estat Constitutio Episcopalis, sub excommunicatione, nè quis ad Monasteria etiam exempta, vt dixi fusiùs *Poteſt.* 31. accedere audeat. Dixi exempta, quia Episcopus per Trident. *ſeſſ.* 21. & 25. *De Regul. & Monial. cap.* 7. & 8. facti sunt Sedis Apost. delegati pro Monialium seruanda clausura, vt benè notauit Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 102, *num.* 74. Verba autem in supradictis capitibus sunt: *Arceantur, Moneantur, & Suspendantur*, vt retuli *Poteſt. cit.* 31. *ſub num.* 1. quod est fundamentum potestatis punitiuæ.

Nota tamen terminos prohibitionis, *Accedere, frequentare, & Alloqui*; quorum primi propter Allocutionem prohibentur, ideò accedens, & frequentans sine allocutione non est puniendus ad metam contrauentionis, sed scandali, quod sæpiùs euenit in frequentatione vetita, *in d. Cap. Monaſteria*, ex quo, si Clericus frequentaret, & monitus non desisteret, erit suspendendus ab Episco-

Digitized by Google

scopo. Immò poterit excommunicari, *ex Cap. Clericus, ibid.* Neque permittitur accessus ad crates cum prętextu docēdi sonum, vel musicam, ex S. Congregat. 17. *Septembr.* 1583. Gauant. Enchirid. V. *Monialium Alloc. à n.* 4. Pro Patribus autē, & Matribus Monialium, extrà dies prohibitos non requiritur licentia, ex S. Congregat. 15. *Ian.* 1616. idipsum pro Monialium filiis, eadem 15. *Martij.* 1619. Gau. *ibid n. 7. & 8.* Incurrere docent: Alloquētes de domo vicina, etiam per nutus, vel signa DD. Apud Dian. *P.* 10. *tr.* 14. *resol.* 50. adhùc cū Côuersis. Sūm. *Dian. V. Accessus. num.* 3. Collige ex dictis: citatam potestatem punitiuā omnium exterorum accedentium, & alloquētium Moniales, fundatam esse in contrauentione legis Papalis, & Episcopalis.

De Episcopo puniēte Regulares accedentes, & alloquētes Moniales, etiam exemptas, absq; debita licētia in Monasterijs suę Diœcesis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest punire Regulares absque debita licentia accedentes, & alloquentes Moniales in Monasterijs sua Diœcesis.*

2 *Sed quid de Regularibus alloquentibus Moniales exēptas eiusdem ordinis?*

3 *Sed quid de Superiori locali?*

4 *Sed quid de pœnis Regularium alloquentium?*

Potestas CCXXXVII.

1 POtest Episcopus punire Regulares accedentes, & alloquentes Moniales, absque debita licentia, in Monasteriis etiam exemptis. Ita *ex Iuribus citatis Potest. antecedenti.* & Constitut. Greg. xv. Incipit: *Inscrutabili. nonis Februar.* 1622. Nouissimè Alex. 7. Incipit: *Sacrosancti.* & Decreta S. Congregat. sub Clem. ix. 11. *Maij.* 1669. quę omnia clamant in fauorem positæ potestatis. Vide Doctores citatos *Potest.* 21. & 127. vbi fusiùs de allocutione, & pœnis contrà transgressores. Prohibitum omninò antea fuit omnibus Regularibus, accedere, & alloqui Moniales absq; licentia S. Congregat. sub pœnis priuationis officii, vocisque actiuę, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem S. Congreg. arbitrio, de mandato Sixti .v. *nonis Maij,* 1590. quod fuit sub Vrbano 8. ab eadem Sacra Congregatione, *sub die Kal. Decembris* 1623. moderatum, in quo tributa fuit facultas Ordinariis locorum, vt possint per quatuor vices ad summum concedere, quolibet anno, cuicunque Regulari, vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniūtas possit alloqui, diebus festiuis, Sabato, & Vigiliis, aut in Aduentu, & Quadragesima exceptis, vt per extensum notaui *Potest.* 31. cui successit aliud de *Anno* 1624. ad Const. Greg. xv. Vbi: Regularis alloquens à Diœcesano tamquam Sedis Apostolicæ delega-

to

to coerceri, & puniri potest. De modo autem puniendi Regulares transgressores alloquentes, me refero dictis *Potest.* 114. vbi fusiùs.

2 *Sed quid de Regularibus alloquentibus Moniales exẽptas eiusdem ordinis?*

Respond. Incurrere, ex Decreto S. Congregationis. Apud Barbos. *in Collect.* 513. *num.* 9. & vigore Greg. xv. *De exemptorũ priuilegijs*, & magis habere locũ voluit S. Congregat. sub Vrb. 8. in omnibus Regularibus absque debita licentia accedentibus, & alloquẽtibus Moniales exemptas. Quod etiam procedit de Vicario Conuentus, nisi in absentia Prioris, vel Guardiani, ex Sacr. Congregatione 1. *Septembris*, 1617. Apud Sell. *in Select. cap.* 35. *num.* 13.

3 *Sed quid de Superiori locali?*

Respond Non incurrere, ex decis. S. Congregat. 20. *Iul.* 1640. 21. *Nou.* 1641. quod seruari videtur in omnibus locis: vt notat dictus Lantusca *in Theatro v. Alloquutio. Vide Potest.* 31. *sub num.* 1. Incurrunt prætereà excommunicationem hanc cõminatam à S. Canonibus, latamque per edicta Episcoporum. Alloquentes de domo sua vicina, Ratio, quia accessus est prohibitus propter allocutionem, sic tenet Henriq. *lib.* 13. *cap.* 26. Alloquentes autẽ, cũ monialibus non respondentibus. Vel si monialis sola loqueretur, DD. rixant. *idem ibid.* — Neutiquam autem incidere dicuntur scribentes litteras, Homobon. apud Dian. P. 3. *tr.* 2. *resol.* 48. Incurreret tandem ille, qui colloqueretur per quadrantem horæ, cum dimidio, immò per quodcũque modicum temporis spatium, per Decretum nouissimum Sacræ Congregat. sub Clem. 9. *citatum num.* 1.

4 *Sed quid de pœnis Regularium alloquentium?*

Respond. Attentis Sedis Apostolicæ dispositionibus, & S. Cõgregat. decretis, hucvsque citatis ex vna. Et priuilegiis regularium exemptorum, vt non possint excommunicari, ab Episcopo ex alia, sic resoluere placuit: Nulli dubium esse Regulares transgressores p. m. labem incurrere & priuationem officiorum, vocisque actiuę, & passiuę, ex Decreto S. Congregat. 1. *Iul.* 1606. & Altero, *nonis Maij.* 1590. quòad censuram adhùc incurrere, quia non simpliciter latam ab Episcopo, sed à Sede Apostolica, cuius ipse est Delegatus constitutus. *Itaque* transgressore reperto, debet, & tenetur Episcopus ad suos Superiores remittere, tamquam delinquentem extrà claustra iuxtà formam Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. roboratam à B. Pio .v. incipit: *Circà Pastoralis.* & Clem. 8. incipit: *Suscepti muneris*, quibus concordant nouissimè dispositiones, & Decreta; Ecce verba vltimi Decreti, sub Clem. 9. *Qui ad Monasteria Monialium, quamuis ab Ordinarij iurisdictione quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subiecta, vel aliàs speciali mentione digna, absque legitima facultate, accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium, cum Monialibus, aut alijs intrà Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excõmunicationis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque contrà Regulares accedentes, sine licentia ad Monasteria Monialium: statutis pœnis, posse ab Ordi-

dinario, tamquam Sed. Apostolicæ Delegato, coerceri. Quam declarationem seruari iussit, & approbauit Clemens .ix. *7. Iunij, 1669.* Cui accessit Neapolitana iurisdictio, in controuersia inter Emin. Caracciolũ Ordinarium: & Dominum Nuntium, decis. à Sacra Congregatione, *sub 16. Nouembris, 1669.* sic: *Posse Ordinarium punire; & nec teneri remittere ad Nunciaturam; sed ad Superiores:* proùt fuit exequtum.



De Episcopo puniente pænitentiarium recusãtem audire cõfessiones vndèquaque ad se accedentium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest punire Pænitentiarium, recusantem Confessiones audire.*

Potestas CCXXXVIII.

1 Potest Episcopus punire Pænitentiarium recusantem cõfessiones audire, omnium ad se vndèquaque accedentium ex Diœcesi. Ita decisum fuisse testatur Aloys. *Ricc. in Praxi fori Eccles. resol.* 477. & Nicol. Garc. *P. 5. cap.* 4. *num.* 118. refert Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi. Alleg.* 55. *num.* 26. & quia de Pœnitentiariis cathedralibus, eorumque constitutione, munere, & prębenda abundè dictum est *Potest.* 113. hìc tantummodò de pœna, ipso recusante, & negligente, & quia de iure antiquo, & Trident. Pænitentiarius est Ordinarius cõfessarius in tota Diœcesi, paratus audire omnium, & singulorum confessiones, cum assignatione præbendæ; ideò sui muneris deses, vel recusans potest ab Episcopo puniri, tamquam desertor sui instituti, immò iustitiæ violator ob præbendã, & ad metam negligentiæ puniri, vel priuari, tamquã contraueniens fini principali, & primario suæ institutionis.



De Episcopo puniente, & inquirente crimina in sua Diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest punire, & inquirere crimina in sua Diœcesi.*

Potestas CCXXXIX.

1 Potest Episcopus punire, & inquirere crimina in sua Diœcesi, à quibusdam commissa, *ex Cap. 1. De Officio Ordinar. & Cap. Conquirente*. Ratio quia Episcopus est Iudex constitutus ad correctionem, & reformationem sibi crediti gregis, quorum salus de Episcopi manibus est requirenda; ideò more *Iudicum* seculi, potest inquirere, & punire criminosos, & debitis afficere pęnis, extrà conscientiæ forum in exercitium suæ iurisdictionis, proùt dixi abundè *Potestatibus* 197. 194.

Digitized by Google

194. *De Regularibus Poteſt.* 196. & de exequtione dictæ iuriſdictionis puniendi, & carcerandi *Poteſt.* 198. Cauſæ denique inquirendæ ſunt piæ, & ſpirituales, puta pertinentes ad Fidem, Religionē, & Sacramenta, vel Adulteria, ſacrilegia, concubinatus, vſuræ, ſortilegia, blaſphemię, periuria, ſodomiæ, inceſtus, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, violationes Monialium, & clauſurarū, quæ omnia cognoſci debent à Iudice competente, cuiuſmodi eſt Epiſcopus, vt docuit Petrus Greg. *in d. Cap. Conquirente, cap.* 6. Ioſeph Vela, *in tract. De Poteſt. Epiſcopi, P.* 1. *num.* 43. Ab aliquibus tamen defenditur: huiuſmodi crimina eſſe mixti fori, & dari locum præuentioni, ideò currere pro vtroque Iudice. Apud Molina *De Brachio Seculari, lib.* 1. *cap.* 4. & Dian. P. 1. *tr.* 2. *reſol.* 88. Alii demum dixerunt Epiſcopum habere ſimplicem audientiam, & non poteſtatem, ergo prædicta, ſed vtrorumque ſententiæ minantur neruis eccleſiaſticis, *in Bulla cenæ*, lege Barboſ. *De Officio, & Poteſt. Epiſcopi, Alleg.* 107. *num.* 37.

De Epiſcopo puniente plus æquò victoualia vendētes.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus poteſt punire, corrigere, immò excommunicare victoualia plus æquò vendentes.*

Poteſtas CCXL.

1 POteſt Epiſcopus punire, corrigere, immò excommunicare, victoualia plus æquò tranſeuntibus vendentes. Ita *ex Cap. Placuit, De Emptione, & Vendit.* iuncta Gloſſ. Hęc poteſtas coercet laicos, nam clerici prohibentur negotiari. *Cap. Conſequens* 88. *diſt.* quia timent flagellum Saluatoris, qui eiecit vendentes de Tēplo 2. *ad Thimot.* 2. vendentes cariùs alienigenis vectoualia, pharmaca, merceſque falſas pro bonis, cum tanto reipublicę detrimento ob quod ad reſtitutionem tenentur ex D. Thom. 12. *quæſt.* 96. *ar.* 4. Enimuerò prætium taxatum à Principe, vel Magiſtratu, non poteſt augeri ad libitum vendentium, quia indamnum cederet Reipublicæ. Aliàs ſibi vſurparent Principis poteſtatem, violādo iuſtitiam publicam, ideò tamquam communitatis damnificatores, & 7. præcepti violatores, denunciantur Presbitero, (ideſt Epiſcopo) *ex textu* 95. *diſt.* à quo punitur, & corrigitur. Nè tranſeuntes, & peregrini ampliùs fraudentur, & æquo omnibus vendātur. Nihilominùs hanc poteſtatem vſu receptam non eſſe, docet ipſa praxis, & conſuetudo. Eo quia à Principe, vel Republica pæna pecuniaria impoſita eſt, quam magis timent vendentes, ideò videtur de Epiſcopi permiſſione remiſſa eis, à quibus magis occurritur huiuſmodi crimen contrà hoſpitantes, vel tranſeuntes. Vagos, & peregrinos.

Digitized by Google



R

De Episcopo recipiente resignationes beneficiorum in Diœcesi existẽtium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest recipere resignationes beneficiorum in Diœcesi existentium.*

Potestas CCXLI.

1 POest Episcopus recipere resignationes beneficiorum in Diœcesi existentium, iusta de causa, vt infrà. Multi apud Couar. *lib. 3. Variar. cap. 20. num. 8.* Prosper de August. Quarant. *in Summ. Bullar. V. Beneficiorum resignatio*, & quod de iure spectant ad Ordinarium resignationes recipere, patet, ex textu *Admonet, De Renunciat. & Cap. 1. De Rerum permutatione*. Clement. *Multorum de pænis*, vt notauit Flamin. *De Resignat. lib. 7. quæst. 14. num. 1.* — De Resignatione beneficiorum curatorum decreuit Gregor. 13. Incipit: *Humano vix iudicio. Nonis Ian.* 1583. Apud Quarant. *d. loco*, vbi de iurium cessatione, publicatione, & capienda possessione est sermo completus. Addidit B. Pius v. incipit: *Quanta Ecclesia*, 1. *Aprilis* 1568. Causas resignationis, sine quibus nullę forent, refert Fillinus, *tract. 41. De Benef. cap. 10. num.* 13. Suntque tales, — 1. Si beneficiarius sit senio confectus — 2. Si infirmus, vel valetudinarius. — 3. Si laborat morbo incurabili. — 4. Si corpore vitiatus, Puta: cæcus, claudus, pro ut dixi *Potest.* 80. & 141. — 5. Si crimine obnoxius, homicida, Symoniacus, Adulter. — 6. Si censura irretitus. — 7. Si nequit, vel non debet Ecclesię, aut beneficio inseruire. — 8. Si plura obtinuerit beneficia. — 9. Si contingerit beneficiarium ad aliud beneficium promoueri. — 10. Si fuerit Religionem ingressurus, vel Matrimonium initurus. — & 11. Si residère securus nequibit in loco beneficii; quibus omnibus exaratis causis, alias adiecit Pontifex 1. Si resignaturus sit in Sacris cõstitutus, debet assignare, vnde ali, & commodè viuere possit: & in resignatione facere mẽtionem de titulo, ad quem ordinatus fuit, aliàs nulla foret resignatio, ex Tridentino, *sess.* 21. *De Ref. cap.* 2. Vbi

2. Vbi voluntarias prohibet resignationes, sed non priuationes. — 2. Quod resignatio debet esse absoluta, nulla conditione adiecta. Alias si prætenderetur successio à resignante, irrita esset resignatio. Apud Bonac. *var. tract.* 1. *De Symonia*, *quæst.* 4. §. 14. beneficio iurepatronatus excepto, de quo vide *Potest.* 123. — 3. Ordinarii admittentes resignationem, his de causis non debent cōferre suis consanguineis, affinibus, & familiaribus, aliàs videtur facta in fauorem Ordinariorum, qui incurrerent suspensionem à collatione, electione, & institutione beneficiorum, & si stante suspensione contrafecerint, excōmunicantur, ex Rota, apud Farinacc. *decis.* 17. *nu.* 3. & de hac accurata B. Pii dispositione vide *P. post. Impot.* 11. Habita resignatione, & iurium cessatione in beneficiis, publicanda erit vacantia intrà sex menses, si citrà montes, & nouem si vltrà, & seruata forma publicationis Gregor. 13. *cit.* confertur beneficium, Sequitur bulla cum clausula. *Si secus, ac etiam, quidquid præter, vel contrà formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum; id totum ex tunc vires, & effectum decernimus non habere.* Quę clausula in Bulla B. Pii. v. est decretum irritans, & annullans receptiones, resignationes aliàs factas, collatas, & prouisas. De vacantia denique multiplici beneficiorum satis dixi *Potest.* 76. Num autem dictæ causę in quacunque vacantia recurrant? *Resp.* negatiuè, sed dumtaxat in resignatione, secùs in morte, in qua verè dicitur beneficium vacare.



De Episcopo reconciliante Ecclesiam pollutā propter homicidium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reconciliare Ecclesiam pollutam propter homicidium.*

2 *Sed quid de homicidio inuoluntario in Ecclesia ab Ebrio, casu, vel fortuitò?*

3 *Sed quid de voluntario in causa?*

4 *Sed quid de homicidio patrato in Ecclesia ad sui, vel proximi defensionem, obq; iustum moderamen?*

5 *Sed quid de effusione facta ante, vel in ipsa Ecclesiæ ianua?*

6 *Sed quid si recepto vulnere extrà Ecclesiam, effusio fieret in Ecclesia?*

7 *Sed quid de eo, qui se occideret in Ecclesia?*

8 *Sed quid de percusso in Ecclesia, iaculo immisso ab alio extrà illam?*

9 *Sed quid de effusione sanguinis facta in Ecclesia ob fidei defensionem?*

Potestas CCXLII.

1 POtest Episcopus reconciliare Ecclesiam pollutam, propter homicidium. Ita *ex Cap. Proposuisti. De Consecratione Ecclesiæ*, & communitèr apud Doctores, Dico tamen: Ecclesiam verè

non pollui, quia sancta domus orationis est, inquinamenti incapax. Censeri tamen pollutam volunt S. Canones, ad terrendum fideles, qui videndo Ecclesiam purgari, pariter & ipsi expiari cogantur proprias culpas. Apud Durand. *In rationale diuin. lib. 1. cap. 14. num. 10.* & meliùs Suarez, id fieri in pœnam, & detestationem facti, & actionis sacrilegæ, patratæ in perniciem Ecclesiæ, quæ abstinet à diuinis, donec reconcilietur, quod totum euenit de Ecclesiæ statuto, & quia variæ recensentur causæ, ob quas censetur Ecclesia polluta. Inter quas primum locum vindicare sibi videtur homicidium voluntarium, & peccaminosum, de quo magis iniuriatur Ecclesia, quæ clamat ad sponsum de voce humani sanguinis ad sui præsentiã effusi, sicut Gen. 10. *Vox sãguinis fratris tui clamat ad me de Terra.* Sponsus igitur eius Episcopus recõciliãs sponsã cum Deo in noua reconciliatione, resarciendo despectum in sui presentiam malitiosè patratum. Hac in re non est ambigendum, quia in praxi. Dubia tamen emergentia in sequentibus soluentur.

2 *Sed quid de homicidio inuoluntario in Ecclesia ab Ebrio, casu, vel fortuitò?*

Respond. In casu Ecclesiam non pollui, quia nulla iniuria, ex nulla culpa, nullaque malitia, idipsum si de lapide cadente quis occideretur, vel eius sanguis effunderetur de vulnere. Ita Gambar. *De Casibus reseruatis, cap. 15 cas. 6.* Vgol. Sayr. Farinacc. *in Praxi, titulo de homicidio, qu. 125. num. 22.*

3 *Sed quid de voluntario in causa?*

Respond. Censeri pollutam. Ratio, quia &si non in se, tamen in causa fuit volita mors illa culpabilis, & iniuriosa, vt patet de eo, qui in Ecclesia tumorem carnis ferro aperit, & Magistro percutiente discipulum; ex quibus mors sequuta fuit, quæ non præuidebatur in se, sed in causa; solet enim mors accidere de plagarum scissione, atrocibusque verberibus tenuium discipulorum, in quibus Magistrorum aliqui non attendunt. Ita ex mente Nauar. *in Manual. cap. 27. num. 251.* & sequitur Barbos. *P. 2. Allegat. 28. à num. 15.*

4 *Sed quid de homicidio patrato in Ecclesia ad sui, vel proximi defensionem ob iustum moderamen?*

Respond. Ecclesiam non pollui tali homicidii genere, quia illud non est voluntarium iniuriosum, & peccaminosum, sed iustè patratum, & cohonestatum, ex recto fine, & intentione occidentis, qui se defendere cogitur, & non aliter valens, quam inuasorem occidendo, ideo mors sequuta est causa defensionis. Ad illud tandem de iusto moderamine inculpatæ tutelæ, dico: concurrentibus aliis circumstantiis, modis, & causis, cum quampluribus, apud Barbos. *d. loco, à num. 16. & nu. 19.* vbi cum aliis probat moderamen inculpatum probari meliùs, quãdo mortuus priùs percuisisset aggressorem.

5 *Sed quid de effusione facta ante, vel in ipsa Ecclesiæ ianua?*

Respond. Ecclesiam non pollui, cum Graff *in aureis decis. P. 1. lib. 2. cap. 48. num. 11.* contrà Gambar. Ratio, quia gradus, & ianua non sunt Ecclesia, sed Ecclesiæ; sumus enim in odiosis, & sen-

Digitized by Google

sensus restringitur ad Ecclesiam, intra cuius ambitum fieri oportet effusio de sententia Facundez, *in v. Ecclesiae praeceptis, tract. 1. lib. 3. cap. 14. num. 37.* Vbi docet Ecclesię nomine venire totum illud spatium internum de tecto ad pauimentum, & de parte interna vnius, ad alteram partem alterius parietis. Nec argumentum de Immunitate, ab Henriquez valet, quia quoad immunitatem sumus infauorabilibus, vbi latior interpetratio, propterea in Ecclesiae gradibus habetur immunitas, sed non pollutio, seù violatio. Ita Sãchez, *ibid.*

6 *Sed quid si recepto vulnere extrà Ecclesiam, diffusio fieret in Ecclesia?*

Respond. Ecclesiam non violari, quia effusio illa sequitur ad vulnus iniectum extrà, vbi factum fuit peccatum, adeoque culpa non comitatur effusionem, sed vulnus; idipsũ si sequeretur mors. Secùs è contra, ex Gloss. *Cap. vn.* Apud Graff. Eman. Rodriq. Henriq. & Vgol. *loc. cit.* §. 1. *vers.* 3.

7 *Sed quid de eo, qui se occideret in Ecclesia?*

Resp. Ecclesiã Pollui, Ratio, quia mors illa esset iniuriosa, & peccaminosa, cum nemo sit suae vitae Dominus, sicut dico de iustè suspenso, de sententia iudicis in loco sacro: Ratio quia mors esset iusta morienti, sed non loco, qui remanet fœdatus ob iniuriam ei factã. Si verò mors suprà tectum accideret, nulla esse: Ecclesiae iniuria, iuxtà restrictionẽ iuris violationis. Apud Alterium, *De Cens. cap. 1. vers.* Sed quid. & Facundez. P. 2. *lib. 4. cap. 4. num. 17.*

8 *Sed quid de Percusso in Ecclesia, iaculo immisso ab alio extrà illam?*

Respond. Morte, vel effusione sequuta, Ecclesia pollueretur, quia delictum esset verè in ea patratũ. Maior autem esset difficultas de percusso extrà Ecclesiam, iaculo emisso ex ipsa, ad quam nonnulli dixerunt pollui, quia homicidium initiatum ab illo intrà Ecclesiam: sed veriùs negatiuè tenendum, quia verè attenditur actus consumptio, & non initium. Ita Caetan. cum Vgol. *d. loco, vers.* 4.

9 *Sed quid de effusione sanguinis facta in Ecclesia ob fidei defentionem?*

Respõd. Ecclesiam censeri pollutam ex parte inuadentis, quia iniuriosa violatio se tenet ex parte iniuriantis, seù occidentis, & propter eius iniquam actionem dicitur actus peccaminosus, & coinquinatiuus Ecclesię quid quid sit ex parte Martyris, qđ est terminus iniustè occisionis. Ita interpetratur cũ aliquibus, Gloss. *V. Sanguinis in Cap. vn.* Apud Sayr. *De Cens. lib. 5. cap. 16. n.* 53. Facundez, & Alii.



De Episcopo reconciliante Ecclesiam violatam ob sanguinis effusionem.

SVMMARIVM,

1 *Episcopus potest reconciliare Ecclesiam violatam ob voluntariam, & iniuriosam sanguinis effusionem.*

Po-

Potestas CCXLIII.

1 POtest Episcopus reconciliare Ecclesiam violatam, ob sanguinis voluntariam, & iniuriosam effusionem intrà eam. Ita *ex Cap. Proposuisti. & Cap. vn. De Consecrat. Ecclesiæ. in 6.* Cuius hęc sunt verba: *Interdum, & aliquādo vulnera inferuntur; fraternitati tuæ talitèr respondimus, quod manente Ecclesia, & Altari, ipsa reconciliari poterint per aquam cum vino, & cinere benedictam.* Hęc potestas explicādo, & declarando, Probatur: Primò effusio debet esse voluntaria, & iniuriosa, instar quo declaratum fuit de homicidio *Potest. antecedenti.* Quapropter excluduntur effusiones prouenientes ex causa naturali, Medicinali, & fortuita, quę si permixta fuerit cum iniuria, arbitrio Episcopi erit iudicanda. Secundò: Sanguis emissus debet esse humanus, nam brutalis non polluit Ecclesiam, cum ex hoc nulla moralis iniuria, quæ ad violandam Ecclesiam debet esse peccaminosa, & intrinsecè mala. Nec dicas: effusionem pręfatam Animalis esse iniuriosam intrinsecè, & quandò in detrimentum proprii domini mactatur in loco sacro. Inquam non, quia aliud esset iniurię genus, & non quo fędatur Ecclesia. Apud Ragus. Caned. Vgol. & Sayr. *De Cens. lib. 5. cap. 8.* ex quo si sanguis de corpore mortuo effunderetur, quadam ex infirmitate, qua patiebatur, vel ob pręsentiam inimici, vt toties expertum fuit, non pollueretur Ecclesia, quia sanguis ille non humanus, sed cadaueris esset. Tertiò: Sanguinis effusio indicat abbundantiam, & copiositatem, per quod excluditur modicitas, ratione desumpta ex significato nominis, *effusio*, apud Lopez, P. 1. *cap.* 33. *Ragus. De Missa, quæst.* 60. *num.* 1. Hyppol. *consil.* 80. *num.* 26. Nota tamen, quandoque ex leui percussione magnam sanguinis copiam effundi, vt in rixa paruulorū, in quibus percussio non est læthalis; ideò nec lęthalitèr iniuriata, seù polluta censeretur Ecclesia, apud Nauar. *in Manual. cap.* 27. & Graff. *lib.* 1. *cap.* 48. Quartò, demum: effusio debet esse publica, & non occulta, nam hæc non sufficit ad finem intrinsecum S. Canonum, qui est, censeri ab hominibus fædatam, vt dixi *Potest. antecedenti*, quod si occulta fuerit, & post aliquot dies publicaretur, & per testes idoneos probaretur, ex tunc incipit patefieri violatio, non ad finē, quia publicitas non polluit, sed occultam manifestam facit, & declarat, apud Nauar. *loc. cit.* Consulit autem Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 28. Rectorem Ecclesiæ, quando incipit notitia casus cum Episcopo denunciare, qui iuxtà Inquisitiones determinabit: Ad maiorem confirmationem, Confessarius ex Sacramentali confessione sciens pollutam Ecclesiam, poterit ibi diuina celebrare, ex communi DD. sententia, apud Sayr. *De Cens. lib. 5. cap. 16. num.* 11. & Steph. de Gaeta, *in Cap. Ad limina, 20. quæst. 1. §. 5. num.* 521.



De

De Episcopo reconciliante Ecclesiã pollutã, propter seminis effusionem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reconciliare Ecclesiam pollutam propter seminis iniuriosam effusionem.*

2 *Sed quid de seminis emissione in Ecclesia in concubitu licito?*

3 *Sed quid de occulta seminis iniuriosa effusione?*

Potestas CCXLIV.

1 POtest Episcopus reconciliare Ecclesiã pollutam propter seminis peccaminosam effusionem, *ex Cap. vnic. De Ecclesia consecrat. lib. 6.* vbi sic: *Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusionem contingat, reconciliari poterit.* Quod sic probando exponam: Effusio debet esse voluntaria, & peccaminosa, siuè malitia, siuè alio peccato patrata, per quod excluditur inuoluntaria, vt in somnis, vel ex naturali seminis fluxu, nam illa, & non hac iniuriatur locus Deo sacratus, Apud Eman. Rodriq. *tom. 2. quæst. 36.* Graff. Vgol. & Mirand. — 2. Semen debet esse humanum, hoc est hominis, vel mulieris; per quod excluditur effusio cuiuslibet animalis irrationalis, nam eo non fædatur moralitèr, & iniuriosè Ecclesia, sed tantum materialitèr ex qua nulla iniuria voluntaria. Sic ex citatis cum Miranda, *Man. Prel tom. 2. quæst. 37. §. Secundus casus.* — 3. Effusio debet esse copiosa, prout explicatum remanet de sanguine, *Potest. antecedenti.* Addo non necesse esse in terram cadere, sed si in vase, aut veste dicitur verè effundi in ambitu Ecclesię, ex Gambar. *De Casibus reser. cap. 15. cas. 6. num. 2.* — 4. Effusio debet esse intrà Ecclesiam, ex quo si suprà tectum, in Cauerna, Sacristia, Choro, Turri, Tribunis, aut Confessionariis, extrà Ecclesię corpus, non dicitur pollui, & maximè si in cameris ad latus Ecclesiæ. — De porta, & gradibus, dicendum; sicut de sanguine, & homicidio *Potest.* 242. ad quæ lex pęnalis non se extendit, vt docuit Facundez, *d. loco, ibid.*

2 *Sed quid de Seminis emissione in Ecclesia in concubitu licito?*

Respond. Post DD. luctam, dicendo Ecclesiam nõ violari, præcipuè quando necessaria in ea fieret mora, scandalo, & contemptu semotis. Ratio, quia est actio licita, & honesta vi Sacramenti Matrimonii, & nullo iure prohibita; ergo ea non iniuriatur Ecclesia. Nec dicas iniuriari, eo quia in tali loco, vt de Iudice suspendẽte dente Reum in Ecclesia, vbi iustè Reum, sed iniustè in loco. *Inquam* non valere, quia in iustitia Rei, publicitas, scandala, & contemptus non desunt, seù tandem ibi prohibitio, hìc verò nulla, in iure reperitur. lege Sà, *V. Ecclesia, num.* 14. Vasquez, *cap. 2. disp. 98.*

3 *Sed quid de occulta seminis iniuriosa effusione.*

Respond. Prout de sanguinis effusione *Potest.* 243. §. 4. Non enim erit censenda polluta Ecclesia, quousque publica, & probata fuerit. Etenim in re tanti ponderis, non de facto rei, sed ex eius publica notitia moueri nos oportet, quidquid apud Deum, cui õnia patent, quæ hominibus latét.

Po-



De Episcopo reconciliante Ecclesiam pollutam ex causa sepulturæ Defuncti excommunicati.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reconciliare Ecclesiam pollutam ob sepulturam defuncti excommunicati.*
2 *Sed quid de notoriè excommunicato, & in articulo mortis, ob signa doloris absoluto?*
3 *Sed quid, si in Ecclesia polluta Sacerdos celebraret Missam, vel officia diuina?*
4 *Sed quid de celebrante, sciente post inceptam Missam, Ecclesiam esse pollutam?*
5 *Sed quid agendum in longa Episcopi absentia, stante Ecclesia polluta?*
6 *Sed quid de Ecclesia tantum benedicta?*

Potestas CCXLV.

1 POtest Episcopus reconciliare Ecclesiam pollutam ob sepulturam defuncti excommunicati Ita *ex Cap. Consuluisti, De Ecclesia consecratione*. Vbi licèt sit sermo apertus de Cęmeterio, vbi antiquitus tantum erat sepultura, maiori tamen ratione concludit de ipsa Ecclesia; vt nbtauit Nauar. *in Manual. cap. 27. num. 257.* Ratio, quia sic occurritur Ecclesię neganti participationem, & sepulturam fidelibus excommunicatis, ideò quia in huiusmodi sepultura fit præsumptio, & rebellio, iniuriatur Ecclesia in dicto capite, & indiget reconciliatione. Subdunt DD. communitèr: hunc excommunicatum, siuè sit fidelis, siuè infidelis, vel hæreticus, debere esse notorium, denunciatum, seù publicum; nam si occultum, seù non reputatum, toleratur, ad vitandum scandalum, ex Constit. Martini .V. incipit: *Ad vitanda*.

2 *Sed quid de notoriè excommunicato, & in articulo mortis, ob signa doloris absoluto?*

Respond. Ecclesiam non censeri pollutam in tali casu in eius sepultura, quia ingemiscente peccatore, Ecclesia orat pro illo, & in sinu suo recolligit, propterea non recipit iniuriam, neque violatur. Apud Nauar. *in Cap. Alma Mater*. P. 1. §. 11. *num*. 4.

3 *Sed quid, si in Ecclesia polluta Sacerdos celebraret Missam, vel officia diuina?*

Respōd. Sacerdotem scientem, & celebrantem solùm incurrere p. m. non autem censuram, quia nullo iure præscribitur, sicut constat de irregularitate, quam incurreret celebrans in suspensione. Apud Henriq *lib. 9. de Missa, cap. 27.* Siluest. *V. Consecratio, quæst. 9.* Mirand. *tom. 2. quæst. 39. ar. 6.*

4 *Sed quid de celebrante sciente post inceptam Missam Ecclesiam esse pollutam?*

Respond. communitèr cum distintione, quod si ante consecrationem, relinquat, si post, prosequatur. Apud Vgol. *De Cens. lib. 2. num.* 8. Scort. *lib. 1. De Missa.* Homob. *De Exam. Eccles. p. 1. tr. 4. cap. 14. quæst.* 138.

5 *Sed quid agendum in longa Episcopi absentia, stante Ecclesia polluta?*

Resp.

Respond. Duplex esse remedium: vel quod Episcopus concedat diuinorum celebrationem in loco non sacro, in altari portatili, si quod ius valeret, hodiè tamen videtur esse restrictum iure Tridentino, inspice tamen *Potest*.43. Vel meliùs in Oratoriis priuatis, vel locis ad celebrandum institutis. Vel de Episcopi licentia recõciliare poterit Abbas, vel eius Vicarius Generalis, Aqua ab Episcopo benedicta, vino, & cinere permixta. ex Sacra Congregatione in Rotomagẽsi 13. *Iulij*. 1601. Neutiquam verò poterit committere simplici Sacerdoti. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæst*. 39. *ar*. 8. apud Barbos *De Potest. Episcopi, Alleg*. 28. *à num*. 56. Nec valet inferre ex contraria opinione dicente: consecrationem esse de natura delegabilium ab Episcopo, vt dicam ipse P. *post. Imp*. 35. ergo & reconciliatio. Enim verò diuersorum non est illatio, valdèque discrimen inter vtrámque. Nam reconciliatio non est reconsecratio: quia Ecclesia per fœdationem, consecrationem non amittit, sed tantum suspensa censetur, ob iniuriam iniectam. Modo quo Sacerdos suspensus à diuinis non dicitur execratus, nam translacta suspensione, vel de iure, vel absoluta, nil vlterius obstat, vt possit celebrare.

6 *Sed quid de Ecclesia tantùm benedicta?*

Respond. Sic violatam reconciliatione indigère, eo tamen pacto, quod sola aqua benedicta abluitur, ad differentiam consecratæ. Ratio, quia accessorium sequitur naturam principalis, docet tamen Piasech. *in Praxi Episcopi*. P. 1. *cap*. 5. *De Consecratione Ecclesiæ*, quod in absentia Episcopi Ecclesia consecrata, & polluta, poterit lauari aqua exorçizata, & interim celebrare, donec reconciliatur per Episcopum. Similitèr poterit Ecclesia benedicta reconciliari per simplicem Sacerdotem, idipsum docuit Armilla, *V. Consecratio, num*. 2.

De Episcopo reconsecrante Ecclesiam in totum collapsam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reconciliare Ecclesiam in totum collapsam.*

Potestas CCXLVI.

1 POtest Episcopus reconsecrare Ecclesiam in totum collapsam, quando prius fuerat consecrata, vel rebenedicere, si benedicta. Ratio, quia iterum ędificata nõ est eadem, licèt sit iisdem constructa lapidibus. Nam consecratio, vel benedictio non cadit suprà lapides, & materiam, sed suprà totum constructum; itaque eo collapso, vnà cum illo, collapsa paritèr omnia fuere accidẽtia, & benedictiones, Idipsũ de maiori parte corrosa; ita vt oporteret nouitèr innouare. Sic Glos. *V. Innouata, cap. De fabrica*. Adde contrà Aduersarios adducentes exemplum de naui destructa, iisdem reconstructa lignis, quæ eadem est: non currere pro re immobili Ecclesia, cuius totum ex talibus situ, & forma deperditur,

tur, vnà cum benedictione in eius collapsu. Iterata itaque materialitèr, iisdem lapidibus, & forma; non tamen moralitèr in eodem statu domus Dei, ideò iterum consecranda, vel rebenedicenda. Multi apud Barbos. *De Episcopo*, *Alleg.* 27. *à num.* 16. Si quæ verò minor pars fuerit collapsa, non erit reconsecranda, quia minor à maiori parte in benedictione trahi potest: vt meliùs dicam P. *post. Impot.* 146.

De Episcopo reconsecránte Cæmeterium pollutum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reconsecrare Cæmeterium pollutum sanguinis, aut seminis effusione, vel sepultura excommunicati.*

2 *Sed quid, quando delictum committeretur in porta Ecclesiæ, vel in illa diuidente* Cæmeteria *contigua?*

3 *Sed quorum sumptibus?*

Potestas CCXLVII.

1 POtest Episcopus reconsecrare Cęmeterium pollutum sanguinis, vel seminis effusione, aut sepultura excommunicati, modo quo diximus tribus antedictis potestatibus. Ita expresè in *Cap. Consuluisti*, *De Consecrat. Ecclesiæ*, & quia de Cęmeterio satis egi *Potest.* 39. vbi de contiguo, & non contiguo, modò illud fuerit ab Episcopó, vnà cum Ecclesia consecratum; hic addo: polluta Ecclesia, censeri quoque Cęmeterium, quod est eius accessorium, pollutum, apud Mirand. Azor, & Perer. *quæst. forens. lib.* 1. *quæst.* 3. *num.* 8. quod volet de Cæmeterio contiguo tantum, & non de separato, apud eosdem. Itaq; ex duobus, Violata Ecclesia censetur violatum contiguum, etiam si contiguitas sit cū vno tātum pariete intermedio, e contrà verò si pollueretur Cęmeteriū contiguum, non ideò Ecclesia; ratio, quia accessorium non trahit principale, per quod patet ad Potestatem.

2 *Sed quid quando delictum committeretur in porta Ecclesiæ, vel in illa diuidente* Cæmeteria *contigua?*

Respond. Quando in porta, dūtaxat violari Cæmeterium; quia Ecclesia prædefinitur sibi ambitum in interiori parte inuiolatum, ideò porta currit pro Cęmiterio tamquam locus Ecclesiæ adiectus. Quòad illud verò pariete diuidente duo Cęmeteria, dico: vtrumque violari Cęmeterium, vel in dubio illud; ad quod fuit inclinata effusio violatiua; ita apud DD. citatos; reconciliatio tandem facienda erit ab Episcopo, si consecratum; si verò benedictum fuerit à Parocho, aqua solum benedicta de Episcopi licentia.

3 *Sed quorum sumptibus?*

Respond. Eorum, qui polluerunt Ecclesiam, iis tamen absentibus, vel deficientibus Populum, vel secundum consuetudinem loci. Ita docet Vgol. *De Potest. Episcopi, cap.* 29. §. 8. *num.* 9.

De



De Episcopo remouente Vicarium Generale, ex causa.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest remouere Vicarium Generale, ex causa.*
2 *Sed quanam sit causa remouendi?*

Potestas CCXLVIII.

1 POtest Episcopus remouère Vicarium Generalem, ex causa. Est doctrina Laurentii. *De Iudice suspecto cap. 4. num. 9.* cũ Sbroz, vt infrà, & Nauar. *in Praxi, decis. 627.* vbi docet ad libitum posse remouère, haberque locum, etiam si fuisset confirmatus à Papa; hoc ad ostendendam superintendentiam, & prædominium absolutum, & liberum, quod habet in re tanti momenti: vt sicut in eius constitutione elegit, quem sibi placuit, vt dixi *Potest. 111.* Idipsum in eius reuocatione. Ad differentiã Vic. Sede Vac. qui ad libitum remoueri nequit à Capitulo. Apud Aloys. Ricc. *in Collect. decis. P. 5. coll. 1602. num. 101. & 154.* & si dubiũ fuerit de Vicario electo ab Episcopo, & à Papa confirmato, legatur Barbos. *De Episcopo, Alleg. 54* vbi docet ad differentiam electi immediatè à Papa, quem Vicarium Apostolicum alii vocarunt. Adeò tandem alii docuerè, etiam si Episcopus iurasset non reuocare, vt notauit Cauell. *contrà* Couar. *qu. 757.* & melius apud Quarant. *V. Sede vac, §. 12. quaru, num. 3.* Clarius autem Sbroz, *in tract. de Vicario Episcopi, lib. 3. quæst. 32.* Dixi *de Causa*, quæ est securior pars tenenda, quia variatio à iure improbatur absque illa, *ex Cap. Publicatio. De Electione.* Nec obstat constitutionem fuisse ad beneplacitum; tùm quia talis clausula voluntatem liberam non importat; sed ad arbitriũ boni viri, referri vt voluit Abbas, *in C. Verum, num. 6.* De *foro competenti.* Sas. *in L. Si sic legatum, num. 6. De Lege 1.* Felinus, & Alii. Tum etiam, quia sicut eius beneplacitum non fuit merè, sed fundatum in Vicarii constitutione, ita in eius remotione.

2 *Sed quanam sit causa remouendi?*

Respond. Esse notabilem ignorantiam, preuaricationem in officio, impotentiam, & his similes, quæ sufficiunt ad depositionem Vicarii à Capit. *V.* Constituti, Immò his minores, & tandem rationabilis causa, quę in euentu rerum boni viri arbitrio occurreret, sufficeret, vt placuit multis, apud Quarant. *d. loco.*



De Episcopo renunciante dignitati, & loco Episcopatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest renunciare dignitati, & locò Episcopatus.*

2 *Sed quid, si absolutè renunciasset?*

3 *Sed apud quem facienda renunciatio?*

Potestas CCLXIX.

1 POtest Episcopus renunciare dignitati, & loco Episcopatus, ex causa. Quam Potestatem sustinent multi apud Fukh. *De Visit. lib. 2. cap. 18. num. 10.* Flamin. *De Resignat. lib. 1. cap. 17. num. 13. in cap. Ad supplicationem, de Renunciatione*, & meliùs, *cap seq. Nisi quampridem*, *De renunc.* vbi sex assignantur causę resignatorię, his duobus carminibus comprehensę.

Debilis, Ignarus, Malè conscius, Irregularis.

Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

1 *Debilis*, idest infirmitas continua, & senectus, quę impotentiam induceret, probandam per testes idoneos, familiares, & Medicos, ac per iuramentum ipsius. Apud Iudicem Summum Pontificem, cui soli erit iudicare de resignatione.

2 *Ignarus*, idest scientia muneri necessaria carens, immò si non resignaret, cogeretur ad id, quia nil turpiùs, quam ignarus ad Cathedram.

3 *Male conscius*, idest propter criminis conscientiam, estque in casu quo crimen, postque peractam pęnitentiam, impeditur ab ordinis executione:

4 *Irregularis*, quod intelligas de irregularitate personæ, ex defectu subiecti supraueniente, in qua etiam cogitur ad renunciandum.

5 *Quem mala plebs odit*, Idest propter summam plebis malitiam, quę impediret Prælato regimen.

6 *Dans scandala*, Quod intelligitur de actiuo, & passiuo à Bellett. *disquis. Clericorum.* P. 1. Fusch. & Marol. *De Irregular. lib. 1. cap. 2. num. 4* Quibus omnibus causis interiectis, renunciat, vel renunciare cogitur dignitati, vel loco, habendo tamen vnde ali, vtque non mendicare possit.

2 *Sed quid, si absolutè renunciasset?*

Respond. *Intelligi de loco*, ita Gratian. *in disceptat forens. cap. 291. num. 50.* Itaque renuncians loco, poterit causa cessante, redire, vel eligi, aut alteri loco ascribi, vel tamquam titularis de licentia Ordinarii eius, subditos ordinare poterit, *ex eodem Capite*. Nisi aliàs impediretur ab ordinum executione. Verum quippè inter causas renunciandi enumeratas tres habere locum defendunt quamplures, *Irregularitas* videlicet, *Scandalum, & Malitia*, Alię verò cogunt, quod est valdè notandum.

3 *Sed apud quem facienda renunciatio?*

Respond. Apud Summ. Pontificem, ex Clement. 1. *De Renunc.* vt resoluit Flamin. *lib. 7. quæst. 11. num. 17.* Ratio quia de reseruatis ad ipsum Pontificem, apud quem residet Potestas priuatiua, & depositiua, ex Trident. *sess. 13. De Ref. cap. 16.* vt monui *Potest. 236.* ita in casu.



Digitized by Google

De Episcopo reseruante sibi Casus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest sibi reseruare Casus.*
2 *Sed quid de Delegatione?*
3 *Sed quid de Subdelegatione?*
4 *Sed quando nam cessat Reseruatio?*
5 *Sed quid de absolutione data absque legitima façultate?*
6 *Sed num licebit Episcopis reseruare casus in Articulo Mortis?*
7 *Sed quænam sunt peccata reseruabilia?*
8 *Sed num Episcopus possit sibi reseruare Censuras iure nemini reseruatas?*

Potestas CCL.

1 POtest Episcopus sibi reseruare casus. ita nouissimè ex Trid. *sess.* 14. *De Pænit. cap.* 7. vbi sic: *Vndè meritò —Causas aliquas criminum grauiores suo poterunt peculiari iudicio reseruare —Episcopis omnibus in sua cuiq; Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionē — liceat, &c.* Postquam de iure antiquo, *in Cap. Si Episcopus, De Pænit. & Remiss.* fuerat statutum, quod semper seruari probat ipsa vetustas, de quo scripserunt integros tractatus Homob. *De Casibus Reseruatis*. Capiauill. Bonacin. Leil. Zech. Gābar. ideò nec impugnanda, neq; contradicenda est hęc Potestas, sub Anathematis pęna, in eodem Concilio, *d. loco, can.* 11. *Si quis dixerit: non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quòad externam politicam, atq; ideò casuum reseruationem non prohibere; quò minus Sacerdos à Reseruatis verè absoluat: Anathema sit.* Rationes autem consentaneę plures sunt, quas adduxi *Potest.* 1. Quapropter pro comperto, & ipsa praxi, accedere nitimur ad destinatos Sacerdotes pro absolutione reseruatorum, tamquā ad legitimos, & competentes Iudices in foro conscientię; Meminerit tamen Episcopus in reseruatis, misericordiæ potiùs quā temeritatis, quia oportet sequi Christum summa pietate repletum. Aliàs Dominus largus, seruus auarus, concedendo quampluribus idoneis, reseruatòrum facultatem.

2 *Sed quid de Delegatione?*

Respond. Satis egi *Potest.* 1. *citata*, & quia muneri consentaneum videtur: facultatem illam reseruatorum aliquibus prudentioribus, Presbiteris Secularibus, & Regularibus delegare in Ecclesia Cathedrali, & locis ab ea remotis, prout obtinuit vsus, ideo praxis tenenda, vt possint remedia, vndèquaque inueniri, ab omnibus Christi sanguine redemptis.

3 *Sed quid de Subdelegatione?*

Respond. Non deesse quamplures docentes: Delegatos pęnitentiarios in casu occurrente aliis confessariis ministerium absolutionis posse impendere. Eo quia constituti ad vniuersitatem causarum. Tum quia per modum legis institutos vi eiusdem habent subdelegare in casibus occursis, vt benè notarunt ex S. Congregat. Piasech. Megal. Homob. & Alii, apud Barbos. *De Potestate Episcopi, Alleg.* 52. *num.* 4 vbi subdit: nisi per modum licentiæ fuerit facultas impensa, vel ad ali-

aliquos casus, tunc enim subdelegare haud possent. Apud Vgol. *De Potest. Episcopi, cap.* 36. vide *Potestatem* 129. vbi clariùs.

4 *Sed quando nam cessat reseruatio?*

Respond. Ordinariè tribus modis cessare reseruationem, 1. per reuocationem factam à Reseruante, vel successore. Secundò per mortem, modò facta sit reseruatio ab illo, tamquam ab homine; secùs si per modum statuti, & constitutionis. Tertiò per excommunicationem, vel suspensionem Superioris, vt aduertunt Naldus, Molfes. & Facundez, apud Homob. P. 1. *cap.* 2. *asser.* 7. quod tertium intelligi verè oportet de Reseruatione facta ab homine. Nam si per statutum semper stat, adhùc post mortem statuentis. Apud Capiauill. *dicto loco, cap.* 5. *quæst.* 2. *in fine.*

5 *Sed quid de absolutione data absque legitima facultate?*

Respond. Confessiones esse nullas, atq; Confessores excómunicatos, cum pæna priuationis officiorum, dignitatum, & beneficiorum, simul inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda. Nec dispensari, vel absolui possunt, nisi à Sede Apostolica. Adhęrat etiam pęna inhabilitatis etiam audiẽdi confessiones, sed hodiè sublata est. Vide Quarant. *V. Casus reser.* Neque pretextu priuilegiorum ampliùs Mendicantes absoluere possunt reseruata Episcopis, absque eorum expressa facultate obtenta, ex Sacra Congregatione 24. *Septembr.* 1665. *sub* Alex. 7.

6 *Sed num licebit Episcopis reseruare casus in Articulo Mortis?*

Respond. Negatiuè, ex Trid. *d. loc. cap.* 7. ibi enim cessat omnis reseruatio, quod magis declarauit Syluester, *V. Absolutio*, & Couar. *in Cap. Alma mater, P.* 1. §. 11. *num.* 8. Articulus etenim dicitur ille, qui de medicorum, vel peritorum consilio morti proximus dicitur, in morte naturali, vel violenta, videlicet quãdo quis prælium, vel mare periculosum aggrederetur: Ita multi apud Capiauill. *cap.* 7. *quæst. vn. diff.* 1. & meliùs Barbos. *Collect. Concilij Trid. sess.* 14. *De Panit. cap.* 7. *num.* 11.

7 *Sed quænam sunt peccata reseruabilia?*

Respond. Grauiora, atrociora, pauca, & necessaria, in ædificationem, & non ad dextructionem. ex Tridentino *d. loco*, quorum aliqua de iure antiquo; alia de consuetudine reseruare solent Episcopi, conditionibus, & circumstantiis Populorum pensatis; cum Facundez, & Aloys. citatis. Suntque sequentia.

1 *Homicidium Voluntarium.*

Ex quo excluduntur — 1. Homicidę in vitæ defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt benè notauit Farinacc. *in Praxi Criminal. quæst.* 125. *num.* 3. Ratio, quia tales dicuntur necessarii, & non voluntarii homicidę. — 2. Pro defensione rerum suarum necessariarum, quia licet occidere inuasorem pro defendendis propriis bonis; vt inter alios docuit Toletus, *in Summ. lib.* 3. *cap.* 6. *vers.* 3. — 3. Pro honoris defensione, quando alitèr inuasor aufugi nequit. Apud Trullench. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. — 4. Pro proximi defensione, Trullench. *ibid. d. loco, cap.* 4. Quibus in casibus, nec incurritur irregularitas. Apud Nouar. *in Man. cap.* 27. *num.* 213.

2 *Fal-*

Digitized by Google

2 *Falſum teſtimonium in iudicio.*

Ex quo excipiuntur — 1. Falſum deponentes ſine dolo, verũque ſentientes. Ita Menoch. *De Arbitr. cap.* 194. *num.* 58. — 2. Quando falſitas nemini eſſet nociua. Ita Felin. & Farinacc. *& ſimul quæſt.* 150. *num.* 291. — 3. Quando in depoſitione appareret falſitas, & dolum, in qua deponens non debet puniri ordinaria pœna. ex Hurtad. *in Pract. De Teſtibus, P.* 3. *num.* 46. — 4. Quando teſtes interrogarentur de commiſſis ſub ſigillo ſecreto, ex Leil. Zecch. *cap.* 12. *verſ. ſecundò fallit.*

3 *Superſtitiones, & Sortilegia.*

Quoniam de his ſatis *Poteſt.* 20. tantummodò hîc exceptæ notantur, ſortilegia naturalia, quibus Aſtrologi vtuntur ad ſortiendam agriculturam, Medicinam, & nauigationem, & ſolum iudiciaria comprehendit, ex Sixto .v. *Cœli, & Terræ Creator, ann.* 1586. In vtroque foro interno, & externo, docet Sanchez, *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 34. contrà Naldum aliosque tenentes, in foro tantum externo. Excipiuntur pariter prędictiones complexionum, humorum, & aptitudinum, ex multis apud Farinacc. *in Praxi, quæſt.* 20. *num.* 112. Vide Gregor. xv. Incipit: *Omnipotentis Dei*. 20. *Martij* 1623.

4 *Abortum procurantes.*

Quod intelligitur de Animato, & licet rigida eſtabat Conſtit. Sixti .v. moderata tamen fuit quòad abſolutionem, & reſeruationem in foro tantùm conſcientiæ, ideò non ampliùs Pontifici, ſed Ordinario reſeruabile eſt. Quando verò fœtus inanimatus eſſet, reducitur ad terminos iuris communis, *in Cap. Sicut. De Homicidio*. Quapropter Animatus fętus maſculinus probabilitèr dicitur poſt 40. dies, fęmineus autem poſt 80. ex communi ſententia, at in dubio erit diſtinguendum, ad ratam dubii, in foro externo pro inanimato, interno verò pro animato cenſendum, docet Farinacc. *in Praxi Crimin. quæſt.* 122. *num.* 138. vide Dian. *reſol. moral.* P. 4. *ar.* 2. *reſol.* 16.

5 *Blaſphemia in Deum, & B. Virginem.*

Excipiuntur ab hoc caſu Blaſphemię hæreticales, illę videlicet, quæ fidei confeſſioni in primo præcepto decalogi, vel articulis fidei opponuntur; nam hæ ab Inquiſitoribus priuatiuè puniuntur, ideò ſolum intelligere cogimur ſimplices, quæ poteſtati Ordinariorum ſubſunt notorias quidem, & publicas; nam occultæ haud reſeruari ſolent.

6 *Beſtialitas.*

Hunc caſum incurrere cenſentur omnes illi, qui Beſtiis abutuntur, cum actus conſumptione, quando autem conſumatus non fuerit, reſeruari non licet, addoque nec incurri, quando beſtię mortuæ fuerint, etiam ſi ſeminatio intus conſumata fuerit. Homob. P. 2. *de* 4. *caſ. reſ.* Nec exprimenda circumſtantia ſpeciei beluæ, nam licet ſpecie diſtinguntur phyſicè; tamen moralitèr vnius turpitudinis cenſentur, nec explicandum, ſi patiens, vel agens, apud Maiol. *De Irreg. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 1. Accubitus tandem cum demone ad beſtialitatis genus reducitur, ſiuè hominis, ſiuè beluæ corpus aſſumat, apud Homob. *d. loco*, §. *ad idem.*

7 *In-*

Digitized by Google

7 *Incestus in primo, & secundò gradu.*

Hic Incestus propriè accipitur pro illegitimo concubitu inter personas sanguine, vel affinitate coniunctas, vsque ad secundum gradum inclusiuè. Nam licitus accubitus impedit, vsque ad 4. gradum, in Sacramento Matrimonii, Vndè excipitur seminatio extrà vas, vel claustri penetratio, absque concubitu, vel nefaria seminatio, quę omnia non subessent casui reseruato. Huic subnectì solet peccatum cum Moniali professa, cuius incestus dicitur etiam spiritualis, propter iniuriam sponso suo *Iesu* factam, ex Diuo Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *ar.* 10.

8 *Strupantes Virgines.*

Ex quo excipiuntur strupantes Virgines voluntarias, vel paruo conatu, vel præcibus importunis consensientes, modò fides maritalis non accesserit, quę si præcesserit præsertim iuramento firmata, stuprator autem esset nobilis, virgo verò plebea, tunc incurreretur casus, & promissio pręsumenda ficta, adeoque fides tantum foret adimplenda in equiualenti, contribuendo quantum sat erit ad nubendum cum equali. Ita apud Capiauill. *d. loco*, *cap.* 11. *diff.* 1. §. *quæ doctrina*. Idipsum si strupator esset sacris initiatus, vel religione professus. In illis autem Diœcesibus, in quibus reseruatur Virginum violatio, censetur casus reseruatus per quamcumque violationem, si Virgo se offerret, vel præcibus, aut minis alliceretur. Si demum reseruatur Virginum coacta violatio, tunc à reseruatione violationis Virginis se offerentis liberabitur, ex communi doctrina, apud DD. citatos.

9 *Exponentes infantes, quandò haberent vndè alerent.*

Recurrit casus de infantibus, tàm legitimis, quam illegitimis, quando parentes haberent vndè alerent, Ratio est damnum illatum loco pio erecto, in miserabilium egenorum subsidio, ideò fraudolentes tenentur ad restitutionē, & incurrerent casum. Num autem Expositi sint legitimi censendi? Affirmatiuè respondet Barbos. *De Episcope, Alleg.* 51. *n.* 150.

10 *Matrimonium contrahentes in gradibus prohibitis.*

Communitèr gradus prohibiti ad contrahendum in consanguinitate, & affinitate in copula licita vsque ad 4. gradum inclusiuè, in illicita ad secundum, sanciti recensentur à Tridentino, *sess.* 24. *de Ref matrim. à cap.* 4. vt notat Dian. *in Summ. v. imped. matrim. num.* 18. *V. Affinitas.* Contractio autem propriè dicitur à vera sanguinis commixtione; Vndè excusantur à casus incursione, non seminantes, vel seminantes extrà vas, siuè id accidat, siuè non, vt docent multi apud Barbos. *d. loco, à num.* 153. *ad num.* 189.

11 *Incendiarij segetum, Vinearum, Arborum, & Domorum.*

Ex quo excusantur incendiarii absque dolo, putà si casu, fortuitò, & inaduertentia, vel veniali culpa, & dolo; Quomodo autem sit purganda veritas, *In* foro conscientiæ est iuramentum, & in foro fori, ex probis viris. *Ita* decis. Delfin. Francisci Marci, *P.* 3. *num.* 5. *decis.* 417.

His placuit quibusdam Episcopis addere, Contumelias, in S. Eucharistiam, Sanctorumque reliquias. Violantes immunitatem Ecclesiasticam. Alterantes mone-

Digitized by Google

netas, machinationes mortis coniugum, Apostasia, & alia his similia.

8 *Sed num Episcopus possit sibi reseruare censuras, iure nemini reseruatas?*

Respondet Comitolus *in Resp. Morali, lib. 2. cap. 12.* Negatiuè, ex declar. Clem. 8. prout refert Barbos. *Alleg. 50. num. 284.* verùm subdit cum Pesseuino, *De Officio curati, cap. 7. num. 50.* dictum decretum intelligi de reseruatis in Cæna, ideò standum consuetudini, quam video praxi confirmatam, pluribus in Synodis Episcopalibus, reseruantibus dictas censuras.

De Episcopo reseruãte Summo Pontifici excommunicationem à se emissam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest reseruare Summo Pontifici excommunicationem à se emissam.*

Potestas CCLI.

1 Potest Episcopus reseruare Summo Pontifici excommunicationem à se emissam. Ita multi apud Nouarium, *qq. forens. P. 1. quæst. 66.* hoc de iure libero reseruationis, in qua abiicit à se facultatem, quando alteri reseruat, ita quod à Censura à se emissa non poterit absoluere, sed ille cui reseruauit, vel Archiepiscopus cuius authoritati preiudicare nequit. *Ita* apud Barbos. *De Episcopi Alleg.* . . . . .

Per externũ verò forum, sustinet dictus Maria Nouarius, *d. loco*, posse huiusmodi excommunicatum absolui à Metropolitano, cuius authoritas non venit restricta ab Episcopo reseruante, contrà Cãpanil. *in diuersor. Iuris Canon. Rubr. 11. cap. 15. num. 132.* Ratio, quia inferior non potest limitare facultatem Superioris, Neque Papa in hoc esset verus reseruans, sed cui à potestate inferiori reseruatur, ideò absque preiudicio tertii, Quapropter absolutio dictę Censuræ data à Metropolita erit valida.

De Episcopo restituente verbalitèr degradatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest restituere verbalitèr degradatum.*

2 *Sed quænam sint crimina, quæ merentur verbali degradatione?*

3 *Sed, An actualitèr degradatus, sed falsis testibus accusatus, poterit per Episcopum restitui?*

Potestas CCLII.

1 Potest Episcopus restituere verbalitèr degradatum. Ita resoluunt Abb. *in Cap. Transmissa, De Renunc.* Aloys. Ricc *in Praxi, resol. 221.* Sayr. Nauar. & Genuens. cum Gauant. *in Enchirid.*

Digitized by Google

vid. V. Degradatio, & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 50. quos sequitur, & notat Barbos. *De Episcopo, Allegat.* 100. *num.* 32. Demonstratur sic: Degradatio duplex est, Verbalis, & Actualis, quarum meminit Trident. *sess.* 13. *De Ref. cap.* 4. & quia de actuali satis egi *Potest.* 128. hic superest, de verbali dicere: *Esse depositionem, seu suspensionem ab exercitio clericali, factam per sententiam ecclesiasticam, quibusdam ex delictis*. Ad differentiam actualis, quæ est: *solemnis depositio insignium clericalium, & traditio curiæ seculari.* Item in Actuali, amittitur priuilegium fori, & Canonis, in verbali verò non. Apud Menoch. *De Arbitr. cas.* 415. *num.* 5. & Bonac. De *Cens. disp.* 4. *punt. vn. num.* 3. vbi definit: Degradationem verbalem esse: *sententiam ecclesiasticam, qua persona ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum absque spe illius consequendi, non amisso priuilegio clericali*, ex quo verbalitèr degradatum nisi à Papa restitui potest. At contra hoc est Gloss. 2. *quæst.* 6. quam sequitur Abb. & speculator docentes: posse Episcopum restituere, etiam actualitèr degradatum, apud Tolet. *d. loco.* Probant sic: Degradatio verbalis est actus iurisditionis, ad differentiam actualis, quæ est ordinis, sed Episcopus habet totam suam iurisdictionem exercere erga suos subditos, ergo & restituere, tamquam Princeps in tota Diœcesi, ad pristinum, depositum, & degradatum, nam Principi erit pristinam famam in subdito reparare. Nec valet dicere: id esse reseruatum Summo Pontifici, quia verum de actuali, & solemni. Secùs de verbali, prout distinguit Gambar. *De Officio, & Potest. legati, lib.* 2. *num.* 217. & sequitur Barbos. *Alleg.* 50. *num.* 38. Paritèr quando quadam in constitutione fit mensio de Degradatione, semper est intelligẽda de leui, quia laboramus in odiosis; itâ demum, si degradatio auxilium Sedis Apostolicę postulat, erit sermo de solemni. Nec dicas iterum: Episcopum non posse dispensare in lege communi, nam id non esset dispensare, sed interpetrare mentem legislatoris, in odiosis restrictam, & in fauorabilibus amplam, iuxtà dicta *Potest.* 157.

Ad illud autem de particula definitionis allatę à contraria sententia cum Bonac. (*Sine spe illius consequendi.*) Respondent multi, apud Sayr. *De Thesauro casuum consc. De Degradat. cap.* 22. & Panorm. *in Cap. At si Clerici, & Cap. Cum non ab homine, De Iudic.* Innui difficultatem obtinendi restitutionem, ob grauitatem culparum, vt fieri solet quandoque in diplommatibus, absque preiudicio pietatis Ecclesię, ideò illa particula nõ erit essentialis, sed terrens. Vel dic: illic describi verbalem ordinatam ad sollemnem, ad quam non deuenitur, nisi verbalis pręcedat: neutiquam verò solam verbalem, quam solam depositionem, vel suspensionem appellamus, & est distinctio satisfaciens opinioni contrarię, Apud Sayr, *dicto loco.* Vel vltimo: sensum esse de depositione quòad beneficium, vel aliam pęnam, non verò ab ordine. Ipse tamen securiùs positam sententiam tenerem cum citatis, apud Barbos. *d. loco*, sustinentem: verbalitèr degradatum à solo Episcopo restitui famę posse per pænitentiam.

2 *Sed quanam sint crimina, quæ* me-

merentur verbalem degradationem?

Respond. Esse Adulterium, Cōcubinatus perseuerantiam, post monitionem, Symoniam notoriam, Stuprum, Incestum, Furtum, Periurium, Homicidium, & alia atrocia, quę irregularitatem inferunt, apud Emanuel, Sà, *V. Depositio*, Bonac. *De Cens. disp.* 4. *punt. vn*. De casibus autem actualem degradationem merentibus satis dixi. *Potest.* 128.

3 *Sed, an actualitèr degradatus, sed falsis testibus accusatus, poterit per Episcopum restitui?*

Respond. Affirmatiuè cum Tolet. *Instruct. Sacerdotum, lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 3. & Panormitano cum speculatore; pręcedente tamen vera, & aperta testium falsitate, contrà Siluestrum, *V. Degradatio.*

S

De Episcopo satisfaciente muneri, & oneri imposito, pro augenda, & conseruanda Christiana Religione.

SVMMARIVM

1 *Episcopus potest, & debet satisfacere muneri, & oneri imposito, pro augenda Religione Christiana, conseruando diuino cultu, & pascendis ouibus sibi creditis.*

Potestas CCLIII.

1 POtest Episcopus, & debet satisfacere muneri, & oneri imposito, pro augenda Religione Christiana, conseruando diuino cultu, & pascendis ouibus sibi creditis. *Ita* Doctores infrà. Quia totum ius Ecclesiasticum in Pastore supremi Principis clausum, pro regenda vniuersali Ecclesia ferè omnes per Mundi partes diffusum est in Episcopos, iuxtà populum, & Diœcesim, quam contigit Episcopis habuisse in sollicitudinem, *ex Cap. Decreto*, 2. *quaest.* 6. & de eodem ecclesiastico iure à supremo Herarcha Romano Pontifice impositum iugum suaue, & onus leue ferēdum, & administrandum, vt docet Nauar. *cap.* 27. *nu.* 263. Propterea plures per sanctiones Ecclesia id declarauit, dilatauit, restrinsit, & indixit variis in temporibus exercendū pro conseruando, & augendo Diuino cultu, & fuit munus impositum à Spiritu Sancto, *ad Timoth.* 4. & *Ioan.* 10. Attendentes sibi, & vniuerso gregi, in quo posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In omnibus laborare, & ministerium suum adimplere.

Quinimmò conseruat Episcopus oues sibi creditas, quia est Sal. *Matt.* 5. Cui proprium est à corruptione preseruare, & preseruata custodire, & custodita saporàre, ideò præseruat præueniendo Sacro Dei eloquio, quod est proprium Episcoporum munus, per monitum Apostoli: *Pre-*

dica verbum, argue, obsecra, increpa. — Custodit ab insidiis inimicorum, Mundi, Carnis, & Diaboli, verbo, & exemplo, — & saporat, quando benignum, sanctum Hospitalem se prębet: diuinis inhęret laudibus, hostias, & pręces offeret, — Vim, vsumque Sacramentorum explicat, — Predicatores malos corrigit, — Curatis prouidet, — Ecclesiis, vbi numerosus est Populus plures Sacerdotes adiungit, — Parochias constituit, & distinguit. — Cęterum *Conseruat* Cum hospitalia gubernat, Monasteriorum Sanctimonialium clausuras, & obseruantiam custodit, — Confessarios ordinarios deputat, & extraordinarios offeret, — Virginumque Deo dicandarum voluntatē accuratè explorat. Miserabilium personarum curam paternalem habet. — Postremò ordines confert. Interstitias secundum Ecclesiarum necessitatem dispensat. — Sacramenta administrat, Impedimenta Matrimonii, vt par est dispensat. — Reliquias exponendas approbat. — Regulares extrà claustra delinquentes corrigit, — Confessarios instituit, — Casus reseruat, — Censuras, & monita, quando opus erit fulminat, — Peccata absoluit, — Publicos, & denunciatos peccatores, ad metam iuris punit. — Concubinarios, Periuros, & similes admonet, & incorreptos castigat. — Vltimò: *Conseruat*. Negligētias Abbatum, Capitulorum, & aliorum supplet. — Non accedentes ad Synodum Diœcesanā castigat. — Beneficia confert. — Vacantia, & resignata quomodolibet recipit. — Simplicia, & Curata personis idoneis confert, & alia huiusmodi.

Pascit insuper Episcopus oues sibi creditas verbis, exemplis, & eleemosynis. Castigando, corrigendo, increpando, & reprehendendo in omni patientia, & doctrina. Exemplo gressus, vestium, mensæ, & actionum grauium. — Comparticipatione reddituum, & prouentuum Pauperibus, locis piis Religiosis, scolaribus, aliisque indigentibus, puellis, & orfanis, in quibus Altare viuum nutritur, & pascitur, & Iudico meminisse Episcopum illud Stephani Prothomartiris, qui per pauperum manus, terrenum cęlesti thesauro adiunxit, & aliud: absconditeeleemosynam in sinu pauperum, *Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Student pariter Episcopi oneri obire, memores de quorum manibus Iudex ille supremus animas, suo labore, sudore, & sanguine redemptas erit requisiturus, apud quem nulla excusatio, & minus appellatio. Iudicabit homines, & Angelos tamquam Dominus vniuersorum, cuius sententia erit indefectibilis, finalis, irreuocabilis, & inappellabilis.



De Episcopo sciente beneficia vacantia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest scire beneficia vacantia, & quomodo.*

Po-

Potestas CCLIV.

1 POtest Episcopus scire beneficia vacantia, & quia de beneficiorum perpetuò vacantia tetigi in duplici *Potestate* 75. *à num.* 2. *&* 76. hic planè necessum videtur recensere varios vacātię modos, vt planè sciat Episcopus, quando sui iuris esset illa conferre, vel collata desinere, aut cessare: ideò desumpta ex 9. Regula Cancellariæ, Beneficia.

1 Vacant per Mortem naturalem Beneficiarii, *ex Cap. Sumptum*. De *Rescriptis in* 6. Ita quod si Beneficiarius miraculosè resuscitasset, illud non recuperaret.

2 Per renunciationem, seù resignationem, ex toto titulo, *De Renunciatione*.

3 Per assecutionem alicuius beneficii incompossibilis, *ex Cap. De Multa. de prab.*

4 Per contractum Matrimonii ex verbis de præsenti, etiam absque copula, *ex Cap.* 1. *&* 2. *De Clericis coniugatis.*

5 Per ingressum Religionis secuta professione, *ex Cap. Beneficium. De Regul. in* 6.

6 Per translationem Prelati in aliam Ecclesiam, *ex Cap. in Apibus*, 7. *quæst.* 1.

7 Per militiam secularem, *ex Cap. vltimo De Clericis non residentibus.* Gloss. *V. redierint.*

8 Per omissionem habitus, & tonsuræ, Sixt. v. incipit: *Cum Sacrosanctum, quinto idus Ianuar.* 1588.

9 Per non promotionem Parochi electi infrà annum ad Sacerdotium, *ex Cap. Liceat Canon. De Elect. in* 6.

10 Per violentum ingressum in possessionem beneficii, *ex Cap. Eum, qui. De Praben. in* 6.

11 Per violationem sequestri impositi, vigore sententię definitę in Rom. curia prolatę, in causa beneficiali, ex Clem. 1. *De Sequestr.*

12 Per non obstentionem tituli, cum fuerit monitus, *ex Cap. Ordinarij. De Officio Ordinariorum*, & Trident. *sess.* 7. *cap.* 5.

13 Per non publicationem resignationis, ex Greg. 13. *ann.* 1583.

14 Per non seruatam formam B. *Pii* .v. in prouisione Parochialium. *Incipit: In conferendis* 15. *Kal. April.* 1566.

15 Per suppositionem pro alio ad examen, aut oblationem pensionis, aut intentionem resignandi, ex Paul. 4. incipit: *Inter cæteras*. 26 *Decembris*, 1557.

16 Per apprehensionem possessionis ante expeditionem litterarum Papæ, ex Iul. 3. Incipit: *Sanctissimus* 27. *Maij*, 1553.

17 Per confidentiam, scilicet sub conditione, quod Resignatarius postea resignat beneficium alicui personæ dilectę resignanti, ex Const, Pii 4. Incipit: *Romanum Pontificem*, 17. *Kal. Iun.* 1564. & B. *Pii* .v. *Kal. Iun.* 1569.

18 Per intentionem indebitam scripturarum Cameræ Apostolicæ, seù non reuelationem earundem, ex Const. *Iul.* 3. *vl. April.* 1551.

19 Per alienationem rerum Ecclesiasticarum sine solemnitate, ex Const. Pauli 2. *extrauag. ambitiosa, ann.* 1468.

20 Per offensionem litigantium in Romana Curia, eorumque Iudicum, Aduocatorum, Procuratorum, Testium, & Notariorum, ex Const. Alexand. 6. incipit: *In Eminenti, ibid April.* 1502.

21 Per crimen hęresis, *ex Cap.*

ad

ad Abulendam. De Hæreticis.

21 Per crimen lęlæ Maiestatis, vt notat Rebuff. *in Praxi. De modis amittendi beneficia, num.* 32.

23 Per falsitatem litterarum Apostolicarum, *ex Cap. Ad falsarium.* De *Crimine falsi.*

24 Per Sodomiam, ex Const. B. Pii. v. Incipit: *Horrendum, 3. Kal. Septembris,* 1568. post Aliam. *Cũ primum 6 Kal.* April. 1566.

25 Per carcerationem Clerici, v resignet beneficium, ex Clem. *Multorum. De pœnis.*

26 Per occisionem Rectoris suę Ecclesiæ, *ex Cap. in quibusdam,* 12. *De pœnis.*

27 Per percussionem Epi, *ex Cap. Fœlicis in 6. de pœnis*, & Clem. *1. de pœnis.*

28 Per percussionem Cardinalis, *ex Cap. Fœlicis, de pœnis.*

29 *Per* assassinium, vt notauit Lotter. De *Benef. lib. 3. quæst. 31. num.* 35.

Nec defuere Massabr. Farinacc. Rebuff. Gonzal. & Alii, apud Barbos. *De Officio Episcopi Alleg* 57. *à num.* 195. alios assignare modos vacationis, per diuersa iura vagantia, hìc autem mihi visũ fuit recẽseere 29. tamquam magis in Praxi positas, & practicabiles, quas scire tenetur Episcopus, vt in occursu possit quid iuris esset, exercere, & sapere, quæ reseruata, quæ non, vt dixi *Potest. cit.* 75.



De Episcopo syndicante officium Vicarij, Sede Vacante.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest syndicare officium Vicarij, Sed. Vacante.*

2 *Sed quid, si Capitulum exegit rationes, eumque liberauerit?*

Potestas CCLV.

1 Potest Episcopus syndicare officium Vicarij, Sede Vacante. Ita resoluunt M. Antonius Genuens. *in Pract. Archiep. Neapol. num.* 58. *in fine.* Aloys. Ricc. *in Praxi aurea for. Eccles. decis.* 481. *num.* 1. Vgol. & Alii. Apud Quarant. *V. Capit. Sed Vac. num.* 14. *in addict.* ex disposit. Concil. Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 16. vbi sic: *Episcopus verò in eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad ipsum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuscũq; officialibus, & administratoribus, qui, sede vacante fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in eius locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis, aut cuiuscumque eorum muneris; possitque eos punire, qui in eorum officio, seù administratione deliquerint.*

Id ipsum ante Trident. docuerat Pauin. apud Quarant. *d. loco,* vbi ostẽdit, id non procedere de Vicario Episcopi, ob consuetudinem contrariam, & declarationem Gregor. 13. *ann.* 1578. pro Ecclesia Tarentina sic: *Ordinando, quod Vicarij, & officiales, siuè particulares — ad aliquem syndicatum nullo modo teneantur, aut eidem sub quouis prætextu sint obnoxij;* hæc Gregorius. Potestas autem exigendi rationes à Vicario Capituli ita est: vt si in

ali-

Digitized by Google

aliquo delicto illum repererit, secundum iuris remedia, ad metam delicti punire possit. Ita referunt
1 decisum apud Armendar. *in Add. dict. recopil. legum. Nauar. lib. 1. tit. 18.* Vgolin. *De Potest. Episcopi, cap. 2. num. 2.*

2 *Sed quid, si Capitulum exegit rationes, eumque liberauerit.*

Respond. Id non impedire quominus Episcopus Tridentinam dispositionem exequi possit, vt rationem exigat, patrataq; delicta puniat; idipsum recurrit de aliis officialibus à dicto Capitulo deputatis. DD. supra.



De Episcopo soluente pensionem impositam Episcopatui.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest soluere pensionem Episcopatui impositam.*

Potestas CCLVI.

1 Posse, & debet Episcopus soluere pensionem Episcopatui impositam, ita in controuersia fuit decisum, ex Rota, *in Aretina* 17. *April.* 1598. Apud Marchesar. *De Commission.* P. 2. §. 2. Tum quia pensio est onus reale cohærens beneficio, ideò recipiens onus Episcopale debet onus solutionis sufferre, adeoque Pensionarii nè dum contrà hæredes defuncti, verùm etiam contrà successorem, insurgere valebunt, & in casu quo Pensionarii agerent contrà dictum successorem, hic contrà heredes, vel prædecessorem si viuit, & alibi fuit translatus, actionem habebit, vt docet Gemin. *cons.* 4. *num.* 9. quod dicito, si successori constaret de diligentia pensionariorum contrà prædecessorem, aliàs non, ex pluribus Rotę, *decis. in Toletan. Herotinen.* coràm Greg. xv. Apud Farinac. P. 2. *rec. decis.* 352. *nu.* 2. vbi quęrit? Ex quibus probanda diligentia, docetque ex mandato executiuo, sequestro, & declaratoriis, dummodò successori congrua remaneat ex fructibus Episcopatus, iuxtà dispos. Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 13. *ad hac.*

Ducor ex dictis: Episcopum teneri ad pensiones decursas non solutas, vel soluendas, præteritas, vel futuras, vt docet Gamb. *De Officio, & Potest. legati, lib. 6. tit. de pens. à num.* 427. De depignoratione pignoratorum à suo Antecessore egi *Potest.* 231.



De Episcopo stante, vel non, dispositionibus factis à suo Antecessore in locatione fructuum, & Reddituum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest stare, vel non, dispositionibus factis à suo Antecessore.*

Po-

Potestas CCLVII.

1 POtest Episcopus stare, vel non, dispositionibus factis à suo Antecessore in locatione fructuũ, & redituum. *Ita ex quampluribus*, apud Quarant. S. *Bullar. V. Alienatio, num.19. §. Amplia*. Molin. *De Primogenit. lib. 1. cap. 21*. Ciarlin. *in Controuers. forens. lib. 1. cap. 93 num. 12.* apud quos alii quamplures. Ratio libertatis in posita potestate est, quod si locatio fructus, redditus, vel beneficii, facta fuerit nomine proprio à suo Antecessore, Successor in beneficio non tenetur stare. Tum quia non succedit in his, quæ sunt propria, sed Ecclesię. Nec factus est successor sui Antecessoris in propriis, sed in communibus. Dignoscitur enim res facta nomine proprio, si in vtilitatem propriam Parentum, nulla seruata iuris solemnitate. Si verò locatio facta fuerit nomine Ecclesiæ, hoc est seruata iuris solemnitate, vt dixi *Potest. 30. in extrauag. Ambitiosæ* Pauli 2. intrà tempus in illa definitum, quod cognoscitur ex instrumentis factis authoritate Superioris, vt si in vtilitatem Ecclesiæ fuerit conuersa pecunia ad reparationem, & manutenentiam eius. Tunc successor beneficii tenetur stare dispositioni factæ à suo beneficiario Antecessore; Tum quia est successor in õnibus actitatis ad vtilitatem Ecclesię; adeòq; nec agere potest contrà ipsum Antecessorem, vel contrà eius hęredes, apud Couar. *lib. 2. variar. resol. cap. 15 à num. 6.* Gutt. *lib. 1. qu. cap. 75*. Portell. *Respons. moral.* P. 3. *cas 25. num 2.*

Sed meliùs habet Quarant. *d. loco*, vbi excipit casus, in quibus successor debet stare locationi sui Antecessoris, prout in sequẽtibus.

1 Quando locatio facta fuisset de licentia S. Pontificis, ad aliquot annos, tunc durante tempore illo, conductor à nemine molestari posset,

2 Quando inchoatus esset Annus, & res non esset integra, sicq; pro Anno incepto, successor tenetur stare colono.

3 Quãdo esset consuetudo, quę in hoc esset magis attendenda.

Neuè id appareat contrà dispositionem Trident. *sess. 25. de Ref. cap. 11*. dico: illas locationes prohibitas esse, quæ vergunt in Ecclesiæ perniciem; putà quando anticipatis solutionibus, de ipsarum pecunia, nulla apparebit Ecclesiæ vtilitas. Sin verò ex præaccepta pecunia repararetur Ecclesia, cuiusque beneficium apparet, Tunc non in perniciem sed vtilitatem. Neque in præiudicium, sed adiumamen successorum, indè vt successor sit Ecclesiæ reparatę potiùs, quam prolapsæ, Ecce verba Trident. *d. loco*.

Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repræsentata pecunia in successorum praiudicium, alijs locantur. Omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præiudicium successorum validè intelligantur.



De Episcopo aliqua statuente pluribus in casibus præter, vel contrà Canones, vt infrà.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest aliqua statuere, prater, vel contra Canones, aut constitutiones Pontificias.*

Potestas CCLVIII.

1 POtest Episcopus aliqua statuere pluribus in casibus præter, vel contrà Canones, vel Pontificum constitutiones, vt infrà. Et ad auferendam temeritatis speciem ab hac potestate suppono; Conditis à S. Canonibus Episcopum contrahire nullo pacto posse, *ex Cap. Institutionis* 25. *quæst.* 2. Itidem nec statuere iuri communi aduersantia, At quia de iure gentium, quandoque consuetudines introducuntur aduersus ius canonicum, non defuère Prelatos, inhęrendo dictę cõsuetudini, statuere citrà Canones, cuius optima ratio est, quia cum consuetudo sit quoque volita, saltem tacitè à Summis Pontificibus, qui vsque dum non derogant dicuntur velle in suo robore permansuram, ex quo ortum duxerunt, dicentes: Consuetudinem habere locum in lege, vimque eius tenère, hoc est vigorem sumere, nè dum de tacito gentium consensu, seù personarum Ecclesiasticarum, verum ab authoritate Pontificis tacitè permittentis, & concedentis, adeò quod si contrahire non posset iuri communi, neque contrà dictam consuetudinem. Immò meliùs; si consuetudo æquè curreret abrogans ius commune, & Episcopus se conformaret illi, videretur statuere contrà ius commune. Re vera tamen non contrahiret, sed sequeretur legem explicatiuam iuris. Stante igitur consuetudine staret neruus legis, & explicatiuum eius; quando sic verè non contrahiret. Demum statuere pretèr ius non foret iuri contrahire, sed addere, quod benè fieri potest ad vigorem primi iuris, quare in casu non diceretur Episcopus statuere contrà, sed re vera citrà, prætèr, vltrà, vel ex iusta, & legitima consuetudine pręscripta. Multi apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 93. *à num.* 31.

His suppositis assignantur Casus in praxi, quibus Episcopus huiusmodi potestatem exercet.

1 Si statuendo; conformaretur consuetudini legitimè inductæ, contrà ius. ità Burt. *in Cap. Cum dilectus De Consuetudine.*


2 Si statuendo, adderet nouam pęnam iuri communi. Sanchez *De Matrim. lib.* 3. *disp.* 27. *num.* 12.

3 Si dispensaret in casibus iuxtà dicta *in Potest.* 157.

4 Si statueret præter, vel contrà Canones in fauorem Clericorum, modò, illę non essent in fauorem publicum, vel Ecclesiæ: Ratio, quia volentibus nulla iniuria; *ex Cap. Ad Apostolicam, De Regularibus.*

5 Si ex vrgenti causa, & Papa de facili adiri non posset, vt dixi de Absolutione reseruatorum, *à Potest.* 3.

6 Si statueret ante Canonis promulgationem, *ex Cap.* 1. *De Cõstit. in* 6. Demùm aliis placuit addere, sic: Si statueret contrà ius, in suum præiudicium, aut quando in illo iure esset dubium secundum partem, quã mauisset. Apud Probum, *in Cap. vn. num.* 48. *De Cleric. non resident.* Quibus omnibus modis neutiquã contrahire diceretur, sed explicare, addere, dispensare, & simile.



De Episcopo sustituente alium Vicarium Generalẽ, quando Prior esset suspectus in Causa.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest sustituere alium Vicarium Generalem*, Priori *suspecto in causa.*

Potestas CCLIX.

1 POtest Episcopus sustituere alium Vicarium Generalem, Priori suspecto in causa. Ita notauit Sbroz. *lib.* 3. *quaest.* 15. *De Officio Vicarij*. Scacc. *De Appell. quaest.* 8. *num* 57 contrà Dacian. & Rebuff. De *Vicario Archiep.* Ratio controuersiæ est. Quia existente Episcopo suspecto, vel censura irretito, suspicitur eius Vicarius, qui vnà cum Episcopo idem erigit Tribunal, è contrà verò: Suspecto Vicario, non debet Episcopus recusari, quia suspicio nõ ascendit, sed tamquam odiosa restringitur subiecto; Propterea Causa coràm Episcopo producta, & allegata suspicione, non est, cur non possit Episcopus alium Iudicem ad decidendum destinare. Quare sententia Dacian. & Rebuff. posset reconciliari primo sensu, manente secũdo sẽsu in sententia probabiliori. Dixi causa probata corã Episcopo, cui sẽper erit causas recusationis cognoscere, & vsque ad sententiam recusatiuam, semper erit idem Tribunal cum priori Vicario, eaq; tandem intercedente, incipit Potestas deputatiua alterius Vicarii, valdè huic potestati fauent dicta *Potest.* 37. *De Episcopo allegato pro suspecto.*



De Episcopo supprimente prębendam, dignitatem, vel officium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest supprimere prabendam, dignitatem, vel officium.*

Potestas CCLX.

1 POtest Episcopus supprimere præbendam, dignitatem, vel officium, applicando singulis canonicis illorum fructus, ita *in cap. Cum accessisset, De Constit.* Heron. Gabr. & Trid. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 15. vbi sic:

In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus — licet Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, nõ tamen Regularia, iis vnire, vel, si hac ratione prouideri non possit, aliquibus ex ijs suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus, & prouentus reliquarũ præbendarum distributionibus quotidianis applicentur; eas ad pauciorem numerum reducere. — Deindè neque prædictæ vniones, aut suppressiones tolli, seù im-

pe-

pediri possint ex quibuscumq; prouisionibus, &c.

Ad quam suppressionem in Ecclesiis Cathedralibus, & insignibus Collegiatis, seù diminutionem, vel extintionem dignitatum, vel beneficiorum, præire debent tenuitas, & Capituli consensus.

Tenuitas prebendarum probari oportet decursu temporis, decē annorum, per testes, & instrumenta, & constito, quod vigorari non possit per simulatem distributionum, vel vnionem beneficiorum simplicium, licebit de consensu Capituli deuenire ad suppressionem, reducendo ad pauciorem numerum. Ità tàmen, vt tot supersint, quæ diuino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere. Adde; præbendam suppressæ dignitatis distribui debere tenuitatibus singulorum de Capitulo, apud Ricc. *in collect. decis. P.* 4. *coll.* 1064. distributiuè, non collectiuè apud Gambar. *suprà cons.* 188. *num.* 3. & Farinacc. P. *rec. decis.* 565. Nequetalis vnio, & suppressio fieri debet, quando tenuę sunt distributiones, quia in tali casu adest aliud beneficium. ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. hoc est de tertia parte fructuum, prouentuum, & dignitatum.

Consensus quoque est habendus de Capitulo, cui fit vnio, ità decisum refert Garcia, *De Benef.* P. 12. *cap.* 4. *nu.* 76. Immò semper intercedere oportet consensus Cathedralis Capituli, etiam si dignitas supprimenda esset Ecclesiæ Cathedralis, vltrà consensum Capituli Collegiatæ, ex S. Congregatione, 1. *Septembris*, 1618. sine qua sollemnitate suppressio esset nulla, Sell. *in Select. Canonicis, cap.* 34. *num.* 8. Nùm autem consensus tacitus sufficeret? affirmatiuè tenet Monet. *in distributionibus quotidianis, P.* 1. *cap.* 12. *num.* 251. Vide *Potest.* 173.

De Episcopo suspendēte Cōfessarios.

SVMMARIVM

1 *Episcopus potest suspendere Confessarios.*

Potestas CCLXI.

1 POtest Episcopus suspendere Confessarios. Ità apud Vgolin. *De Potest. Episcopi, cap.* 20. *num.* 5. Dian. *P.* 3. *tr.* 2. *resol.* 22. & 27. Miranda, & Alii, apud Sāchez *in Select. disp.* 48. his in subscriptis casibus.

1 Quando nouus Ciuitatem ingrederetur, tunc prò maiori conscientię quiete poterit confessarios à suo prædecessore approbatos suspendere, & ad examēn vocare, idoneos approbare, sin minus, reprobare, ex Const. B. Pii. v. incipit: *Romani Pontificis*, 8. *Aug.* 1571. vbi sic: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, vel Diœcesibus suis, prævio examine approbati fuerint ab eodem Episcopo non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori Conscientiæ suæ quiete, examinari de nouo poterunt*. Quam Constitutionem non esse reuocatam per Greg. 13. incipit: *In tanta* re-

Digitized by Google

rerum. 1. *Martij.* 1572. decidit S. Congregatio, vt refert Fr. Eman. *in Bull Cœnæ* §. 9. *num.* 32. & *Quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 59. *ar.* 4. Lezan. *in Summ. cap.* 8. *n.* 7. Idipsum Vrb. 8. pro Cordubens. Apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 25. *num.* 49. & Henriq. quidquid dicat Facundez.

2 Quando verò liberè, & absq; prçuio examine forêt approbati, sola idoneitate concepta, tunc ex causa ad confessiones pertinente, vel ob non seruatum interdictum, poterunt suspendi ab audiendis confessionibus, ex S. Congreg. 31. *Iul.* 1615. apud Nouar. *V. Confessarius, num.* 18. & 20. *Nou.* 1615. apud Perer. *De Priuileg. tom.* 1. *const.* 2. Sixti 4. *nu.* 45. *pag.* 26. Causa tandem potest esse, propriç personæ corruptela, putà, si inhonestè viueret, si scandalosç, nam integritas ministri necessaria est ad tale ministerium, ex S. Congreg. 30. *Aug.* 1630. refert Barbos. *De Iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 203.

Omnes autem Regulares Confessarios vnius conuentus Epus suspendere non potest. S. Congregat. inconsulta, ex eadem 20. *Nou.* 1615. refert Sell. apud nostrum de Lantusca, *in Theatro V. Confessarij, num.* 11. Vbi per extensum, quod meliùs constabit *ex P. post. Impot.* 149. cum Dian. P. 1. *tr.* 14. *resol.* 21. Portell. & Aliis.

T

De Episcopo terminãte causas ad forũ Ecclesiasticum, spectãtes, infrà biennium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest terminare causas ad forum Ecclesiasticum spectantes infrà biennium.*

2 *Sed detur nè casus, in quo non babèret locum biennalis restrictio?*

3 *Sed quinam veniunt sub nomine Ordinarij?*

4 *Sed quid de causis in locis nullius Diœcesis?*

Potestas CCLXII.

1 POtest, & debet Episcopus terminare causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, infrà biennium. Ità habente Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 20. Intelligo omnes causas ciuiles, criminales, beneficiales, & matrimoniales in prima instantia. Nec posse à partibus renũciari, neque alii Superiores poterũt vocare causas Ordinariorum ad se, nisi via appellationis, vt decis. refert Aloys. Ricc. *in decis. Curiæ Neapol. decis.* 296. *n.* 5. *p.* 4. Tũquia Cõcilium nõ declarat causas non posse prò rahi alia via deuolutionis, & appellationis, sed tantum indicit huiusmodi causas non durare, sub Ordinarii Iure in prima instantia vltrà biennium. Tum ad eliminandas litium perpetuitates, vtq; detur àditus ad alia tribunalia, & eruendam vetustatem in causis Eccle-

Ecclesiasticis, Abbreuiandam primam instantiam, atque expediendas causas, Apud Veg. *in Cap. Venerabilis, De Iudic.* P. 2. *cap. 6. num.* 4. Quod quoque factum est ad excitandam pigritiam *I*udicis Ecclesiastici, eiusque defectus emendandos. *Itaque* probata Iudicis culpa, saltem per duas requisitiones, haberet locum appellatio, secùs si per *I*udicem non fuit, quo minùs intra dictum tempus finierit; sed ob qualitatem causę, partiū q; cauellationes. Quia Concilium arctat tempus biennii ad causas terminandas, & terminabiles intrà dictum tempus. Quando verò causa ob sui grauitatem intrà dictum spatium non esset finibilis; tunc Appellatio non habet locum, ex S. Congregat. refert Leo, *in Thesauro fori Eccles.* P. 2. *cap.* 1. *num.* 22. Apud Barbos. *De Officio Episcopi, Alleg.* 81. *num.* 9.

2 *Sed detur nè casus, in quo non haberet locum biennij restrictio?*

Respond. Affirmatiuè. — 1. Quando causa fuerit agitata in Romana Curia, ibi non finit lis, nisi per sententiam. Apud Zeroll. *in Praxi*, *P.* 1. *V. Instantia*, *vers. 6.* — 2. Quando causa fuerit apud Conseruatorem Regularium, ex S. Congreg. 12. *Octobris*, 1654. apud Sayr. *decis.* 1. — 3. Quando causa fuerit exprexè vocata à Summo Pontifice ad se, supplicatione manu propria signata, *ex d. Concil. vers. ex his excipiatur.* — 4. Quando per breue capitur possessio beneficii, in qua prima instantia poterit hæc causa agitari, coràm auditore Cameræ, qui est Iudex competens. — 5. Ratione contractus celebrati ex obligatione Camerali exindè in Curia Romana. — 6. & vltimò, in Causis possessionis beneficiorum reseruatorum Sedi Apostolicę, quarum est Iudex Auditor Cameralis. ex Greg. 13. incipit: *Ad Romani Pontificis* 10. *Iulij*, 1574.

3 *Sed quinam veniunt sub nomine Ordinarij?*

Respond. Etiam Vicarium S. Vac. quia Capitulum succedit in omnibus iuribus, & iurisdictionibus, etiam voluntariis, vt benè notauit Aloys. Ricc. *in Praxi aurea, resol* 130.

4 *Sed quid de causis in locis nullius Diœcesis?*

Respond. Omnes causas in prima instantia cognosci nullatenus posse ab Episcopo, in locis nullius Diœcesis habentibus Abbatem, Si qui haberet omnem iurisdictionem in subditos, secùs si aliàs, ex S. Congregatione, apud Narbor. refert Barbos. *d. loco, in Appendice, num.* 5.

De Episcopo testatore de suis bonis Patrimonialibus.

SVMMARIVM:

1 *Episcopus potest testari de bonis suis patrimonialibus.*

2 *Sed quid ad cognoscendum dicta bona, cuius sint?*

Potestas CCLXIII.

1 Potest Episcopus testari de bonis suis patrimonialibus. Ità Sotus, De *Iustitia, lib.* 10 *qu.* 8. *col.*

8. *col.* 4. Nauar. *De Redditibus Ecclesiast. quæst.* 1. *mon* 33. Molina. *De Priuileg. lib.* 2. *cap.* 10. Probatur; quia nulla lege prohibetur, dicta bona propria, & patrimonialia posse testari, alienari, & hereditari, dico bona patrimonialia, videlicet illa quorum, aperto Iure constat habere dominium, & possessionem, præsertim ante Episcopatū, prout melius infra patebit. Distinguendo de bonis, quorum aliqua dicuntur propria acquisita ante Episcopatum, vel post ipsum sibi succedunt iure consanguinitatis, vsque ad 4 gradum, quæ omnia non dicuntur acquiri intuitu Ecclesiæ, nec eius dominio subiici, quibus in bonis succedere videntur etiam Monachi Episcopi, qui bona renunciata in sui professione poterunt ad se reuocare, modò non fuerint alteri acquisita, ex S. Congreg. 11. *Ian.* 1631. Apud de Franch. *in controuers. inter Episcopum, & Regulares, quæst.* 118. Item Alia dicuntur bona intuitu Ecclesiæ acquisita, eiusque dominio subiici quia sibi accidunt ratione Episcopatus, vt sunt redditus, prouentus, eiusque fructus, & ea quamplures textus prohibent testari, *in Cap. Ad hæc, & Cap. Quia nos. De Testam.* Alia demum, quę sola contemplatione Episcopatus sunt acquisita, re vera tamen labore, & industria propria, vt ex promotione ad ordines, Sacramentorum administratione, Missarum celebratione, prædicatione, visitando, sententias ferendo, interessendo diuinis officiis, si forè esset Nuncius, Prorex, vel in simili officio. Quibus notatis apparet clarius: omnia bona primi, & tertii generis posse ab Episcopo testari, tanquam ea, quæ subsunt eius dominio, citrà contemplationem Episcopatus, vt per totam Allegationem 114. docet Barbos. *De Episcopo*, postquā docuerit de eo, nullam esse consuetudinem testandi de bonis Ecclesiæ acquisitis, quid quid sit de aliis inferioribus clericis, quocircà integrè manentibus Ecclesiæ bonis pro successore, testari potest de reliquis.

2 *Sed quid ad cognoscendum dicta bona, Cuius sunt?*

Respond. Vel illa possidebat āte Episcopatus adeptionē, & hęc proculdubio censenda propria. Vel post ademptionem, & hęc si aliundè improbātur, dicuntur acquisita intuitu Ecclesię, idipsum stante dubio, pro Ecclesia presumitur. Si verò probaretur titulus, & tempus instar acquisitionis curreret pro Possessore. *Ita Dacian. T om. 4. resp.* 80. *num.* 1. *cum sequent.*

De Episcopo translato à Summo Pontifice de vno ad alium Episcopatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest transferri à Summo Pontifice de vno ad alium Episcopatum.*

Potestas CCLXIV.

1 POtest Episcopus transferri à Summo Pontifice de vno ad alium Episcopatum, *ex Cap. Inter corporalia, Cap. Quanto, cap.*

Licet

Digitized by Google

Licet, De *Transl. Episcopi*, *cap. Cum inferior*, *De Maior. & obed. prob.* ad differentiam Matrimonii carnalis, cuius dissolutio diuino nutui reseruatur, ex illo Math. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separat*. Spirituale verò à solo Summo Pontifice, proùt ipsa Praxis rerum omnium magistra ostendit, tot decursis temporibus ante nos, & in dies practicatur id, quod alij docuere, ideò fortiùs concludēdū est, nilque ambigendum. Superest in pręsenti de modo, quem pręsefert ipsa translatio, Pro quo augunt DD. dicendo; translationem fieri de consensu Episcopi transferendi, aut alterius habentis ius postulandi, præsentandi, vel eligendi, & quomodolibet, vi absolutionis à vinculo primæ Ecclesiæ, à die notitiæ, apud Quarant. *V. Cap. S. Vac. vers. Terminus*. habitę per documētum Secretarii Sacr. Collegii, perdit iura primæ Ecclesię, etiam ante expeditionem litterarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, quo casu dispositio Trident. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 16. De eligēdo Vicario Sede Vacante habet locū, & Dubitatum in facti contingentia, ita conformitèr resolutum fuit à Sacra Congregatione, 10. *Decembris*, 1624. annuente Vrb. 8. pro Clero Hyspaniarum, incipit, *Nobis nuper* 20. *Martij*, 1625. vbi sic: *Ecclesiam, à qua Episcopus de suo consensu transfertur, ab eo tempore vacare, quo idem Episcopus ab illius vinculo in nostro, & pro tempore existentis Rom. Pontificis consistorij absoluitur; etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam secundæ Ecclesiæ possessionem; Postea quam verò ex testimonio, seù documento Secretarij Sacr. Collegij, vel alio modo huiusmodi absolutionis notitiam, Episcopus translatus habuerit, illicò ab exercitio ordinariæ iurisdictionis abstinère debère, eamque in Capitulum trāsire*. hæc ibi — Quod si trāslatio facta fuerit de postulatione Capituli, vel alterius, de cōsensu tamen Episcopi transferendi, idem esset casus, nec nō quando ignoraret translationem, nam benè nouit postulationem, cui consensit. *Ita* docuit Ioan. Andr. apud Barbos. *De Episcopo*, *Alleg.* 119. *num.* 7.

Si verò translatio fieret sine consensu transferendi, in quo adesset maior difficultas, & ex vna sunt DD. dicentes, non perdere iura primę Ecclesię, nisi per possessionem secundæ, & non ab absolutione facta in Consistorio; muniuntur, *ex Cap. Si quis translatus*. 21. *quæst.* 2. vbi dicitur, translatum non verè dici, nisi per adēptionem secundæ Ecclesię, & ex illo, quod beneficia translati non vacant, nisi post ademptam pacificam possessionem; Ex qua sententia infertur; Episcopum adhuc data absolutione, non cessat à iurisdictione prioris Ecclesiæ, adeoque, nec Capitulum venire ad electionem Vicarii, Hanc sententiam sequitur Barbos. *d. loco, num.* 9. — Ex alia parte non desunt dicentes: vi absolutionis absolui omninò à prima. Tum quia intentio Papæ est complacère translato, cui complacère debet translatio, ex cuius tacita acceptatione, Papa mouetur ad translationem, ex Rota, apud Farinacc. P. 2. *rec. decis.* 278. *num.* 7. Cui sententiæ adhęreo; tum ratione vinculi Matrimonii spiritualis soluti, tum quia, quod solitum est, non tollit pote-

potestatem in Pontifice, vt sine consensu transferat, sicut ad prouidendam Ecclesiam pendet à consensu transferendi, immò cōpertum multotiès contrà voluntatem transferendi, quo casu post absolutionem non dicitur verè Episcopus prioris Ecclesiæ. Ad sedandas itaque aliorum opiniones, ita praxis obtinuit: Capitulum nunquam deuenire ad electionem, nisi de testimonio Secretarii S. Congregationis, habito de absolutione prioris, & ità seruandum, quidquid sit de casu insolito, pro quo expectanda S. Apost. decisione.



De Episcopo transferente decimas de vno ad alium laicum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest transferre decimas, ab vno ad alium laicum.*

2 *Sed an Episcopus teneatur in transportatione frumenti mensa Episcopalis soluere gabellas?*

Potestas CCLXV.

1 POtest Episcopus transferre decimas de vno ad alium laicum, cui semel concessum à Summo Pontifice, ità Gloss. *in Cap. Prohibemus, De Decimis*, referunt Azor. *Instit. moral. P. 1. lib. 7. cap. 36. quæst. 5. cap. 3.* apud quem est Ioan. Andrea. Menoch. *illustr. cap. 83. num. 2.* estque communis apud Suarez, *De Relig. tract. 1. De Decimis, lib. 1. cap. 27. num. 7.* Probatur: quando decimę semel iusto titulo perpetuò transferuntur à Summo Pontifice, vel alio legitimo Superiore ad laicos, his decedentibus, & reuertentibus ad sedem Episcopalem, non est cur non possint ad alium laicum transferri, quia vi primæ, & iustę collationis factæ sunt de natura prophanorum, adeoque de his, sicut de bonis suis prophanis poterit Episcopus disponere, per venditiones, donationes, Emphiteusym, & alios similes contractus, ità tenent DD. apud Barbos. *De Episcopo, Alleg. 121. num. 9.* Tum quia quia detentio primò facta non est iniusta, & prohibita in dicto capite, sed iusta facta à legitimo superiore, iustoque titolo, vt par est, vi cuius prophanantur decimæ; factę igitur prophanę per reuersionem ampliùs non sunt Ecclesiasticę. Ita tenent DD. citati cū Gloss. *in d. Capite*, in quo prohibitio cadere docent, contrà iniustè detinentes, non verò iustè possessores. Prohibet etiam decimas transferri ad laicos, per Episcopum & minui, si de laico ad laicum. Addunt præterea: decimas Ecclesię per legitimum superiorem translatę iusto titulo, & in perpetuum dici alienatas ab illo, cui interest, & in patrimonium translatas; Quapropter non habet locum disputatio de Restitutione ad Ecclesiam. Sufficit enim reuersio ad Episcopū, vt possint alteri laico, vel si placet, & meliùs, loco pio, vel Religioso applicari.

Narrat denique Barbos. *in Collect. apostolic. decis. collect. 242. num. 9.* quædam exempla in confirmationem dicti. Tertias decimarum concessas fuisse Regi Fer-

Ferdinando, & Elisabethæ Reginę Castellæ, ab Alex. vi. incipit: *Indefessa, ibid. Febr.* 1494. & Alphonso Regi Castellę, à Clem. incipit: *Olim claræ.*

2 *Sed, an Episcopus teneatur in transportatione frumenti mensę Episcopalis soluere Gabellas?*

Respond. Negatiuè; tum quia sunt bona Beneficiorum, & Patrimonii propria, ideò priuilegiata, & nō ēpta. Ità Bononia *in Consil. Regni Patrim. Magistr. Rationalis Opus De Eccles. Immun. cap.* 1. *nu.* 53. vbi notatur casus de Canonico Agrigentino asportante frumentum sui Patrimonii Messanam, quæ prætendebat solutionem Gabellę, & fuit decisum in fauorem Canonici, quod fortiùs euincit de Episcopi patrimonio.

V

De Episcopo vendente lapides Ecclesiæ dirutæ.

SVMMARIVM:

1 *Episcopus potest vendere lapides Ecclesiæ dirutæ sed non ad prophanos vsus.*

Potestas CCLXVI.

1 POtest Episcopus vendere lapides Ecclesię dirutæ, sed non ad prophanos vsus. Ita, *ex Cap. Ad hæc, De Religios. domibus, & Cap. Quæ semel.* 19. *quæst.* 3. *& Cap. Ligna, De Consecrat. dist.* 1. Gloss *ibid.* Apud Nauar. *De Spoliis Cleric.* §. 18. *num.* 11. Zeroll. *in Praxi Episcopi, P.* 1. *V. Visitatio*, §. 9. Aloys. Ricc. *in decis. curiæ Neapol. decis.* 255. *& Praxi aurea, resol.* 201. Probatur: Materia Deo semel sacrata indecet execrari, & in sordidos vsus conuerti, conuenientiùs igitur alteri Ecclesię applicanda, Monasterio, Hospitali, vel alio loco pio; Idipsum recurrit de Altarium, Ichonarumque lapidibus. Materia quoque lignea, quę semel Dei domui ascripta fuit, nisi domibus, locisque piis vendenda, & applicanda est. Propterea Emptor animaduertitur ab Episcopo, nè in sordidum vsum reducatur, Conformitèr ad præfata decidisse S. Congregationem refert Aloys. Ricc. sic: Ordinarius non habet prophanare Cappellam, & si aliquam causam prophanandi habuerit, eius cæmenta potiùs Ecclesię tribuenda, quæ est caput dictarum Cappellarum, quàm Alteri. Hucvsque de Applicatione.

Quod autem possit vendere, pendet à dominio, quod habet, vel exercet in res dirutas, & collapsas, & trahitur à dominio iuris, quo construit, & durat, vsque ad dextructionem, inclusiuè, nisi tamen de alio peculiari iure ad alium pertinèret; cui quoque inesset dominium vendendi, & alienandi, atque ad pios vsus conuertendi cæmenta Ecclesię dirutę. p Ecclesiis verò, & Monasteriis Regularium extant Bullę *Iul.* 2.

Digitized by Google

incipit: *Virtute conspicuos*, 1. *Aug.* 1506. & Sixti V. *ann.* 1587. Apud Rodriq. *tom.* 2. *Quaest. reg. qu.* 49. *ar.* 4. vbi docet, quòd Dormitoria, & aliç officinæ dextrui poterunt, & eorum materia in alium Conuentum reedificãdum asportari licebit, dummodò dicti Conuentus non sint iurispatronatus particularis fundatoris, & non sibi illius dominium reseruauit, & Nicol. 3. *in Cap. exiuit, De Verbor. significatione in* 6. Ecclesias, Oratoria, & Cœmiteria ad vsum Fratrum Minorum ædificata transfert in ius, & proprietatem Pontificis (si nulla aderit reseruatio à concedente) adeoque ea dextrui poterunt, eorumque materia asportare, & applicare ad nouæ Ecclesiæ ędificationem; & licèt ligna, quç in Ecclesiæ constructionem inseruierant, adhùc pro fabricando dormitorio Religiosorum inseruire possunt. Vltimò Leo X. concessit adueniente necessitate Ecclesiæ Fr. Minor. & Monialium S. Clarç, possunt supradicta transferri de vno in alium locũ, dummodò ędificiorum materia ponatur in alia Ecclesia, Refert Franciscus de Turano, *in compendium ad Generalem Ministrum, V. Conuentus, num.* 3. & 4.



De Episcopo vidente concordiam Missarum celebrãdarũ vnà cum numero Sacerdotum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest vidère concordiam Missarum celebrandarum vnà cum numero Sacerdotum.*

2 *Sed num id praestare poterit eius Vicarius Generalis?*

3 *Sed num tollerari amplius possit dici Missas de Requiem in festis duplicibus?*

4 *Sed num licentia in scriptis obtinenda requiratur adhùc pro missis quotidianis, & manualibus?*

Potestas CCLXVII.

1 POtest Episcopus vidère concordiam Missarum celebrãdarũ vnà cũ numero Sacerdotum. De hac potestate satis egi *Potest.* 136. vbi examinauimus decretum Vrb. 8. conformitèr ad Trident. *sess.* 21. *De Reform. cap.* 4. cum quibus stat exposita potestas. Enim verò in Synodo Diœcesana inter alia, quæ videnda, & discutienda erunt, suum obtinet locum Decretum pro videndo, & inuigilando in concordiam Missarum satisfaciendarum cum numero Sacerdotum, id non ad minorandum numerum Missarum, cum sit per Decretum prædictum vetitum, sed nè Sacerdotes sint desides in tali munere obeundo, neuè sint recepta maiora onera, suprà vires, & absque licentia, & facultate Episcopi, in Ecclesiis, Cappellaniis, & Hospitalibus sibi de iure subiectis. Etenim de Regularibus exemptis, Generales, & Prouinciales id abibunt. Propterea si qui in hoc sint negligentes, & licentiam in scriptis non ostenderint, fas erit eos punire, corrigere, & interdictos

ctos declarare, prout disposuit dictum Vrb. *decretum, sub Anno* 1625. Dicerem quoque, nè dum de numero discreto, verùm de continuo, & perpetuò, ad mensam eleemosynarum perpetuarum, vel ad tempus, v. g. Si Sacerdotes, quibus ex onere, perpetuò impositum est ratione Cappellæ, vel beneficii perpetuò celebrare, si sint discordes in hoc. Insuper de qualitate, Rituque Missarum, videlicèt de festo, vel de Requiem, & ad contrauentionem luant pœnas in correptione. Videndum quoque, num Missæ maiores respondent sollemnitatibus, pompa, & apparatu, quo decet, nec nè conformitèr ad Rubricas in Missali Romano reformato, & si qui sint abusus euellere, & eradicare; omniaque ea, quæ auaritiam interesse, & superstitione sapiunt amouère, ex Trident. *sess.* 22. *De Celebr. Missarum.*

2 *Sed num id præstare poterit eius Vicarius Generalis?*

Respond. Proculdubio, ex Decreto Vrb. citato sic: Episcopus verò, seù eius Vicarius, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesię, Monasterio, vel loco pio incumbentibus, nec ante assensum huiusmodi aut licentiam prebeant, quàm nisi legitimè constiterit illius Sacerdotes, tàm nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse, perpetuam rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquantur, omninò respondeant omnibus iniunctis.

3 *Sed num tollerari ampliùs possit dici missas de Requiem in festis duplicibus?*

Respond. Nequaquàm, ex nouissimo Decreto Alex. 7. incipit: *Cum Sanctissimus 5. Aug. 1662.* vbi sic: *Quod si ex benefactorum præscripto Missa huiusmodi celebrandæ incidunt in festum duplex; tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, sed dicantur de festo currenti cū applicatione Sacrificij, iuxtà mētem quorundam benefactorum. — In eos autem, qui contrafacere, ausi fuerint, vel præmissa adimplère neglesserint, locorum Ordinarij, tàm Seculares, quàm Regulares pro modo culpæ animaduertant.*

4 *Sed num licentia in scriptis obtinenda requiratur adhùc pro missis quotidianis, & manualibus?*

Respond. Prohibitionem pro vtrisque currere, ità ut nec perpetuò, nec ad tempus possint onera recipere, quando aliàs susceptas non satisfecerint, hoc solo discrimine, quod si pro quotidianis nō requiratur licentia Ordinarii, ex apertis verbis dicti Decreti sic. *Prohibet nè imposterum onera perpetua suscipiant sine Episcopi licentia in scriptis obtinenda, & gratis concedenda. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ità demum iisdem accipere possint, si oneribus ante impositis ità satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant.*



De Episcopo visitante Clausuras Monialium, etiam exemptarum.

SVMMARIVM

1 *Episcopus potest visitare Clausuras Monialium, etiam exemptarum,*

2 *Sed num id efficere valeat Vicarius Generalis?*

3 *Sed quid significet;* toties quoties?

Potestas CCLXVIII.

1 POtest Episcopus visitare Clausuras Monialiũ etiã exemptarum, toties quoties, hanc potestatem innui, *n.* 230. ex Greg. xv. vt infra, & Trident *sess.* 25. *De Regular. cap.* 5. B. Pio v. Greg. 13. aliisque Summ. Pontificibus, per quos Episcopus est constitutus S. Apostolicæ delegatus ad vigilandum supera clausuras Monialium, etiam exemptarum, quoties opus fuerit. *Itaque* visitando poterit ordinare, quæ necessaria sunt, puta si fabrica rupta, debilis, periculosa, humilis, quæ prospectum viarum, vel vicinorum non occluderet, roborare, eleuare, & resarcire; si fenestrę, portæ, collocutoria, & alia huiusmodi, exteriores crates statui monialium non respondèrent, restringere, transportare, vel occludere. Si ligniaria exteriora sint vetustate collapsa, seù rupta, innouare, aut restituere. Propterea poterit Ordinarius interrogare, & examinare super his, quæ spectant ad dictam clausuram, ex S. Congregatione, 1581. Apud Sell. *in Select. cap.* 8. *num.* 34. Contradictores punire, & corrigere poterit, sic ordinante Greg. xv. incipit: *Inscrutabile*. 5. *Febr.* 1622. & licèt huiusmodi visitatio fieri poterit sine præsentia superioris, cui subduntur dicta Monasteria, ex S. Congregat. 22. *Aprilis*, 1617. apud eundem Sell. *d. loco, num.* 35. Congruit tamen, & decet vnà cum illo, cui primo inest cura seruandę clausuræ, vt simul possint ab imminentibus periculis Moniales èruere.

2 *Sed num id efficere valeat Vicarius Generalis?*

Respond. Affirmatiuè; adhùc absque speciali mandato, ex S. Congregat. 13. *Maij*, 1618. habet Sell. & refert Barbos. *in Collect. Apost. decis. V. Clausura, num.* 1.

3 *Sed quid significat,* Toties, Quoties?

Respond. *Sonare: quoties opus fuerit,* habita priùs notitia in generali visitatione, vel extrà illã, vt dicatur fundamentalitèr opus esse; vidère clausuram, Ex quo nõ ad voluntatis nutum, nec quotidiè, sicut verba semper, & quandocumque non operantur infinities, apud Barbos. *in tract. de varijs clausulis,* 180. Quem sensum concordare aiunt DD. cum Tridentina dispositione, in qua habetur facultas restituendi clausuram violatam, & inuiolatam conseruari, propterea ex motiuo habito conseruandi, poterit vti dicta facultate, sic conformiter decidit S. Congregatio, 26. *Maij,* 1640. *in vna Conimbricen.* teste Card. Pamphilio, vt per extensum habet Barbos. *in d. loco Concilij, num.* 13.

Memores sint Posteri; Irruptionis permagnę Incendii Ætnalis, Siciliæ, *an.* 1669. 11. *Martij,* ad cu

cuius impetum Sanctimonialium Monasteria Catanę deserta fuère, & seruatis Monialibus, Omnes ingrediebantur, & egrediebantur, nulla seruata forma clausuræ. Similitèr dico de vastissimo, & eximio RR. PP. Benedictin. Cœnobio, sub titulo S. Nicolai de arenis, materia ignita Æ'nali circumdato, fugientibus omnibus Religiosis, cum libertate omnium, etiam Mulierum, ingrediendi; hoc propter irruptionem Clausurę, quę eo dum tempore non seruabatur.

De Episcopo visitante Diœcesim, & omnia sibi iure credita.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest visitare Diœcesim, & omnia sibi iure credita.*

2 *Sed quid de tempore visitandi?*

3 *Sed quid de modo procedendi in visitatione?*

4 *Sed quid de subiectis Episcopali visitationi?*

Potestas CCLXIX.

1 POtest Episcopus visitare Diœcesim, & omnia sibi iure credita. ità disponentibus Conciliis Tolet. 4. *cap.* 35. & Tridentin. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 3. Quę potestas est orta de iure Diuino, ex illo Lucę, 22. vbi Iesus dixit Petro: *Et tu aliquando confirma fratres tuos*. Hoc est tamquam bonus Pastor debet vigilare in grege sibi subditum, vigilando inquirere, & inquirendo emendare, & emendando corrigere, & ecce visitationis finis, vt subditi debitam viuendi rationem obseruent, vel obseruari procurēt, Quare Episcopus visitabit paternalitèr, & iudicialitèr, hoc est sine, vel cum forma iudicii, proùt monet Apostolus 2. *ad Timoth.* 4. *Argue, obsecra, increpa*, & Trid. ibidem. Visitationum sit scopus, sanam doctrinam, expulsis erroribꝰ introducere, bonos mores tueri, prauos corrigere — Subdit — quæ vt faciliùs succedant moneantur omnes, ad quos visitatio spectat, vt paterna charitate, Christianoque zelo omnes amplectātur. Visitandi ius, & potestas competit Episcopis propter fundatam intentionem, quam habent in omnes Ecclesias, & suæ Diœcesis Ecclesiasticos. *ex Cap.* 1. §. *hanc. De Censib. in* 6.

2 *Sed quid de tempore visitandi?*

Respond. cum Trident. *d. loco*, ita disponente: Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut suum Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem; ita tamen, vt tota, triennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Sacr. tamen Congreg. Trid. reliquit hoc Episcopi arbitrio, quem admonuit, debère tempus hoc esse discretum, nè visitandi grauentur, at prima vice diligentiùs, & deinceps, nōn diutiùs immorandum. Apud Gauāt. *in Praxi Episcopi*, §. 1. *De Visit. in genere*. Quibusdam tamen Episco-

piscopis placuit singulis trienniis, & forè propter Diœcesũ amplitudinem, aut propter consuetudinem, vt restatur decisum Alban. *in Compend. Canonic. Regularium, lib. 2. tit. 16. num 6.*

3 *Sed quid de modo procedendi in Visitatione?*

Respond. Modum tenendum dedisse Pontificale Roman. sub titulo, *Ordo ad visitandas Parochias*, P. 3. Gauant. *in Praxi compendiaria*, & ostendunt Authores. Fuscus, Felician. *in Manuali Episcoporum*, Rochus De *Visitatione*, Azor. *Instit. moral.* P. 2 li. 3. C. 46 & alii varias instructiones efformantes discriminatim pro quacumque Ecclesiastica; Idcircò nè sermonem protraham, remittere visũ fuit ad præfatam praxim, vbi de decernendis, & decretis, agendis, & actis, edicendis, & edictis, iuxtà vnamquamque rem, & personas suo muneri subiectas sine, vel cum Notario prout ipsi placuerit.

4 *Sed quid de subiectis Episcopali visitationi?*

Respond. Episcopo visitare licebit loca, personas, & officia. Sub nomine locorum intelliguntur Ecclesiæ, Cathedrales, Collegiatę, Parochiales, Beneficiatę, & Simplices; Oratoria, Confratriæ, Hospitalia, loca pia, & Collegia, ex Trident. *sess. 22. cap. 8.* Monasteria Monialium sibi subiectarum, vel Regularium, quòad eorum clausuram, ex Trident. *sess. 25. cap. 5.* & Ecclesiæ vnitæ nullius Diœcesis; Curatę Æquitum Hierosolemytanorũ, de quibus melius *P. post. Impos.* 1611 Domus Regularium, vbi non degunt saltem 6. fratres de familia ex nouo S. Congregationis Decreto, 29. *Nouemb.* 1657. apud Lantuscam, *in Theatro, V. Conuentus, num.* 13. post Decretum *De Celebrat. Missarum*, vbi sic: *nisi sint minus* 12. *poterant ab Ordinario visitari.*


Personę verò sunt; Abbates Seculares; Canonici non exempti, Parochi, Beneficiati, Clerici Sacris initiati, & Sacerdotes. Moniales non exemptæ, Administratores locorum piorum, Confratres, Quęstores, & Officiales respectiuè, prout recenset Gauant. *ibid. §. 7.*

Officia denique, sub quorum nomine veniunt beneficia, redditus, satisfactiones, alienationes, locationes, administrationes Sacramentorum, licentię, & facultates celebrandi, & confitendi, præbendæ, distributiones Canonicales, & Parochiales. Onera perpetua, & temporanea Missarum celebrandarum, & celebratarum. Si quę processiones, & solemnitates respondent ritibus, & rubricis preceptiuis. Conciones quadragesimales, extrà quadragesimales, eorumque mercedibus, & emolumentis. Sacristiæ, officia, sponsalia, dispensationes, & impedimenta. Gymnasia publica, & alia, vt moris est. Nil igitur superest pro adimplenda Potestate Visitationis, nisi seruare ritum, formam, & praxim locorum, personarum, & officiorum, sibi iure subiectarũ; qui omnes si desides, vel negligentes fuerint, poterunt corrigi, & puniri ab Epo, vigore Trid. *d. loco, cap.* 3.

Addo, in ipso quoque visitationis actu, tamquam Sedis Apostolicę Delegatus, poterit visitare omnia loca exempta, & Sedi Apostolicæ immediatè supposita, ex Tridentino, *sess.* 21. *De Ref. cap.* 8. excipe illa suo Præ-

lato

lato subiecta, à quo, & non ab Episcopo erunt visitanda, apud Cocher. *De Iurisdictione Ordin. in exemptos*, P. 3. *quaest.* 29. *nu.* 3. Itidem quoscunque Clericos exemptos, etiam Prothonotarios, ratione beneficiorum in sua Diœcesi existentium, vt sunt Cappellani Regii, Residentes in Curia Romana, & familiares Cardinalium, ex Tridentino *sess.* 24. De Ref. *cap.* 11. Ita Eman. *tom.* 2. *quaest.* 108. *ar.* 3. Demùm Parochiales nullius Diœcesis, tamquam proximiores, Beneficia etiã exempta ex Tridentino, *d. loco*, *cap.* 9. Non autem Altaria, seu Cappellas confraternitatum in Regularium Ecclesiis, de quibus dicam, P. *post. Impot.* 160.



De Episcopo vniente beneficia Ecclesiarum sibi subiectarum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest vnire beneficia Ecclesiarum sibi subiectarum ex causa, & vtilitate earumdem.*

2 *Sed quid, si beneficia sint reseruata?*

Potestas CCLXX.

1 POtest Episcopus vnire beneficia Ecclesiarum sibi subiectarum, causa, & earum vtilitate concurrentibus. Ita colligunt ex *Cap. Exposuisti, De Praebendis*, & Tridentin. *sess.* 24. *De Refor. cap.* 13. Vgolinus *De Officio, & Potest. Episcopi, cap.* 52. *num.* 2. Castropalaus *Oper. Moral. cap.* 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *P.* 12. Quae Potestas modulatur sic: Vel quod ex duobus beneficiis fit vnum, vel quod vnum alteri principaliori vnitur, ita *ex Cap. Sicut vnire, De Excessu Pralat.* & recurrit, nè dum quòad Ecclesias Seculares, verùm etiam, & si voluerit Ecclesiam, seu beneficium suae Diœcesis alteri Religioni vnire. Qua in vnione non requiritur Rectoris consensus, vt probat Clement. *Si Rector. De Rebus Eccles. non alienandis*. Secùs si Ecclesia fuerit de Prelato exempto, vel Iure patronatus, & tunc accedere oportet in vnione consensus. Capituli denique consensus in vnionibus faciendis requiritur antecedens. Vel subsequens, estò Fuscus, *lib.* 2. *cap.* 26. defendat per contrariam consuetudinem obiisse, & sequitur Greg. *De Benef. cap.* 20. *num.* 6. Ipse tamen non recederem à prima sententia quod requiritur, quia solemnitas in fauorem Ecclesiae introducta est, vt decisum apparet apud Farinac. *P.* 2. *rec. decis.* 455. *num.* 5. Itaq; concurrentibus vtilitate, & consensu illorũ, quorũ interest, poterit fieri vnio, vt benè probant DD. apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 66. *à num.* 17.

2 *Sed quid, si Beneficia sint reseruata?*

Respond. Attenta Trid. *dispositione, sess* 21. De *Reform. cap.* 5. proculdubio posse Episcopum tamquam S. Apostolicae delegatum vnire dicta beneficia; In quo casu meliùs; nullus requiritur Capituli consensus, ex Nauar. *cons.* 10. *De Officio Delegati*, & Zeroll. *in Praxi Fori Eccles. decis.* 487. Quamplurima recenset Barbos.

Digitized by Google

d. loco, à num. 39. — 1. Vnio sēper se tenet ex parte termini, videlicèt si Parochialis vniatur beneficio simplici sortitur naturam illius. — 2. Si vniretur Canonicatui non requirit ætatem 25. annorum, sed sufficientem ad Canonicatum. — 3. In Prouisione dignitatum habentium vnitam Parochialem perpetuò, & accessoriè nō esset faciendum concursum. — 4. In impetratione non erit opus exprimere Beneficium accessorium. — Si quis illegitimus voluisset beneficium simplex cui esset vnitum Parochiale, seù curatum, posset ab Episcopo dispensari. Deniq; 6. Promotum ad Parochiale vnitum accessoriè non parochiali, non exigere requisita, *ex Cap. Licet canon. De Elect. in 6.* vt sunt ętas 25. *ann.* & infra annũ vt assumatur ad Sacerdotium. Vide Azor. *Inst. Morali*, P. 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 8.

De Episcopo vtente sua iurisditione pro tuenda Ecclesiæ Immunitate.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest, & debet vti sua iurisditione pro tuenda Ecclesiæ immunitate.*

2 *Sed quid, & quotuplex sit Ecclesiastica Immunitas?*

3 *De casibus exceptis in Bulla Gregoriana?*

4 *Quid de cognitione Episcopi,* An verè Rei dictos casus commiserint?

5 *De quibusdam casibus ad materiam spectantibus.*

Potestas CCLXXI.

1 Potest, debet, & tenetur Episcopus vti sua iurisditione pro tuenda Ecclesię immunitate, de qua dixi *Potest.* 3. *n.* 4. *fol.* 8. cũ Doctoribus ib., & hic citatis. Probatur: Cum de omni iure diuino, & humano, Ciuili, & Canonico sit Immunitas Ecclesiastica, diuersis ex iuribus ostensa à Canonistis, Legalibus, & Moralistis, illis erit tueri, & defendere, qui in statu Ecclesiastico præsunt Episcopi ad clamorem S. Canonum, & Conciliorum ab initio nascentis Ecclesiæ, & nouissimè ex Tridentino, *sess.* 24. & 25. *De Refor. cap.* 20. in quo admonentur à PP. illius S. Concilii Omnes Principes Seculares, vt sint defensores, & protectores illius, *Magistratus* quoque omnes, ne Ecclesię, & personarum Ecclesiasticarũ Immunitatem, cupiditate, vel inconsideratione violent. Neuè Domini temporales, vel eorum Ministri illam lædi patiantur. Hæc Trident. Contra violatores Immunitatis extat excommunicatio reseruata; vt ipse innui *Potest.* 3. *n.* 4. §. *Obitèr nota.* Estque adeò, & euidens hęc potestas in Episcopis, vt de ea, vel probatio longa ex variis Canonibus, & Conciliis, decisionibus, & Doctoribus comprobata; Vel nulla, quia non ambigenda, sed supponenda; non probanda, sed percurrenda, ne aures fidelium expugnam in eo, quod coram Deo, & hominibus ab Ecclesiæ natiuitate sancitum, stabilitumque est, & quidem nedum à laica potestate semper fuit immunis Ecclesia; verum etiam Ecclesiastici omnes, ratione Canonis, & fori: Atque adeò omnes qui-

quicunque illi sint Fideles, Infideles, Heretici, Scismatici, Apostatæ quocunque atrociori crimine, vel censura innodati, confugientes ad Ecclesiam, (aliquibus in delictis exceptis, de quibus infra *num.* 3.) redduntur immunes, illius priuilegio libertatis gaudentes. Rixant quandoque Potestas laica, & Ecclesiastica inter se, aliquibus in casibus dubiis, illa ad capiendum, & puniendum Reum confugientem; hæc verò ad defendendum: quo casu Reum adducere oportet ad Carceres Episcopales, donèc cognoscatur ab Episcopo, An excepta delicta verè commiserit. Gauant. *V.* *Immunitas num.* 25. vt meliùs dicam inferiùs *num.* 4. *&* 5. ex quo patet posita Potestas.

2 *Sed quid, & Quotuplex sit Ecclesiastica Immunitas?*

Respond. Immunitatem Ecclesiasticam esse: *Exemptionem Ecclesiæ à iurisditione laica Potestatis.* Ita omnes communitèr apud DD. infrà ex multis Conciliis, presertim Lateran. *sub Innoc.* 3. *cap.* 46. & Trident. *loc. cit.* quorum Decreta fuère recepta, & confirmata à primo Ecclesiæ lapide ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Christianis, vt probauit, & retulit Azor. P. 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *qu.* 1. & Alii apud Granado *in* 3. *P.* *Controu.* 9. *tract.* 4. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 16. Omnes defendentes esse de iure Diuino, aut saltem Canonico, quorum canones semel amplexati, repetere non possunt dicta Christianorũ Capita, hoc luce clarius, ideò

Immunitas Ecclesiastica alia localis, sub qua veniunt omnes Ecclesiæ Deo, & sanctis eius dicatæ, authoritate Episcopi constructæ, quamuis non perfectæ, sed inceptæ, violatę, vel dirutæ cum spe reędificationis. Oratoria, Cemæteria, Hospitalia, Monasteria Religiosorum, Palatia Cardinalium, & Episcoporum, etiam Tutilarium; nec non Collegia authoritate Pontificis erecta, eorumque supradictorum Sacrorũ locorum cõtigua Viridaria, Horta, Grancię, Claustra, & similia. Ecclesiarum paritèr portæ, scalę, tecta, Campanilia, Sacristiæ, ad quę omnia fauorabile priuilegiũ Immunitatis localis extenditur.

Alia personalis, sub qua veniunt omnes Clerici, quamuis prima tonsura insigniti, & ad seruitium Ecclesiæ deputati, deferentes habitum clericalem. Religiosi approbatarum Religionum omnium, eorumque Nouitii, & Tertiarii sub illorum tecto viuentes, de quibus vide *Pr. part. pot.* 110. *pag.* 198. *num.* 3. nec non Religiosi Militares authoritate Papę erecti, ad tuendam Ecclesiam ab Infidelium, & Hæreticorum incursibus, quorum arma, & entia stant pro illius defensione.

Tertiarię quoque collegialitèr viuentes, emisso castitatis voto in Regula approbata, nec non si sint S. Francisci etiam Domi viuentes, vitamque cælibem ducentes ex voto publicè emisso, quæ omnes gaudère priuilegio canonis, & fori, docuere multi apud Dianam. *Summ. V. Immunitas à n.* 22. & notaui fusè *Potest.* 8. *à num.* 5. Tu verò Amice lector quo ad Tertiarias domi viuentes consule decisiones Regni Siciliæ. Immunitas insuper alia est delictorum omnium cuiuscũnq; sint generis, ita quod confugientes omnes vtriusque sexus ad Ecclesiam de ipsius priuilegio fruuntur, & gaudent, aliquibus tamen excep-

tis, de quibus suptus n. 4. ad quos dictum priuilegium extendi noluit Greg. xiv. vt patebit.

3 De *Casibus exceptis in Bulla Gregoriana.*

Respons. patet ex verbis dicti Greg. xiv. in Bulla, quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli, ann.* 1595. 24. *May,* sic:

Vt laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa prædicta confugientibus. Si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stradas obsident; ac viatores insidijs aggrediuntur; aut depopulatores agrorum; quiuè homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesijs, earumuè cæmaterijs committere non verentur; aut qui proditoriè proximum occiderint; aut Aßaßinij, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis *in personam ipsius met* Principis: *Immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Quibus ex verbis clarè cōstat delicta excepta, ob quæ confugientes ab immunitatis Ecclesiæ priuilegio repelluntur, esse n. septem:

1 *Publici latrones, & Grassatores viarum;* quos dicas esse, qui sæpiùs, & multotiès furati fuere in publica via; Ex quibus excluduntur, qui semel; vel sæpiùs tentarunt delictum, effectu non sequuto, vt non pauci notarunt apud Dian. P. 2. *resol.* 46 n. 10.

2 *Depopulatores agrorũ*, quos intelligas: incendiarios segetum, vel frugum agrorum; Ex quibus excluduntur alii incendiarii, adhùc immaniores, putà portarum Ecclesiæ, & similium, vt aduertit Peregrinus *cap.* 12. *num.* 15.

3 *Homicidiarij, & mutilatores in Ecclesia, vel Cæmaterio,* quos dicas: esse eos, qui verè commiserint homicidium, morte sequuta. Ex quibus excluduntur hi, qui ab Ecclesia ictum emiserunt, quem occidendo extra il ā, non verò è contra. Item vulnerātes in Ecclesia gaudent, neutiquā verò Mutilatores. Occidens confitentes peccata sua extra Ecclesiam gaudet, apud Dian. *in Sũm. loc. cit.* & quia exceptio stricti iuris est, Hic nomine Ecclesiæ non veniunt portica, tecta, scalæ, & similia, cum sumus in odiosis, secùs in fauorabilibus: lege Dian. P. 3. *tract.* 1. *resol.* 39.

4 *Homicidium proditorium*, quod intelligas: de patrato ab illo, qui occidit simulata amicitia, nullo præcedente rācore, vel inimicitia, quam occisus præcauere non poterat. Aduertendo quod inimicus reconciliatus semper est talis, apud Riccium P. 1. *dec.* 168 *num.* 2. Ex quibus excluditur occidēns quendam à tergo qui propriè vocatur traditor, & non proditor, occidēns infantem in vtero, quia infans non est doli capax, & Occidentes infideles, qui hi nō sunt proximi Bonac. *in Præcep. decal. disp.* 7. *quæst.* 3. Occidentes inimicum veneno, vel dormientem, non dicuntur proditores: Clem. 8. 6. *Febr.* 1597. Mulier autem filium infantem occidendo non gaudet immunitate, *ex S. Congregat.* 3. *Decembris,* 1672. vt notauit Lezan. *tom.* 3. *De Immun. num.* 12. Vide Sũm. Dian. *V. Immunitas, sub. n.* 28.

5 *Assassinium.* Dicas esse, quando quis alium, vel alios pæcunia corruptos secū ducit ad occidendum, sequuta morte; Alii verò voluerunt, adhùc si vulnerauerint, apud Layman *lib.* 4. *tom.* 9. *cap.* 5. *num.* 9 Mandantes dicuntur assassinii, Mandatarii verò nequaquam,

quam, apud Dian. P. 6. tr. 1. res. 11
6 *Haeresis.* Intelligas pro dumtaxat delicto formali haeresi, vel alio haeresim sapiente, idipsum de Scisma, Apostasia, & infidelitate formali. Ex quibus excluduntur alia delicta in haereticis, scismaticis, Apostatis & Infidelibus, quos ob alia delicta, de sua pietate non excludit Ecclesia, apud Farinac. *cap.* 13. *num.* 170. enarrat Dian. *Summ. V. Immun. quod personas, à num.* 14.
7 *Crimen laesa Maiestatis*: Hic nomine Maiestatis, veniunt omnes Principes Supremi; puta: Imperatores, & Reges, qui in temporalibus aliam superioritatem non agnoscunt, & quia in praefata Bulla habetur *In persona eiusdem met Principis*: clarè videntur excludi Omnes alii inferiores etiam immediati, cum sit dignitas personalis priuatiua quoad omnes alios, qui non sunt Imperatores & Reges. Enim verò in aliis, non persona, sed authoritas laederetur, apud Dian. *P. 6. tr.* 11. *resol.* 18. *&* 19. *Summ. d. loc. quo ad delicta, à num.* 30. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 36. *cap.* 7. *P.* 6. §. 8. *n.* 3. Pariter sub nomine Maiestatis veniunt omnes Cardinales, qui sunt Principes Eminentiss. Ecclesiae purpura reali vtentes, & facientes vnum corpus cum S. Pontifice & habentibus similem Regũ Maiestatem. Ex quibus excluduntur criminosorum horum Coniuratores, Machinatores, receptatores, vel defensores; pro quibus sicut de atrocioribus criminibus supra exceptis, consulendus erit Papa, vt multoties factum fuit. Cum exceptio stricti iuris sit, & ad illa dumtaxat superius relata crimina extenduntur; Quaeq; sola poena ordinaria, & in iure taxata, alia verò licet atrociora, extraordinaria plectuntur, vide Summ. Dian. *d. l. à num.* 30.

4 *Sed quid de cognitione Episcopi.* An Rei verè dictos casus exceptos commiserint?

Respond. Et quia in praefata Bulla Greg. §. 5. habentur haec verba. — *Quodque delinquentes laici praedicti, postquam vt praefertur ab Ecclesiis, locisque Sacris extracti, & capti fuerint ad Carceres Curiae Ecclesiasticae reponi,* — *& detineri debeant, nec indè extrahi, curiaeq; seculari praedictae consignari, nec tradi possint, Nisi cognito priùs per Episcopum, aut eius deputatum. An ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint . . .* Clarè, apertèque cõstat Episcopum constitutum esse Iudicem ordinarium, ex conditione adiecta *Nisi priùs*, & quidem *priuatiuè* quoad alios inferiores, ex verbis in eadem Bulla §. 4. *Volumus, decernimus, & declaramus, vt Curia secularis . . . Ab Ecclesiis . . . laicum delinquentem in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personae Ecclesiasticae, ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non alios inferiores . . . praedictam licentiam dandi, facultas pertineat.* Vltra quod praecisa Gregoriana, ipsi Episcopo semper fuit de iure cognoscere omnes casus confugii ad Ecclesiam, ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 20. nec non Bullae *Ioann.* 22. *Sixti. v. & B. Pij. v.* vt benè notarunt, adiunctis variis S. Congreg. Decretis, Doct. infra, praesertim Pignatelli, *loc. citando*, & Barbos. *De Iure Eccles. lib.* 2. *De Immun. cap.* 3. *num.* 154.

Ad satisfaciẽdũ igitur proposito

qua-

Digitized by Google

quęsito de cognitione prærequisita in Episcopo. An confugientes verè commiserint excepta delicta, vel eorum aliquod, pro Reo defendendo, vel priuando immunitatis priuilegio, quam docent communitèr DD. debere esse iuridicam probatiuam, seù probatam, ex processu ab Episcopo fabricato, & cònstita veritate commissionis delicti excepti patrati per sententiam Iudicis Ecclesiastici, Criminosi huiusmodi, vel traduntur curię seculari pœna ordinaria pro delictis commissis puniendi, vel si nõ, defendendi ab Ecclesia, tanquam ad eius pietatem confugientes. Pro quo notũ sit. Cognitionem Iuristicam, & probatiuam, aliam esse plenam, hoc est claram, & euidentem, per contestes omni exceptione maiores, ortamque ex instrumentis, litteris, cæterisque eius generis, vt non possit tergiuersatione cælari, & hæc sola, vna cum Rei confessione inducit Iudicem ad condemnandum Reum pœna ordinaria, ex Gaet. Panor. aliisque iuris peritis. Aliam semiplenam, quæ est illa, quam faciunt testes singulares, & si omni exceptione maiores, orta ex coniecturis, & indiciis, ex quibus insurgere solent probationes, quę vocantur præsũptiones, vide *Pot.* 18. *n.* 3. *fol.* 43. Quibus notatis non modica dissentio est inter DD. Legales, & Canonistas, Primi quidem sustinent: semiplenam sufficere, pro arbitrio Epi, Secundi, *Plenam*, pro immunitate tuenda; iurisque exceptiui conseruationem.

Ciuilistarum sententia de Semiplena cognitione rationes sunt sequentes. Tum quia hęc sufficit ad informandam conscientiam Episcopi de patrato delicto. Prob. antecedens. si per indicia sufficit ad torturam, ergo magis ad informandum Episcopum. Tũ quia cognitio semiplena, & per grauiora indicia sufficit ad priuandum hæreticum Immunitate de leui suspectum, ergo paritèr ad priuandum Reum immunitatis priuilegio, per indicia grauiora commissi delicti excepti. Tum deniq; crimen per indicia probatum facit *Episcopum* vt indubiè credat, quod sufficit ad mentem Gregor. constitutionis, ad effectum extrahendi reum, & curiæ seculari tradendum. — Quã sententiã Ciuilistarum, tamquam ad mentẽ Abb. *in Cap. Sollicito, De Restit. coll. dec. in Cap. consult. in 3. notab. De Officio consult.* Barol. *digest. de Cod. & demostr. & in lege Bona fidei, num.* 28. *vers. Vnum restat:* Farin. *in Nouis.* P. 1. *decis.* 573. Ludouic. *decis.* 13. Genuens. *in Praxi Archiep. Neap. cap.* 76. *n.* 2. *fol.* 288. & Alii, quos citat Ciarl. *lib.* 1. *contr. cap.* 10. *à n.* 61. & Milazz. *Asser.* Legal. *asser.* 7. *à n.* 26. aliosq; apud eosdem viua retulit voce, in regali, & Canonico liceo Catanensi in Sicilia coram Ill. *Presule* V. I. D. Don Alexander Scammacca eruditè moderans publicam, primamque vespertinam Cathedram, dicens: *Arbitrium*, ad mentem Gregorii indicere semiplenam probationẽ, immanitate delicti, & feritate personæ attentis.

Canonistarum autem rationes de Plena cognitione, omnino in Episcopo requisita, sunt quę sequuntur: Tum quia illa cognitio est sufficiens in Episcopo, quæ habetur in processu sua authoritate fabricato, concludens contra prępsumptionem, queq; facit assertionem contra illam, ideò Testes in

pro-

processu debent cōcludere de necesse, & quia agitur in præiudicium tertii expoliandi priuilegio immunitatis, ad quod Reus habet ius gaudendi, sicut cæteri criminosi, qui de reuerentia Ecclesiæ debenda, fruuntur illius immunitate, qua non erunt priuandi ex solis indiciis, & præsumptiuis, nec æquiuocis probationibus, quę possunt esse, & non esse, aut dubijs, & indiciatis, sed ait Bulla; *Nisi cognito per Episcopum, An ipsi verè commiserint*: ergo cognitio debet esse vera probatiua clarè, hoc est ad verificandam commissionē delicti verè patrati, nam ex vera cōmissione requisiti delicti, insurgit vera cognitio, & nō dubia, neq; indiciata. *Euidens*: hoc est quod nulla possit tergiuersatione celari, cum agitur de tradendo Reo *Iustitiæ* puniriuæ, pœna sanguinis, ideò nisi ex euidentissimis rationibus, & testibus contestibus, euidenter probantibus delictum fuisse verè commissum, ex tenore Gregoriano *Luce clarior*: hoc est non ex obscuris, & indiciis ortis à maleuolis, sed luce meridiana coruscantibus, aliàs lęderetur vera Iustitia, quę est propria Dei necnō propria Iudicis rectè iudicantis. *Certa*: hoc est pre oculis habita, per testes de visu, quia Testes huiusmodi fidelius probāt, quàm ex auditu aliorum; Tum quia certitudo testium vna cum confessione Rei conducit iudicem ad pœnam ordinariam pronūciandam, ideò nō æquiuoca, hoc est anceps ad non essendum, sed firma, & subsistens debet esse.

Quā sententiam docuit Iacob. Pignatelli *lib. Consult. Canon. Romæ Typis dato, ann. 1668. & ann. 1673.* coram Curia Romana secum ducens alios, variosque magnę considerationis viros *lib. 1. cons. 127. à num. 12. & lib. 2. cons. 36. à n. 1. § Ita sanè*, vbi ait: Cognitionem debere esse veram, plenam, concludentem, & in alio in loco *tom. 2. citato, num. 2.* ait: debet concludentissimè, ac euidentissimè id probare, & *num. 5. in fine*, habet: *Maximè ad fundandam iurisdictionem Iudici laico, in præiudicium extracti ab Ecclesia*, cum Donat. *De Asyl. resol. 191. num. 4.* Vide Bonac. *De Præcep. Decal. disp. 3. qu. P. 7.* Dian. *P. 3. tract. 1. resol. 38. & P. 6. tract. 1. resol. 31.* vbi subdit: Nō aliter sentiendum esse. Lezan. *in Summ. P. 3. V. Immunitas, num. 38.* Pellizz. *in Man. tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 3. n. 40.* & Alios pœnès eosdem.

Qui sententiæ se subscripsit, nec non intrepidè sustinuit R. D. *Sanctorus Oliua, & Grossi* V. I. D. in suo eruditissimo non minùs, quàm odorifero *Flore Legali* ad intellectum Bullæ *Gregorij xiv. de Immun. Eccl.* Typis dato Catanę, *ann. 1681.* quem citaui *Potest. 1. in fine*, variis Iuribus; Moralibus, Canonistis, & Ciuilibus DD. quoq; numero quinquaginta; nec non S. Congregat. Decretis comprobans, & muniens, vt par est ingenio suo: & quia dicti Floris odor ad nares quamplurium eruditissimorum virorum, præsertim Romæ Emin. DD. Cardinal. *De Luca; Caracciolo; Brancato de Laurea; Crescentio; Sacchetti; Casanatte; & Basadonna*; Nec non aliorum *Præsulum* in Regno, & extra; *Archiepiscoporum* nempè *Panormitani, Montis Regalensis, Messanensis, Regiensis, & Cosentini.* Episcoporum *Catanensis, Agrigentini, Pactensis, Cephaladitanensis, Mazariensis,* Meli-

Melitensis, Liparensis, Tropiensis, Miletensis,& Neocastrensis;alioruq; Illustriu Virorum; quibus per Litteras missiuas, quas prę oculis habui; complacuit dicta Opinio.

5 *De Quibusdam casibus ad materiam spectantibus.*

1 *De Episcopo cognoscente, & extrahente Reum ab Ecclesia.*

Soli Episcopo erit cognoscere, An Rei gaudeant Eccles. Immun. etiam in casibus præcisa Gregoriana? quæ & si loquitur de laicis tandem S. Congr. in vna *Militensi, & Rossan.* apud Pignatelli *d.l. num.* 27. extendit etiā quòad omnes Ecclesiasticos, etiam Regulares. Itaque neque Nuntio, nec alteri competit facultas cognoscendi, & extrahendi reum ab Ecclesia, nisi desuper datum fuisset, vt notaui supra *n.* 8. Verū quippè non potest Episcopus cōfugientem expellere, nè incidat in manus Curię secularis. in vna *Cefalud.* 19. *Martij.* 1647.

2 *De Reo confugiente ad Ecclesiam.*

Reus confugiens ad Ecclesiam ante, vel post capturam, è carceribus, vel manibus satellitum, à quibus etiam si dimitteretur liberè, vel cum iuramento redeundi, vel coactè, aut vnà cum illis; vel si damnatus ad triremes, aut condemnatus ad furcam, ob delicta non excepta, gaudet immunitate. Iudex igitur in his casibus quomodocunque caperet, & incarceraret illum, ob iniustam detentionem, vltra Sacrilegium, peccaret contra iustitiam, & teneretur restituere damna illata, ex doctrina Trullen. Nouar. Palai. Peregrini, apud Bonac. *in Praecep. Decal. disp.* 3. *quast.* 7. *num.* 9. citati à Dian. *Summ. V. Immun. d n.* 33. Ratione qua, Confugium esset iustum, & extractio iniusta.

Insuper Satellites insequentes reos cōfugientes ad Ecclesias Regul. incurrunt censuram excommi. *ex Bull, Clem.* 8 apud Rodriq. *tom.* 2. *cap.* 52. *ar.* 2. idipsum si percuterent officiales Episcopi, & absolui debent ad ratam percussionis, vt dixi *à Potest.* 4. *ad* 9. An verò huiusmodi percussores erunt citò vitandi? Respond. Diana P. 5. *tract.* 9. *resol.* 61. nisi post notoreitatem delicti. Addit Comitol. nè dum facti, verum etiam iuris notitia præire debet.

3 *De Reo in Ecclesia.*

Reus dum est in Ecclesia, vel loco sacro, etiā ob delicta prefata excepta fiunt probationes in curia Episcopali ad clarè vidēdum. An excepta delicta verè commiserit? Quo tempore à ministris laicis, armis expoliari nequit, neq; ab Episcopo puniri pœna corporali, neque à Satellitibus inuitus, potest extrahi, sine licentia Episcopi, & cum assistentia personę Ecclesiasticæ, in vna *Cathacensi* 11. *Aug.* 1631. & si careret vnde ali possit, ab Episcopo sustentari debet, tam quam pauper, ita Farinac. Palao, & alii apud Dian. P. 9. *tract.* 1. *resol.* 33. puniri tamen potest pœna pecuniaria, & ad damna, & interesse secuta ei in quem deliquit Dian. *in Summ. d. l. num.* 36. in Ecclesia tandem Reos ligatos esse non conuenit in vna *Cassian.* 8. *Febr.* 16 9. apud *Pignatelli d. l.*

4 *De Bonis ad Ecclesiam à Reo transportatis.*

Quoniam de his satis dictum fuit *Pr. part. fol.* 314. vbi ostendimus nōn deberi multo tempore huiusmodi decoctores in Ecclesia tollerari, in præiudicium creditorum, bona transportantes

hic

Hic addo: dicta bona Iudici fore consignanda, cui de iure competit adiudicare, *ex Decreto* S. *Congreg. ann.* 1617. apud Dian. *P. 6. d. l. & Summ. d. l. cap.* 42. Enim verò debitores fraudolentos non fouet Ecclesia.

5 *De Reo extracto ab Ecclesia.*

Si Reus extraheretur ab Ecclesia à laicis, subdolis verbis, & vult Bobadilla, Vi, aut dolo, vt Melaga, vel postquam sic extractus commiserit delictum, ex iniusta extractione, restitui debet Ecclesiæ. Multi apud Bonac. *d. l. n.* 10. Modus autem extrahendi delinquentes à loco immuni ab Episcopis, vel eorum Vicariis, quandoque liberè, vel ex gratia, & tunc non poterit Extractus à Iudice laico puniri pœna corporali, ex Oldrad. Azor. Persico, apud quos pœnę corporales sũt. Mors, Exiliũ, Triremes, Carceres, & Seruitus perpetua, Vulnera, vide *Summ. d. l. num.* 37. Sępè traduntur curiæ seculari citrà pęnam sanguinis, & aliquotiès ratione publici boni expelluntur, ex variis Decretis S. Congr. allatis à Pignatelli, *d. l. à num.* 43. Pro extractione tandem Reorum abutentium confugio, vel rerum furto ablatarum, solet expediri facultas in forma Breuis à Secretario S. Congreg. *ibid. num.* 46. Aliter autem extrahentes incurrunt cẽsuram *Papæ* reseruatam in *Italia*, de qua dixi *Potest.* 3. *num.* 11. *fol.* 12.

6 *De Restitutione Rei ad Ecclesiam.*

Restitutio Rei facienda erit eidem, vel alteri Ecclesię, vel Episcopo, aut eius Vicario. Palaus, Farinac. *Barbosa*, qui citant Decreta S. Congregat. refert Dian. *d. l. resol.* 27. *Summ. d. loco.*

Laudes sint Sedenti ad DEXTERAM Dei Patris Omnipotentis:
Si voluisti ad nos venire,
Qui sedes ad dexteram Dei
Fac nos à te sentire
Venite benedicti Patris mei.



Digitized by Google

Digitized by Google

DE SINISTRA EPISCOPI

IN QVA

Secundùm recentiora DD. Placita. Quid non poteſt Epiſcopus, Vbi, Quomodo, & Quando ſe retrahere debet, diligenter excutitur; eodemque Alphabetico ordine digeſta.

PARS POSTERIOR.

Huic Epiſcopali ſiniſtræ, innumeri quoque recenſentur caſus, de manibus diſputantium ſelecti, ad ſtudentium profectum, & in partem negatiuam, pro eo quòd non poteſt Epiſcopus, redacti, vt probabiliorem, quaſi ſecuriorem viam incedat.

A

De Epiſcopo nõ abſente à ſua reſidentia vltra tres menſes, ſingulis annis.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt abeſſe à ſua reſidentia, vltrà tres menſes, ſingulis annis.*

2 *Sed ſubeſſe nè poſſit alia cauſa excuſatiua, præter ſancitas à Tridentino.*

Impotentia I.

1 NON poteſt *Epiſcopus* abeſſe à ſua reſidentia vltrà tres menſes, ſingulis annis. ex Trident. *ſeſſ.* 23. *De Ref. cap.* 1. vbi ſic: *Sacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium, ſingulis annis, ſiuè continuum, ſiuè inter-*

Digitized by Google

ruptum, extrà prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; — Subdit — *Nè per illius temporis spatium, Dominici Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis* Christi *diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere* Pastoris *præsentia, oues debent, ipsi ab Ecclesia sua* Cathedrali *vllo pacto absint*. — Nota in Textu replicata illa verba — *Vllo pacto*, — & *debere*, quę explicant debitum residendi, & videtur innouatum ius antiquum *in Cap. Cum ex eo, De Elect. in 6.* & Concil. Sardic *cap.* 14 & Agathens. *Cap. Si quis in Clero, 7. quæst.* 1. atque nouum in eodem Trident. *sess. 6. De Reform. cap.* 1. sub pœnis in ea sancitis, pręter mortalis peccati reatum, & rationem subdit Concil. quia iure Diuino, *Ioan.* 21. *Pasce oues meas*, tenentur Pręlati residendo assistere. Ad Tessalon. 3. & antiquo iure, *numer*. 18. Quapropter nō Mercenariorum more, quibus non est cura de Ouibus, sed Pastorum, erit vigilare, prędicare, pascere, paternam curam gerere, & assistere. Munitur quoque dicta *Impotentia* duplici Const. Pii. 4. incipit: *In suprema*, 1. *Decembris*, 1664 & alia eiusdem 11. *Maij*, 1565. Nec huiusmodi triennalis absentia, absque legitima causa esse potest ex verbis Tridentini, sic: *Neque abesse posse, nisi ex causis, & modis infrascriptis. Nam Christiana Charitas, Vrgens necessitas, Debita obediētia, ac Euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant, &c.* Quibus in verbis discretè, & rationabilitèr Patres Concilii causis rationabilibus subuenerunt, & vagis negotiorum sollicitudinibus ianuam occluserunt, nè Animarum cura sit neglecta, neuè rationales excusationes, suo priuarentur suffragio. Declarationem quinq; causarum dedi fusius, *Priori part. à Potest.* 21. *vsque ad* 26. ibi vide quod reliquum est.

2 *Sed subesse nè possit alia causa, præter sancitas à Tridentino?*

Respond. Negatiuè, & si quæ alia assignatur, reducitur ad illas, puta, si abesset ob personalem assistentiam in synodis Prouincialibus, Congregationibus, seù parlamentis generalibus, in quibus interuenire solent Ecclesiastici: vel si fuerint Cardinalatus honore insigniti, & abessent propter à Sede Apostolica vacationem, *ex Const. Vrb.* 8. dicerentur abesse propter Ecclesiæ vtilitatem. Ob seruitium verò alicuius magni Principis Regali, vel Imperiali quacumque dignitate fulgeat, non excusat absentiam: apud Barbos. *in Apost. decis. coll.* 283. *num.* 4 Vide *prior. part. Potest.* 21. & 24. vbi plurima ad intentum.



De Episcopo nō absente à sua Residentia, aliquo prętextu.

SVMMARIVM

1 *Episcopus non potest abesse à sua residentia prætextu manendi* Romæ, *vt Camerarius, vel Pœnitentiarius* Papæ.

2 Sed

2 *Sed quid de pœnis Episcoporum non residentium?*

Impotentia II.

1 NON potest Episcopus abesse à sua residentia, prætextu manendi vt Camerarius, vel Pœnitentiarius Papę. Ita sustinent Caet. Sotus, & Alii, apud Azor. *Instit. moral. lib. 7. cap. 4. quæst. 5, & 7.* & Vasqu. P. 3. *dis.* 234. *à num.* 141. Ratio quia Residentia est de iure diuino; vt declarat Trid. *Potest. prior cit.* ideò de numero eorum, quæ à Pontificia authoritate sunt indispensabilia, adeòque pretextus Confessarii, Pęnitentiarii, Auditoris, Camerarii, Vice cancellarii, & alia huiusmodi, manendi Romæ simplicitèr non sunt admittendi. Dixi simplicitèr; hoc est si alii satis essent idonei ad talia munia obeuntes. Secùs probabilitèr docetur à Barbos. *Alleg.* 53. *num.* 15. Si Episcoporum aliqui præ cæteris idoniores, & aptiores ad talia officia reperirentur, poterunt à Summo Pontifice illis applicari, ad subueniendum Curiæ maiori, quæ totum respicit Orbem, vbi oculos clariores, ministrosque diligentiores exigit, & quia certum est S. Pontificem haud quaquam relaxare posse Diuinę legis rigorem; iustis tamen pręcedentibus causis, lege charitatis dictante, & recta ratione regente, poterit mentem legislatoris explicare, tamquam primus Doctor, & Vicarius à Deo in sua Ecclesia constitutus. Quo casu non dispensare, sed extendere sensum legis, in iusta ratióne fundatæ, diceretur; Idcirco casu occurrente, per assistentiam alterius idonei, subuenitur subditis vnius Diœcesis, & assumeretur ad succurrendum subditis omnium Episcopatuum, & Diœcesum. Vel meliùs dic: Duobus pręceptis currentibus, succurrendum est maiori, igitur per iuris cessationẽ, excusaretur Episcopus à residentia suæ Diœcesis, Curię Romanæ applicatus. Confirmat dicta, ipsius Curię Romanæ praxis, qua videntur Episcopi nè dũ tutilares, verum, & de nostris partibus applicati ad officia vniuersi Dominici gregis, de Pontificia authoritate.

2 *Sed quid de pœnis Episcoporum non residentium?*

Respond. Indictas esse à Trid. *d. loco*, & innouatas à Pio 4. Constit. 10. incipit: *De salute*, *Pridie nonas Septembris*, 1564. & Gregor. 13. Nouissimè Vrb. 8. incipit: *Sancta Synodus* 7. *Decembr.* 1634. vbi statuit: *sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, amissionis tàm fructuum Ecclesiarum earumdem pro tempore, quo absentia durauerit, quàm facultatum testandi, & disponendi de bonis suis, à Sede Apostolica sibi aliàs concessarum, eo ipso absque alia declaratione, incurrenda, nec non priuationis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, aliisque pœnis à Rom. Pontifice pro tempore existente, arbitrio infligendis.* Apud Dian. P. 5. *tr.* 2. *resol.* 8. vbi de Cardinalibus habentibus Episcopatus Vrbi proximos.



Digitized by Google

De Episcopo absente à sua residentia absque iusta causa.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest abesse à sua residentia absque iusta causa.*

2 *Sed à quibus erit probanda hæc iusta causa?*

Impotentia III.

1 NON potest Episcopus abesse à sua residentia absque iusta causa, sub pæna non percipiendi fructus. ex Trident. *sess.* 23. *De Res. cap.* 2. § *Nisi ex causis, & modis infrascriptis, &* §. *Si quis*. At cum de causis excusantibus infrà bimestre satis latèque dictum fuit P *prior*, num. vt infrà, ideò vbi definit potentia, incipit impotentia se absentandi à sua residentia, & nè sit ampliùs ambigendi locus, Vrb. 8. *cit. Impot. antecedenti num.* 2. clausit ora loquentium, & firmauit nostram positionem. Vide P. *prior. Potest.* 21. *num.* 6. Vbi diluciùs. Sanctarellus autem, *Tom.* 1. *qu.* 2. *var. resol.* excipit à residentia Cardinales habentes Episcopatus proximos Vrbi, vigore illius causæ *Debita obedientia*, *vel Ecclesia vtilitate*; & licèt rigor bullę etiam exprimit quoque Cardinales: Dubitatum tandem fuit, An dictæ causæ à Tridentino fuissent sublatę? Respond. S. Congregatio, annuente Sanctissimo: Negatiuè, modò tamen absentia à residentia duos, aut ad summū tres menses non excedat 3. *Febr.* 1635. Nec valet quorumdam responsio: Residentiam non posse qualibet causa tergiuersatione cælari, quia de iure Diuino, Etenim tale ius est capax explicationis, & excusationis: ideò concurrentibus aliis causis in eodem iure, vel naturali, contentis, iustè poterit explicari, vt patet exemplo 7. Pręcepti *Non furaberis*, quòd cessare communiter tenetur, extrèma necessitate currente, vel meliùs quod erat prohibitū sit licitū. Præterea ius Diuinum est iugum leue, onusque suaue, ideò explicabile per causas rationales, cum quibus stat finis, & mens legislatoris. Satis hîc quod *Potest. citata* de huiusmodi causis luculenter dixi.

2 *Sed à quibus erit probāda hæc iusta causa?*

Respond. Probari, & in scriptis concedi quoque de iure Tridentino à Metropolitano, vel eo absente à suffraganeo, vel in vrgente, aut repentino casu, absq; dicta licentia abesse licèret, modò seruatum sit tempus præfinitum à Concilio, ad iustè participandos beneficiorum fructus, Ita notarunt quamplures, quos refert Sanctarell. *d. loco. quæst.* 4. *num.* 9. Tandem hodiè Vrb. 8. *citat. Potest.* 2. *num.* 2. voluit licentias discedendi obtineri à Sanctissimo sub pæna ibi recensita. Addo ipse: nec necesse esse licentiam in scriptis approbari ad fructus percipiendos, vt notant Lellius, *De Iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. & alii.



De

Digitized by Google

De Episcopo non absoluente ab hæresi occulta, etiam vigore, vt infrà.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere ab hæresi occulta, etiam vigore Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi.*
2 *Sed Quinam possit ab huiusmodi hæresi occulta absoluere?*
3 *Sed quid sit hæresis occulta?*
4 *Sed num in fide dubius sit hæreticus?*

Impotentia IV.

1 NON potest Episcopus absoluere ab hęresi occulta, etiam vigore Bullę Cruciatę, vel Iubilęi. Ita Couar. *in Cap. Alma Mater, p.* 1. §. 15. *num.* 15. Trullench. *in Espos. decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. & ferè 20. DD. apud eosdem, quos refert Barbos. *in Collect.* Trid. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 6. adeòque facultas à Tridentino concessa *d. Cap.* sublata, & inanis est, per Bullam Cœnæ, prouti notant turba DD. apud Dian. *Resol. Moral. P.* 1. *tract.* 5. *resol.* 2. & P. 4. *resol.* 239. & Bonacin. *De Censuris*, *disp.* 1. *quæst.* 3. P. 2. *num.* 1. & alibi, *De Cens. in Bull. Cænæ*, replicat *disp.* 1. *quæst.* 22. *P.* 2. *num.* 2. §. *Secunda sententia*, & recensentur Pontifices, B. Pius .v. & Greg. 13. vnà cum Decretis S. Congregationis in firmamentum nostrę sententiæ, contrà disputantes, & asserentes Bullam Cœnę non derogare Tridentino *dicto loco*, contrà quos alitèr decreuerunt dicti Pontifices. Si quis autem hodiè contrarium teneret per emendicatas, & metaphoricas rationes, à periculo, in foueam incidunt, quia in re tanti oneris, non erit ambigendum, sed tutiorem partem sequi, & amplecti, immò propter apertas rationes in oppositum, timor adesse debe in absoluente, & absoluto, neque turma DD. sed rationes probabiles faciunt securam opinionem. Quaproptèr si ante Bullam Cœnæ poterant Episcopi vti facultate Tridentina, post ipsam ampliùs non possunt, vigore derogationis factæ in illo processu pro vt tetigi antea *Potest.* 4.

Dixi etiam virtute Bullę Cruciatæ, aut Iubilęi: Nisi ibi sit specialitèr indultum, quod ordinariè non fit, vt videre est in tenore Bullæ Cruciatæ; in Iubilæis autem, dubitatum, & resolutum fuit à S. Congregatione pluribus in temporibus, *de Ann.* 1572. sub Greg. 13. & Nouissimè 1652. 23. *Maij*, sub Innoc. x. & Alex. 7. & responsum fuit: facultatem absoluendi ab hæresi non fuisse comprehensam in iubilæis. Quam declarationem vidi promulgatã per Tribunal. SS. Inquisitionis Siciliæ per Epistolam *sub Ann.* 1657. 15. *Febr.* cuius initium est, *Noi Inquisitori*. Neque obstat ibi concessa facultas in Casibus Bullę Cœnę: cum specialiùs de illis in primo capite fieri deberet expressio ex iam dictis in 4 *Potestate P. parte.*

2 *Sed Quinam possit ab huiusmodi hæresi occulta absoluere?*

Respond. DD. Inquisitores, vel eorum Commissarios in foro conscientię tantùm, præuia tamen hæresis abiuratione, seù detestatione, & promissione non relabendi. Ita resoluunt Rodriqu.

Sanch.

Digitized by Google

Sanch. Graff. Durand. & Alii, quos sequitur Bonac. *tom.* 3. *De Censf. in Bull. Cœna, disp.* 1. *qu.* 21. *P.* 2. *num.* 5. vbi limitat: ni prohibitio obstaret, vel vsus. Testatur tamen Dian. *P.* 4. *tr.* 8. *resol.* 35. in Hyspania vsum receptum esse. Equidem addo ideis nõ competere iure ordinario, sed commissiuo, seù ex priuilegio cõcesso, vel concedendo Ministris S. Officii, in fauorem fidei, & ita Episcopi quandoque ad sedandas ouium suarum conscientias, petierunt à S. Aposto.l hanc facultatem. Vrgente tamen necessitate, vel legitimo impedimento adeundi Pontificem, vt latiùs dixi *Potest.* 4 Bonac. Sententia fortiùs amplecti, & sequi debet.

3 *Sed quid sit hæresis occulta?*

Respond. Occultum hæreticũ dici posse tripliciter. 1. Vel quia sola mente, & asseueranter crederet aliquod contra fidei dogma, vel negaret mentaliter articulum fidei; & huiusmodi hęreticus mẽtalis potest à quocunque Exposito confessario absolui, ea ratione qua, ab Ecceksia militante solus actus externus est censuræ subiectus. 2. Vel quia signo, verbo, aut scripto probaret, & crederet cõtrà fidem, solus scilicet absque testium scientia in Domo, Villa, aliouè, & dicitur hæreticus occultus, & verbalis. 3. Vel quia sciunt multi, sed casus nõ esset deductus ad forum externum. Sicque diceretur occultus, & in his duobus casibus càdere docent DD. censuram excommunicationis latam *in Bull. Cœnæ, Dom. & SS. Pontif. reseruatam.* Vide *Direct. Inquis. V. Apostasia*, & sequũtur Siluest. Aloys. Ricc. Alfons. de Castro. Excipe tandem illum proferentem hæresim ad consilium petendum. Apud Granado *in* 22. D. Thom. *Contr.* 1. *tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14.

4 *Sed num in fide dubius sit hæreticus?*

Respond. cum Sanchez, *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. Sà, Portell. & Aliis negatiuè, quorum ratio, quia nullum contrà fidem præstat assensum, quid alii dixère: esse priuatiuè infidelem, quia caret assensu positiuo fidei; at in hoc erit pertinacia mensienda.

De Episcopo non absoluente casus, vel Censuras publicas, & S. Põtifici reseruatas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere casus, vel censuras publicas, & reseruatas Summo Pontifici.*

2 *Sed quid sit casus publicus, vel censura?*

3 *Sed quid de casibus Bullæ cœnæ?*

4 *Sed dentur ne casus publici Papæ reseruatæ absoluibiles ab Episcopo?*

Impotentia V.

1 NON potest Episcopus absoluere casus, & censuras publicas, & reseruatas Summo Pontifici. hęc Impotentia recurrit, *ex Cap. Cum inferior. De maior. & obedientia*, vbi nullus infe-

inferior quid contrà voluntatem Superioris attentare debet. Nec valet quorumdam responsio: S. Pontificem non posse restringere authoritatem, quam de iure Diuino acceperunt Episcopi. Tũ quia reseruatio est de iure Ecclesię ad seruandam Christiani *Populi* disciplinam, ideò pertinet ad iurisdictionem, & non ad consecrationem. Tum atque & si Episcopos esse in Ecclesia Dei, de iure Diuino sit, fore tamen hic, vel ibi, hoc, vel alio modo, cum talibus, vel aliis subditis, de iure canonico, & positiuo est, Quapropter Reseruare crimina, nil aliud est, quàm restringere, & limitare absolutionem criminum in subditos, quorum aliqui vult S. Apostolica ei subiici, in absolutione sibi reseruatorum. *I*taque reseruatio ostendit Episcopos esse in partem sollicitudinis assumptos, & S. Sedi Apostolicæ subiectos. Quod si indultum fuit à Trid. *Cap. Liceat*: Episcopis, vt possint absoluere casus, & Censuras reseruatas occultas, sequitur pro publicis Reseruationem in suo robore mansuram, quæ probat impotentiam, & inualiditatem in actu. Ita quod absoluere audens, & præsumens, huiusmodi censuras reseruatas, alia simili censura Papæ reseruata innodaretur, ex declar. S. Congregat. 9. *Ian.* 1601. apud Gauant. *in Enchirid. V. Casus reseru. num.* 2. & Confessio erit nulla, & irrita

2 *Sed quid sit casus, & censura publica?*

Responsionem satis constare ex dictis P. *prior. Poteſt.* 3. *num.* 8. vbi defenditur: Delictum publicum esse, ad differentiam occulti: hic adde casum nõ dici publicum ex sola deductione, aut litis contextu, vt quidam voluere, quia quandoque accidit ex insufficienti probatione iudicium efformari non posse, sicque casus deductus, & contextus non esset publicus, sed occultus, & sub foro occulto reputatus. lege Dian. P. 4. *tract.* 2. *resol.* 93.

3 *Sed quid de casibus Bullæ Cœnæ?*

Respond. Huiusmodi casus potiori iure reseruatos esse, per specialem notam dictæ Bullæ, ex qua, sicut de cęteris extrà præfatam Bullam, intrà, vel extrà ius vacantibus reseruatis, & publicis, insurgit impotentia in Episcopis.

4 *Sed dentur nè casus publici Papæ reseruati, ab Episcopo absoluibiles?*

Respond. Affirmatiuè, & quidem omnes, duobus tamen concurrentibus, vrgente necessitate, vel legitimo, ac perpetuo impedimento, vt dixi fusiùs P. *prior.* *Poteſt.* 4. cum Bonac. *De Cens. in Bulla Cœn. disp.* 1. *quæſt.* 2. *P.* 2. *num.* 22. sed clariùs Gauant. *in Enchirid.* V. *Absolutio*, *num.* 18. Personas priuilegiatas excipit, dicens: Mulieres, Officiales, Pauperes, Ægrotos, senes, sodales, Clerici in communi viuentes, Debiles membris, & legitimè, seù perpetuò impeditos, posse à casibus publicis Papę reseruatis ab Episcopo absolui, pro ut quoque recensui *Poteſt.* 9. cum Dian. *P.* 5. *tr.* 9. *resol.* 6. & P. 7. *tr.* 19. *resol.* 23. vbi aduertit legitimum impedimentum esse: periculum mortis, infirmitatis longæ, paupertatis, ætatis imbecillis, subiectionis, gubernationis, debilitatis, vel alterius similis.

De

Digitized by Google



De Episcopo non absoluente à Censuris papę reseruatis in Carcere detentum, & & extractum cum onere se repræsentā-di.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere à censuris Papæ reseruatis in carcere detentum, & extractum cum onere se repræsentandi.*

Impotentia VI.

1 NON potest Episcopus absoluere pænitentem à Cēsuris *Papæ* reseruatis, in Carcere detentum, indèque extractum cum sententia se repræsentandi. Ita sustinent Guttier. Fr. Emanuel. & alii, quos citat Bonac. *De Cens. disp. 7. quæst. 5 P. 1. num. 5. & disp... quæst. 3. P. 2. num. 2.* & sequitur Steph. Daluin. *De Potest. Episcopi*, qui pro robore Impotentiæ, declarationem S. Congregationis affert: Illi igitur, qui fuerunt inquisiti, quorum delicta non potuerunt probari, nec definitiuè absolui, sed simplicitèr dimissi, recepta promissione de se representando, non posse absolui; tenet probabilis sententia. Tum quia huiusmodi delicta non dicuntur occulta, sed deducta ad forum, in quo contenditur sententia definitiua post interlocutoriam, & conditionalem cum onere, &c. Dicet quis: Delictum tunc non esse absolutè publicum, ob carentiam sententiæ absolutę. Respondent citati ad publicitatem sufficere deductionem, & addunt; post deductionem fuisse litem contextam cum sententia conditionali. Nec iterum obstat non fuisse plenè probatum, cum verè fuit extractum de foro occulto ad publicum, Deindè si asseritur delictum fuisse deductum, & contextum à partibus, clarè apparet publicitatis nota. Quando verò delictum fuisset deductum, & reus liberatus ob carentiam probationis, vel quia probatio non fuit plena, videto dicta *in P. priori Potest.* 18. posse Prçsulem vti *Cap. Liceat* Tridentini, quia non sola deductio, sed aliqualis probatio reddunt casum publicum, aliàs non esset deductio fundata, sed rea, & odiosa, in perniciem fratris nostri, & non ad correptionem; cōtrà monitum Saluatoris, *Matth.* 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe*, & postea deducas ad Ecclesiam.



De Episcopo non absoluente penitētem, ab vno Episcopo publicè excōmunicatum, factum sibi subditum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere pænitentem, ab vno Episcopo excommunicatum publicè, factumque sibi subditum.*

Impotentia VII.

1 NON potest Episcopus absoluere pœnitentem à suo Episcopo pubiicè excommunicatum, factumq; sibi subditum. Multi apud *Dian. P. 5. tract. 12. resol. 9. & seq.* Faber *De Cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. & disp. 4. cap. 8. num.* 243. vbi docet: Episcopum dumtaxat Absolutionem impertiri excommunicato, ratione delicti patrati in suo territorio, in quo deliquit; nec subditus aufugit ligamen proprii Epi, per subiectionẽ ad alterum. Tum quia Censura fuit lata à proprio Episcopo, & in eius Iurisdictione; Tum etiã, *A qua causa fit, ab eadem debet consumari, & resolui*; iuxtà regulas Iuris, cui sententiæ subscribit P. Suarez *De Cens. disp. 7. sect. 2. num.* 19. Rationes cuius licet videntur concludere de excommunicato tantùm ab homine: tamen extendi possunt ad Censurã generaliter latam, siue per Ius, siue per sententiam, & pono casum: Petrus delinquens in Diœcesi, in qua lata esset lex, seu statutum: quod si quis patratus fuerit tale delictum erit Censura excommunicationi innodatus: incidit. Mutat tandem domicilium in alia Diœcesi, fitque subditus alteri Episcopo, ratione domicilii: Quæritur num possit ab Episcopo domicilii absolui, vel ab illo originis? & Resoluitur quod ab illo originis; Vel è contra, si Peregrinus Diœcesis Panormitanæ deliquisset in Diœcesi Messanensi, absoluitur ab Archiepiscopo Messanensi, in cuius Territorio fuit delictum patratum. Itaque videtur forum absolutionis inesse Polo, vbi delictum fuit commissum. Vide Dian. *P. 5. tract. 9. resol. 9.*

Lelius Zech. autem substinet: posse absolui ab Episcopo Domicilii *De casib. reser. cap. 1. vers. Absolui quis potest*: sed minus probabiliter ait Barbos. *De Episcopo Alleg. 50. n.* 282. Nisi tandem casus fuisset occultus, recurreret potestas Episcopi, indulta à Tridentino, *Cap. Liceat.* & ideo, qui non est subditus Episcopo in foro fori, ratione beneficii, domicilii, vel originis, poterit in Sacramento pœnitentiæ absolui ab Episcopo cui subiacet, cum absolutio in dicto foro sequitur peccatum confessum, & contritum, vbilibet patratum. apud Barbos. *ibid. Alleg.* 39. *num.* 5. vbi de Medicis, Prætoribus, & Aduenis. An autem absolutus à Censura reseruata Papæ, vigore Cruciatæ, dicatur etiam absolutus in foro externo? Resp. Negatiuè *ob Bullã Vrban.* 8. apud Dianam, P. 11. *tract. 2. resol.* 62. & P. 12. *tract. 3. resol.* 7. §. *Restat.*



De Episcopo non absoluente percutientes mediocritèr, vel enormitèr Clericos; ab excommunicatione cõtracta Ex cap. *Si quis persuadente, &c.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest absoluere publicos Clericorum percussores, percussione mediocri, vel enormi ab excommunicatione contracta, ex cap.* Si quis suadente, &c.

2 *Sed detur nè casus in quo percussores huiusmodi absolui possint ab Episcopo?*

Impotentia VIII.

1 NON potest Episcopus absoluere publicos Clericorum percussores, percussione mediocri, vel enormi, ab excommunicatione reseruata ex cap. *Si quis suadente Diabolo*. Ita communiter DD. apud Bonac. *De Censur. extra Bull. Cœnæ Domini, disp. 2. quæst. 3. P. 6. sect. 5. num. 1.* Dian. *P. 9. tract. 4. resol. 47.* & Tolet. *instruct. Sacerd. lib. 1. cap. 31.* Vbi postquam docuit Episcopo competere facultatem absoluendi leuem Clericorum percussionem, vt ipse dixi *P. prior Potest. 7.* Substinet: Impotentiam in Episcopo erga mediocrem, grauem, vel enormem Clericorum percussionẽ, cũ aliis ritè fundatus in lege reseruatiua, in cap. *Si quis, 17. quæst. 4.* Adeoque percutientes petere coguntur, Papam, Legatum, vel Nuncium pro ababsolutionis beneficio impetrando, vt resoluit clariùs Dian. *d. l. resol. 45.* apud quem constat sensus de diuisa percussione in leuem, mediocrem, & enormem, de qua fusiùs dixi P. *prior, potest. 7.* vbi cum multis iudicauimus diuisionem arbitrariam; hoc est arbitrio Prudentum Episcoporum, vel Abbatum, aliorumque grauium virorum iudicantium violentiam iniuriosam factam Ministris Ecclesiæ, secundum adiectas circumstantias Personarum, Temporis, Loci, & Modorũ, quibus penſatis; leuitatem, vel grauitatem concludere conantur, dubio tamẽ interessente, purificandum foret ab Episcopo. Vide Molina *tract 3, disp. 17.* aliosque pænes illum.

2 *Sed detur nè casus, in quo percussores huiusmodi absolui possint ab Episcopo?*

Respond. Affirmatiuè, iuxta dicta *Part. prior, Potest 9.* vbi recensentur legitimè impediti, seù aliàs priuilegiati ad tria capita redacti; Puta laborantes impedimento corporali, vt sunt ægri, senes, debiles, claudi, cæci, inimici graues, vel in Agone cõstituti. Vel impedimento Canonico, vt serui, filii familias, munusque publicum exercentes. Vel demum impedimento *Iuris*, vt sunt mulieres, impuberes, officiales arcentes turbam, Collegialitèr viuentes, Regulares, Nobilesque delicati. Quos omnes Papam adire non teneri docuimus, *à Potest. 9. vsque ad* 15. sequentibusque carminibus contineri.

Regula, Mors, sexus, Hostis, Puer, Officialis,
Delitiosus, Inops, Ægerque, Senexque, Sodalis.
Ianitor, abstrictus dubius caua leuis ictus,
Debilis absolui sine summa sede morentur.

De

De Episcopo non absoluente Suspensiones Papæ reseruatas, & ad forum externum deductas.

SVMMARIVM.

1 *Non potest Episcopus absoluere Suspensiones Papæ reseruatas, & ad forum deductas.*

2 *Sed quanam sunt suspensiones Papæ reseruatæ?*

Impotentia IX.

1 NON potest Episcopus absoluere Suspensiones Papæ reseruatas publicas, seu ad forum contentiosum deductas. Ita quamplures, quos memorat Bonac. *De Censuris in Bull. Cœna, disp. 9. per totum*, innixi iuri reseruationis, quod non potest ab inferiori relaxari, absque licentia, & facultate reseruantis, sub pœna inualiditatis actus, nisi tamen suspensiones latæ fuissent ad tempus, quæ ex se cessarent. Apud dictum Bonac. *d. loco à quæst. 4.* Dixi Publicas, nam de occultis expresse patet Textus Trident. *sess. 24. de Ref. cap. 6* in quo indulgetur facultas Episcopis absoluendi ab omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus; ideo ad forum deductæ, in suo vigore reseruatiuo subsistunt; hoc luce clarius, ideo non immorandum.

2 *Sed quænam sunt hæ suspensiones Papæ reseruatæ?*

Respond. Ad differentiam nemini reseruatarum, quarum meminit *Par. prior, post. 19. num. 5.* esse sequentes, latas.

1 Contra Ordinantem, & ordinatum eodem die, duobus sacris ordininibus, *ex cap. Dilectus. De Tempore ordinationis.* Apud Alterium *De Cens. tom. 2. disp. 20 cap. 4. col. 9.*

2 Contra conferentes, & suscipientes ordines symoniacè; attento iure nouo ex Bulla Sixti V. incipit *Sanctum, & salutare.* Cuius penè licèt sint ad terminos Iuris communis redactæ, à Clem. 8. tamen inuiolatæ remanent quoad Symoniacos.

3 Contra Clericos Seculares, vinculo censuræ obstrictos, ordines suscipientes. *ex cap. cum illorum. De sent. excommun.*

4 Contra coniugatos suscipientes Sacros ordines. In extrauag. *Antiquæ: De Voto, & Voti Redemptione.* Nec dispensari potest ad exercitium propter aliud Canonis impedimentum.

5 Contra suscipientes ordines scienter ab Episcopo, qui dignitati renunciauit *ex cap. 1. Requisiuit.* sub eodem titulo; si verò ignoranter fuisset ordinatus, ab Episcopo poterit absolui, apud Bonac. *d. loco, q. 2. §. 1. P. n. 4.*

6 Contra suscipientes ordines scienter ab Episcopo excommunicato, interdicto, irregulari, symoniaco, heretico, vel suspenso. *9. quæst. 1.*

7 Contra exercentes ordines in loco interdicto, aut facientes celebrari, *ex cap. Episcoporum. De Priuileg. in 6.*

8 Contra recipientes oblationes ab Vsurariis, aut illos sepeli-

lientes, vel recipientes eleemosynas à violatore, seu raptore publico Ecclesiarum, & contra assistentem Sepulturæ illius, *ex cap. Quia in omnibus. De Vsuris*; seu hæc est cum limitatione intelligenda, apud Suarez *De Cens. disp.* 31. *sect.* 2. *nu* 6 & 9.

9 Contra eligentes Episcopos, seu Curatores Animarum, non seruata debita forma, *ex cap. cum in cunctis. De Elect.*

10 Contra Compromissarium eligentem indignum in Episcopatu, vel ad dignitatem superiorem ad Episcopatum, *ex cap. Si Compromissarius. De Electione in* 6.

11 Contra eligentes, seu electioni consentientes, ad beneficia Ecclesiastica, cum abusu Potestatis secularis, *ex cap. Quisquis. De Elect.*

12 Contra Episcopum, qui electum in Episcopatum, vel maiorem dignitatem confirmaret, & consecraret, non inquirendo, nũ appellauerit in electione apud Sedem Apostolicam, & renunciauerit appellationi. *in Cap. Quamuis. De Elect.* à Greg. 3. & Bonif. 8. *in cap. Prouidam*, ibidem.

14 Contra impugnantes electionem, postulationem, vel prouisionem, sed non probantes. *ex cap. Statuimus. De Elect. in* 6.

15 Contra Prælatos Seculares, vel Regulares procurantes Clericos capi à Dominis Temporalibus, vt beneficia resignent, vel non accedant ad Sedem Apostolicam, vel citati non compareant statuto tempore, *ex Cap. Multorum. In Clement. De Pænit.*

16 Contra occupantes Ecclesiæ Bona S. Vacante, pertinentia ad Prelatum defunctum, vel successorem. *ex cap. Sæpè. De Elect. in* 6. quod intell gas ante restitutionem.

17 Contra Prælatos bona Ecclesiarum laicis submittentes, & contra Clericos non denunciantes. *ex cap Hæc. De Rebus Eccles. non alienandis.*

18 Contra proferentem sententiam excommunicationis, absque præuia competenti admonitione. *ex cap. Sacro. De Sent. excommunicat.*

19 Contra Iudicem Ecclesiasticum ferentem sententiam Censurarum si ne scriptis; vel causæ expressione. *ex cap. Cum Medicinalis. De Sent. excommun. in* 6.

20 Contra Conseruatores, qui de aliis causis, quàm de manifestis iniuriis scienter cognoscunt.

21 Contra Iudicem Ecclesiasticum aliquid facientem in damnum partis. *ex cap. Cum Etenim. De Sent.*

22 Contra promouẽtes ad Doctoratum non præhabito Iuramento. *ex cap. Cum sit. in Clement. De Magistris.*

23 Contra Clericos vtentes vestibus prohibitis. *ex cap. Quoniam. In Clement. De vita, & honestate Clericorum.*

24 Contra Religiosos non admonentes pœnitentes de onere soluendi Decimas, post requisitionem à Parochis. *ex cap. Cupientes. De pænis.*

25 Contra Prælatos Religiosorum non satisfacientes intra mensem partibus læsis, quoties ad ipsos peruenerit aliquod, occasione excessuum commissorum à suis Religiosis. *In Clement.* 1. §. *Quibus De Priuilegijs.*

26 Contra Apostatas suscipientes S. Ordines in Apostasia. *In cap. Hi qui. Dist.* 50.

27 Con-

27 Contra Religiosos à Religione eiectos, ab ordinum executione, *ex S. Congregat. iussu Vrb.* 8. 21. *Septembris.* 1624.

28 Contra Monachos nigros, non vtentes habitu, & vestitu, ad formam præscriptam. *in Clemen.* 1. *Si quis. De Statu Monachor.* Vel si Venationi, seu Aucupio intersunt. *ibidem.*

Hactenus cũ dictis P. *pr. Potest.* 19. facilè seligi potest Potentia, ab Impotentia; quibus addo. Suspensionem vel esse expressè reseruatam in Iure, vel impressè, & hæc est quę ad tempus, quæ communiter reseruata intelligitur, vt probat Suarez. *disp.* 29. *sect.* 1. *num.* 15. per totum, & sequuntur Alterius, & Bonac. *d. locis.* Si verò Suspensio fuerit reseruata, & deducta ad forum contentiosum, recurrendum erit ad Papam; nisi impedimento legitimo detinerentur suspensi; iuxta dicta P. *prior, à potest.* 9. Si tandem fuerit occulta, poterit Episcopus vti iure Tridentino, *Cap.* 6. *sess.* 24. Si demum ad tempus, infra illud recurrit Impotentia, elapso tamen tempore cessat, vnà cum ipso. *Instar pœnæ.* Idipsũ dico de Suspensione, cum adiecta particula, *Nisi satisfacta parte*, quæ cessat absque alia absolutione, sed cũ partium satisfactione consumitur.



De Episcopo nil accipiente in Visitatione suæ Diœcesis, vltra id quod sibi debetur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest accipere aliquid in pecunia, seu victualibus in Visitatione sua Diœcesis, vltra id, quod sibi debetur.*

2 *Sed quid de Æquis?*

3 *Sed à quo præstanda erunt victualia Episcopo Visitanti?*

Impotentia X.

1 NON potest Episcopus aliquod in pecunia, seu victualibus accipere in Visitatione suæ Diœcesis, vltra id quod sibi debetur. Ita dispositum est *in cap.* Exigit, *& cap* Romana. *De Cens.* 6. recenset Bonac. *Tom.* 3. *De Censur. in Bull. Cœnæ disp.* 2. *quæst.* 5. *p.* 4. Constat pariter ex nouo Iure Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 3. Vbi innouans ius antiquum sic ait: *Caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues onerosiuè sint, neuè ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro Visitatione, etiam Testamentorum ad pios vsus, præter id, quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant.* Quibus in verbis: Nota nec ratione, etiã oblationis accipere quidquam potest. *Pœna* autem imposita Episcopis trasgressoribus est interdictum ab ingressu Ecclesiæ donec restituant duplũ intra mensem, & si illo tempore morerentur, non sepelliuntur in Cœmiterio, & celebrando fiunt Irregulares, ex Trident. *& cap.* *Exigit*, apud Bonac. *d. loco.* P. 5. *num.* 19. — Dixi: *Vltra id quod sibi debetur.* In quo noluit Concilium

Digitized by Google

lium cathedraticum tollere, quod singulis annis exigi solet, sed tantum onus vitare, vt decidit Sacra Congregat. 8. *Octobris* 1582. apud Marzillam. Ex quo pecunia, & vectualia solita non prohibentur, sed tantum excessus immoderatus, qui accipi nequit neque à familiaribus, puta Secretario, Cancellario, Auditore, vel alio Adiuncto, sub pœna prædicta, & reatu p. mortalis, & ad restitutionem tenentur, ex apertis Concilii verbis, *Reddere teneantur.* — limitat tamen Nauar. Nisi hi debitam laborum suorum mercedem acciperent pro copia actorum, seu decretorum, ab iis, qui ea peterent, contra Zerollã. Nec afferri potest consuetudo in contrarium, quia Concilium illam derogat; dicendo, *Non obstante quacumque consuetudine etiam Immemorabili.*

2 *Sed quid de Æquis?*

Respond. Posse tuta conscientia illis vti, oblatis à v sitatis, tum quia non veniunt nomine vectualium vetitorum. Nec Concilium necessaria prohibet, Idem dico, de Æquorum laminibus ferreis, ac de Medicinalibus, apud DD. infra communiter.

3 *Sed à quo præstanda erunt vectualia Episcopo Visitanti?*

Respond. Vel à loco, quem visitat, vel ab illis, quos ipsa consuetudo præscripserit, dum enim Spiritualia seminat, temporalia metere potest, ibique colligere, vbi facta fuit seminatio, ni tamen locus fuisset exemptus ab onere præstandi vectualia, vt ait Trident. d.l. *Ab ijs verò locis, seù Prouincijs, vbi consuetudo est, vt nec vectualia, neque pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiat, ibi id obseruetur.* Aliàs accipientes ad restitutionem teneantur. Nec valeret Liberalitas, Gratia, aut Remissio dantium. *ex cap. Romana.* apud Bonac. *d. loco num.* 15. Neque quoque valet dicere: victualium excessum datum à communitate fuisse, quia sic titulo, & nomine Ecclesiæ datur, & à Ministris eius suscipitur. vt Notat Gauant. *in Manual. Episcop.* V. *Visitatio à num.* 44. Procuratio frugalis, & moderata debetur Episcopo vnà cum decem personis, & septem *Iumentis.* Acceptio verò munerum ibidem consumandorum tolleratur, & si vectualia superessent Pauperibus loci visitati erogentur. Si verò assumeret secum Episcopus plures personas, quibus non sufficeret solita procuratio, deberet de suo expendere. Gauant. *ibid. num.* 51. Nec aliquid procurationis accipere debet Episcopus à loco, in quo habitat; neque ab hospitalibus leprosorum, pauperum, vel infimorum locis, nec ab Ecclesia paupere, vel à Clericis pauperibus *nu* 55. De autem Præscriptione Visitationis dicam *Impos.* 119.



De Episcopo non admittente Renunciationem beneficij, vt conferat suis consanguineis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest admittere renunciationem beneficij, vt postea id conferat suis consanguineis, affinibus, vel familiaribus.*

2 *Sed quid de Resignatione Beneficij?*

3 *Sed an Patronus possit nominare successorem consanguineum resignantis?*

4 *Sed an resignans possit successorem nominare cum conditione* Si velit?

5 *Sed quid de familiari Episcopi?*

Impotentia XI.

1 NON potest Episcopus admittere renunciationem seu resignationem Beneficii, vt postea conferat illud consanguineis, affinibus, vel familiaribus suis, ex Const. B. Pii .v. incipit: *Quanta Ecclesiæ*. 10. April. 1568. vbi sic: (*Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alij Collatores, de beneficijs, & officijs resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere, — quod si secus, — vires, & effectum decernimus non habere.*) hanc Impotentiā ostēdit Dian. *Ref. Moral.* P.5. *tract.* 14. *resol.* 26. & quia huiusmodi Resignationes non voluntariè, sed ex causa fieri solent, ideo videnda dicta *Prior. Part. potest.* 241. vbi luculentèr de hac materia.

2 *Sed quid de Resignatione Beneficij?*

Respond. cum Barbos. *Alleg.* 63. per totum. Flamin. *De Resignatione lib.* 7. *quæst.* 14. & Quarant. *in Sum. Bullar. V. Benef. Resignation.* esse: Priuationem, quam Beneficiarius habere vult, iustis interiectis causis, de quibus egi *Potest.* 241. *prior. Part.* Differam autem hìc, de tempore, tam acceptationis, quàm collationis, publicationis, seù possessionis, & compertè habito, ad Episcopum spectare resignationes recipere omnium beneficiorum etiam reseruatorum, vt de iure docet cum multis d. Barbos. *loc. cit. num.* 23. ideo.

Primò. Tempus quo locorum Ordinarii acceptare, seu respuere poterunt dictas resignationes, esse spatium vnius mēsis, ex Constit. Gregorii xiii. incipit: *Humano vix iudicio*, *non. Ian.* 1583. Conferre verò si ad ipsum spectat, esse 6. mensium, *ex Cap. Omnes Basilicæ*, 16. *quæst.* 4. & *Cap. Nulla.* 2. *De Conceß. Præbend.* apud Barbos. *ibid. Alleg.* 58 *num.* 1. à die notitiæ, quod, & de Parochialibus decreuerat Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 17. Immò B. Pius .v. incipit: *In Conferendis*. Kal. Aprilis 1566. Statuit tempus Quatrimestre ad proponendum concursum, ad conferendum verò Semestre. Quidam autem dixère Constitutionem Gregor. xiii. contraire Trident. & B. Pio prędictis. At impunè ait Massobrou. *In Praxi habend. Concurs. requis.* 7. *dub.* 1. Ecce verba Gregor. *Ipsi intra Mensem negotium vniuersum, admissionis, vel reiectionis Resignationis huiusmodi, & si per eos facienda erit prouisionis resignati beneficij, iuxta* Apostolicas, & *alias*

alias canonicas sanctiones, omninò absoluant. Et qui sic prouisus fuerit intra tres menses à die sibi factæ prouisionis, illam publicet. Quæ verba *iuxtà Apostolicas Sanctiones*) non debent attentari, sed obseruari, Vel dic cum aliis: habere locum in solis beneficiis *Parochialibus*, quorum meminere *cit. Pius, & Gregorius* in dictis Bullis. Elapsis denique sex Mensibus prædictis, electio deuoluitur ad Metropolitanum, quando collatio pertineret ad Episcopum; si verò ad Papam, quadrimestre assignatum est pro concursu ad significandum. Vt autẽ *Papa* conferat non pendet à tempore, sed suo libito relictum est.

Secundò. De publicatione dico: vel esse Resignationis, vel *Prouisionis*. Quòad primum, Si Resignatio facta sit in Mensibus Ordinarii, intra mensem à die acceptionis. Quòad secundum. Intra tres menses à die sibi factę prouisionis illam publicet. Si verò in mensibus Papę intra *6.* menses, citra montes, & nouem si vltra montes, ex Const. præfata Gregor. xiii. in principio.

Itaque quando Episcopus suis, vel Resignantium parentibus beneficia quæcunque conferret intra dictum tempus, illorum collatio non subsisteret, ex verbis B. Pii .v. sic: *Si fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum, & tunc vires, & effectum, decernimus non habere*, & §. *Qui verò contrafecerit suspẽsionem à Collatione, electione, & institutione beneficiorum incurrant, donec à Summo Pontifice absolutionem obtineant, & beneficia Papæ reseruata intelligantur.*

Gradus autem prohibitus cõsanguinitatis, & affinitatis dispositioni iuris communis est relictus, & ita consanguineis ad 4. gradum exclusiuè, affinibus autem; si copula licita ad 3. gradũ, si ex illicita ad 2. gradum, beneficia conferri vetitum est. Ita resoluit cum multis Massabr. *d. loco. dub.* 26. & sequitur Barbos. *l. citato 69. num.* 48.

3 *Sed an Patronus possit nominare successorem consanguineum resignantis?*

Respond. Affirmatiuè cum Sanchez *in Opusculo tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. & Aliis, quos citat, & sequitur Dian. *loc. cit.* sed videtur contra Bull. B. Pii .v. *in Conferendis.*

4 *Sed an Resignans possit nominare successorem cum conditione: Si velit?*

Respond. Cum distintione si hoc fit ante Resignationem, negatiuè. Secùs si post. Ratio quia in hoc nullum expressum, vel impressum intercedit pactum, sed oblatio stat cum libera collatoris voluntate, quam firmam habere vult Pontifex in pręfatis litteris.

5 *Sed quid de familiari Episcopi?*

Respond. Cum dictis P. *part. potest.* 85. vbi sic. Familiarem dici, qui Episcopo famulatur, deque eius tinello comedit, & bibit, cui prohibetur ex pacto Beneficiorum Resignantium Collatio.



De

De Episcopo non admittente in Sacramento Confirmationis Patrinũ nõ confirmatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest admittere in Sacramento Confirmationis Patrinum non confirmatum.*
2 *Sed quid de Monacho?*
3 *Sed quid de publicè pœnitentibus?*
4 *Sed num Patrini possint esse numero plures?*
5 *Sed quem reatum incurrunt prohibiti tenentes confirmandum?*
6 *Sed quid de Patrino cathecumeno?*
7 *Sed quid de Episcopo nullum admittente Patrinum?*

Impotẽtia XII.

1 NON potest Episcopus admittere in Sacramento confirmationis Patrinum non baptizatum. Ita colligerunt *ex Cap. in Baptismate. De Consecratione.* Nauar. *in Man. cap.* 22. *num.* 36. Sanchez *in Selectis disp.* 40. *num.* 14. & Alii apud ipsos. Ratio, quia ex statuto, & Ecclesiæ more, inter Patrinum, & confirmatum, atque Patrem, & Matrem confirmati, contrahitur cognatio spiritualis, tum ad habendam cum Puero familiaritatem; tumq; ad instruẽdum in fide quæ roborat dictum Sacramentum; quod totum euanescit in *Infideli Patrino*, qui cum sit extra Ecclesiam, ei non erit instruere in militia Christi per Baptismum adscriptos. Neque dictus non baptizatus contraheret cognationem Spiritualem, quia incapax præceptorum Ecclesiæ. Secùs si Hęreticus, quia esset capax ad contrahendum.

2 *Sed quid de Monacho?*

Respond. Monacho prohibitum esse fieri Patrinum. *ex Cap.* 15. *Concilij Antisidioronensi* ad cauendam familiaritatem inter Religiosos, & Seculares, qui de malo Mundi more, valdè suspicantur, pro quo cauendo Seraphicus Pater meus Sanctus Franciscus interdixit Fratribus suis in Regula cap. 11. *Ne fiant compatres Virorum, vel Mulierum, ne hac occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.*

Nũ vero Fratres Minores possint esse Patrinorũ procuratores? In praxim vidi cum quibusdam, fortè quia Procuratores huiusmodi non contrahunt sibi, sed mandati cognationem, ita decisum notauit Barbosa *De Episcopo alleg.* 30. *num.* 50. *Denique an Monacha Claustralis possit esse Matrina?* Affirmatiue respondeo, eo quia nulla lege vetita, quod valet pro cõfirmandis Nouitiis earum ante professionem pro quibus assumi possunt in Matrinas; earumque Monachæ intra septa degentes, ita in praxi vidi in illo Regali Monasterio S. Clarę Neapolis, vbi fui per triennium Confessarius ordinarius.

3 *Sed quid de publicè pœnitentibus?*

Respond. Illos assumi in Patrinos non posse, in pœnam, donec peracta pœnitentia concilientur. Ita disponente Concilio Parisiensi *Lib.* 1. *cap.* 15.

 4 *Sed*

Digitized by Google

4 *Sed nùm Patrini possint esse numero plures?*

Respond. Negatiuè ex Trid. *sess.* 24. id, ad vetanda tot impedimenta in Matrimonio oriunda ex cognatione Spirituali. Insimul ad differentiam Patrinorum in Baptismate voluit Trident. *ibid.* non multiplicari Patrinos in confirmatione. Quapropter non est
5 efformandum idem vtriusque iudicium quòad Patrinos post Trident. quidquid sit de ante Concilium, quod est correptiuum statutorum priscorum, ipsum de more firmatur *in* Cathechismo, *de Consecrat. dist.* 4 vt refert Dian. *Resol. moral.* P. 3. *tract.* 4. *resol.* 21. *vers.* 3.

5 *Sed quem reatum incurrunt prohibiti tenentes confirmandum?*

Resp. Quod si Monachus, aut Publicus pœnitens, vel plures admitterentur in Patrinos. *Incurrerent* luem p. m. tamquam violatores præcepti Ecclesiæ in re graui; admissi tamen, & admittentes omnes contraherent cognationem spiritualem. Ratio quia, & si acta contra legem non valent, seu prohibentur fieri, facta tamen tenent, estò illicitè, exemplo administrationis Sacramentorum, quorum actus tenent licet fieri in peccato prohibentur. Insuper, & Parochi admittentes plures, quam duo in Baptismate, in quo sussisteret Baptismus vnà cũ pœna à Parochis incursa. ita resoluit Vgol. *De Potest. Episcopi cap.* 25. §. 1. *num.* 5. & Sayr. *decis.* 4. *De Cognat. Spirituali.*

6 *Sed quid de Patrino Cathecumeno?*

Respond. Cathecumenum recurrere vnà cum Infideli, ob eandem rationem, apud Sanchez *De Matrim. lib.* 7. *disp.* 60. *num.* 2. At valida foret confirmatio, vt in præcedentibus casibus, in quibus sussistit validitas actus vnà cum insussistentia cognationis.

7 *Sed quid de Episcopo nullum admittente Patrinum?*

Respond. Peccare lætalitèr contraueniens Ecclesiæ præcepto in re graui. Immò si de culpa confirmati deesset Patrinus eandem incurreret luem. Ni de negligentia, vel ignorantia excusabili procederet, Hoc sit ad videndum Patrinos non esse de essentia, sed ad solemnitatem, & de præcepto apud Sot. 4. *dist.* 7. *quæst. vn. art.* 10.

De Episcopo non alienante bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum absque S. Sedis Apostolicæ licentia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest alienare bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum absque S. Apostol. licentia.*

2 *Sed num Episcopus posset alterare locationem factam, iureque permissam?*

Impotentia XIII.

1 NON potest Episcopus alienare bona Ecclesiarum, Mo-

Monasteriorum, locorumque piorum vltra triennium, absque Sed. Apost licentia. *In extrauagan. Ambitiosa. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* edita à *Paulo* 2. ob quod licentia vocatur Paulina. Itaque per bona intelliguntur immobilia, vel mobilia prætiosa, vltra Triennium illocabilia, modo, & forma traditis *Par. Prior. potest.* 30. vbi fusiùs de casibus exceptis, & in iure expressis, pro quibus docuimus recurrere potestatem Episcopi ad alienandum absque solemnitate, seu licentia prædicta. Impotentiã hãc docuère multi apud Bonac. *De Censuris, disp.* 3. *quæst.* 4. *P.* 5. *num.* 33. Abusum quorumdam Episcoporum correpsit idem Paulus alia sua Constitutione Incipit: *Cum in omnibus, ann.* 1465. Inhibendo Episcopis sub pœna suspensionis, alienantibus in detrimentum Ecclesiarum, ita quod suspensione durante, se exercẽdo in diuinis, incurrunt irregularitatem, quam solus Papa auferre potest: apud Bonac. *ibid. quæst.* 2. *num.* 18 Machado *lib.* 1. *P.* 3. *tract.* 11. *docum.* 6. *num.* 13. *& alij.* Aduertit itaque Quarant. *V. Alienatio:* duo requiri ad faciendam alienationem vltra triennium, quæ sunt causa, & licentia præfatæ, ex quibus integratur tota solemnitas requisita ad effectum alienationis legitimæ, *Propterea* Episcopus ex causa necessitatis, vtilitatis, incommoditatis, seu pietatis in Ecclesia, Monasterio, vel loco pio, & petita licentia à Sede Apostolica reliquisq; de antiquo iure requisitis, puta consensu Capituli, & subscriptione singulorum, ritè deuenire poterit ad alienationem præfatam.

Sub hac generali inhibitione alienationis veniunt particulares eius species; vt sunt locare, concedere, ẽphyteuticare, vel aliud in quo communitèr transfertur dominium, vt docuimus latè *Pr. part. loco citato*. Neuè dubium occupet locum, Vrb 8. incipit: *Humana* 1. *Nouembris* 1625. Extendit prohibitionem ad bona cuiuscumque etiam inferioris Ecclesiæ. Video tandem quamplures docentes, apud Dian. P. 1. *tract.* 8. *resol.* 77. Alienationem stabilium hospitalium in eorum vtilitatem, absque consensu Sed. Apostolicæ validam esse; à scrupulo tamen absolutionis non liberant, ideo videntur inclinare in nostram sententiam, docentẽm actum esse nullum, censuramque contractam. Vide Sum. Dian. *V. Alienare. num.* 3.

2 *Sed num Episcopus possit alterare locationem factam, iureque permissam?*

Respond. Non nisi post Annum expletum, & facta fructuum recollectione. *Decision. Delfin.* 195. Francisci Marci Genuens. *in Praxi Cap.* 97. & Bonac. *De Contractibus disp.* 3. *quæst.* 7. *P.* vl. *num.* 10. Quorum ratio est quia parum vtilitatis subesse potest in tali alienatione, *Propterea* nec Episcopus potest recedere à locatione, neque locans molestari à Successore, meliùs dixi *Potest.* 216. *Part. Prior.*



C 2 De

Digitized by Google

De Episcopo non assignante Superflua vnius alteri Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest assignare superflua vnius alteri Ecclesiæ.*

Impotentia XIV.

1 NON potest Episcopus assignare superflua vnius alteri Ecclesiæ, absque Papæ licentia. *in extrauag.* Pii 2. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*. Ratio quia id vetatur, tum in antiquo 12. *quæst* 1. tùm in nouissimo iure Trident. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 8. vndè conformiter ait Nauar. *cons.* 2. superflua fabricę non posse applicari alteri loco pio, & sequitur Barbos. *De Episcopo, alleg.* 64. *num.* 7. Cuius aperta ratio est, quia expresse contra voluntatem donatoris, vel testantium, qui donarunt in vtilitatem suarum Ecclesiarum. Quapropter meliùs superflua conuertenda in vtensilia eiusdem Ecclesiæ, cuius necessitates in dies crescunt ad alienationẽ vitandã, quidquid dixerant Sanchez, cum aliis *lib.* 3. *De Matrim. disp.* 19. *num.* 14. Nùm denique fieri poterat de licentia Patronorum. Vide *Part. prior. potest.* 173.



De Episcopo non applicante quemdam ex suæ Diœcesis Curatis suo, vel Ecclesiæ Cathedralis seruitio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest applicare aliquem ex sua Diœcesis Curatis suo, vel Ecclesia Cathedralis seruitio.*

2 *Sed quid de Parocho habente Canonicatum.*

Impotentia XV.

1 NON potest Episcopus applicare aliquem de suæ Diœcesis Curatis suo, vel Ecclesię Cathedralis seruitio. ita *ex* S. *Congregat* apud Quarant. *in Summ. Bullar.* V. *Residentia*, §. *Item an Episcopus.* Etiam si Vicarium idoneum in illis Parochialibus Ecclesiis constitueret: Fundamentalis ratio Impotentiæ stat pro residentia personali, quam de iure Diuino tenere debet Parochus; ita quod in ea, nec causa, neque libitum Superioris dispensare potest. Nisi in spatio bimestri ex causis benè visis à Tridentino præscriptis, *sess.* 6. *De Ref. Cap.* 1. de quibus egi P. *priori. potest.* 32. Quapropter Episcopus assumere nequit Parochum in Secretarium, Vicarium foraneum, vel simile. Nec applicare eundem ad certa negotia, quæ residentiam conturbarent, vel ad Ecclesiæ Cathedralis seruitiũ, nisi per breue tempus, putà vnius diei in hebdomada, vt vult Beia, vel octo dierum secundum Posse-

ui-

uinum, aut trium hebdomadarum in anno, vt docet Sanchez *De Matrimonio lib. 3. disp. 31. num. 11.* Cappellano idoneo relicto pro casibus occursuris, absque labe peccati mortalis, immò & venialis, causa legitima intercedente. Vel vltimò in spatio duorum mensium secundum Tridentini indulgentiam *sess. 6. Cap. 1. & 2.* vbi causæ præscriptæ recurrere videntur in fauorem, tum Parochorum, tum Episcoporum. De fructibus denique non residentium inspice *Part. prior. potest. 32.*

2 *Sed quid de Parocho habente canonicatum?*

Respond. Teneri: primò Parochiali Ecclesię inseruire ibique residere diebus, horisque congruis assistere, & quod reliquum est Canonicatui satisfacere, expertus tamen hac mea tempestate in Ciuitate Messanę, *D.* Carolum Pasqualicium Secretarium Illustrissimi Archiepiscopi Simeonis Caraffa, simulque Parochū S. M. de Arcu extra menia eiusdem Vrbis, quod est contra hucvsque dicta. Reuera tamē vtrumque munus diligenter obire visus fuit, non cessans diebus horisque congruis, vt par est suæ Parochiæ assistere, reliqua Cappellano cum sua portione remittere. Propterea si quando Parochus in eadem Ciuitate non longè à Parochia resideret, ab Episcopo occupatus posset vtrumque pondus sufferre, idipsum erit de Parocho Canonico valente vtrumqua subire.

De Episcopo non applicante portiones mulctarum, seu pœnarum Criminalium fabricæ Cathedralis, vel sibi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest applicare portiones mulctarum, seù pœnarum criminalium fabricæ Cathedralis, vel sibi.*

Impotentia XVI.

1 NON potest Episcopus applicare portiones pœnarum, seu mulctarum criminalium sibi, vel fabricæ Cathedralis. Ita ex Trident. *sess. 25. De Ref. Cap. 3. & 14.* Cui accedunt varia S. Congreg. Decreta, apud Quarant. *in Summ. Bullar.* V. *Pœna pecuniaria.* Molfes. & alios, refert Ricc. *in praxi aurea resol.* 300. & ipse clariùs dixi *P. prior. potest.* 214. Quod sancitum fuit à Tridentr. nè Episcopi sibi applicando dictas pœnas auaritię suspicionem incurrerent, & ideò eo ipso quo exactæ fuerint, piis locis assignentur. Immò Sacr. Congreg. censuit, nec illas applicare posse suo Vicario in Mercedem, apud Quarant. *ibid.* Deputare igitur debet Episcopus quòad recipiendas dictas pœnas, vnum, qui rationem ei reddere tenetur. Eo tandem casu, quo Episcopus indigèret, ac Pauper omninò esset, fas erit sibi vindicare pœnas, & in proprium vsum expendere. Tutiùs tamen Sacr. Congregat. consulere, notificando onera Episcopatus, suamq; indigentiam. Quarant. *ibid.* Vide *Par. prior. potest.* 32.

De

Digitized by Google



De Episcopo non approbante Reliquias virorum non Canonizatorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest approbare Reliquias Virorum non Canonizatorum, easque publicè venerandas exponere.*
2 *Sed quid de cultu priuato?*
3 *Sed quid de Reliquijs Roma translatis in alijs locis cum instrumento in forma probante?*

Impotentia XVII.

1 NON potest Episcopus approbare Reliquias virorum non canonizatorum, easque publicè venerandas exponere. Ita mecum sentière multi apud Trullench. *in expos. decal. lib. 1. dub. 6. num. 22. ex Cap. fin. De* Reliquijs, *& vener. Sanctorum,* vt notauit Dian. *Resol. Moral,* P. 2. *tract. 1. miscell. resol.* 51. Addit Castropal. nec posse Episcopum Imagines, & Reliquias non canonizatorum exponere in Altari priuato. Sed quia de hac materia satis egi P. *prior. potest.* 34. vbi de Reliquijs canonizatorum. Superest hìc de non canonizatis, pro quibus erat Decretum Sacræ Congregat. sub Vrban. 8. incipit: *Sanctissimus* 13. *Martij.* 1625. apud Barbos. *De Officio. & Potest. Episcopi, Alleg. 97. num.* 18. nouissimè: tādē aliud sub Alex. 7. incipit: *Ad aures.* 27. *Septembr.* 1659. publicatum 3. *Februarij* 1660 quod hic refero.

DECRETVM.

Super cultu Beatorum nō Canonizatorum prçstando à S. Cōgregat. coram Sanctissimo Domino nostro Alex. 7. emanato.

Ad aures Eminentissimorum Patrum Sacrorum Rituum plures deueniunt, qui patrantur indultorum excessus in materia præstationis cultus beatorum adhuc nō Canonizatorum, Quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur, prouidere studentes ad infrascripta deuenerunt Decreta, &

1 *Eorumdem Beatorum Imagines, etiam non principalitèr, & vti supplices apposita* Simulacra, Pictura, *Tabbellæ, aut Sculturæ eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes in Ecclesijs,* Sacristijs, *& Oratorijs quibuscumque, in quibus Missa Sacrificium, vel aliæ diuina officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica nullo pacto exponantur.*

2 *Quod vbi indultum fuerit per eandem Sedem Apostolicam* Imagines, *Simulacra, prædictas Tabellas in Ecclesijs poni, & coli posse in pariete tantum, non autem super* Altare *collocandi facultas tributa.*

3 *Quod si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missa, & Officium de prædictis* Beatis *celebrandi, & recitandi facultas tradita præsumatur. Etenim specifica, & expressa mentio super his prçcedere debet.*

4 *Vbi*

Digitized by Google

4 *Vbi in uno loco cultus fuerit concessus non extendatur inconsulto Summo Pontifice ad alium locum, quauis alia authoritate concurrente.*

5 *In locis, vbi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, ne inde publica officij recitatio permissa censeatur, sed tantummodo priuata, nec . . . . . præcepto recitationis, nisi quòad illos, quibus Sedes Apostolica de hac re indulserit.*

6 *Missæ pariter quæ fuerit indulta certis personis, nempè Præsbiteris Regularibus, vel Secularibus alicuius loci, vel Monasterij, seu Præsbiteris alicuius Ecclesiæ seruitio addictis; à concurrentibus Sacerdotibus quauis authoritate, etiam Cardinalatus insignitis minimè celebrentur.*

7 *Dies festi in Beatorum eorundem memoriam non celebrentur, nisi in speciali indulto Apostolico prouisum fuerit.*

8 *Eorumdem nomina in Calendario non apponantur, nisi illius tantum, earumque personarum, in quo & publicè cultus cũ officio, & missa celebretur.*

9 *In quibuscunque Ecclesiasticis precibus præter indultas, & à Sede Apostolica approbatas ijdẽ Beati non inuocentur, eorumdem Reliquiæ in processionibus minimè circumferuntur.*

Sacra tamen Congregatio præsentibus, declaratione, & iussione remouere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis 100. annorum metam excedentes scientia, & tollerantia S. Apostolicæ, aut Ordinariorum hactenus præstitum, ac certis modo, & forma ab eo tempore exhibitum; verum si à 100. annis citra, cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus, & extensus. Eo casu eũdem in pristinum reduci debet, prout quamuis cultus extra casus præcedentes ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis indultis omninò reuocari mandat sub pœnis, &c. firmis quoque remanentibus decretis, nempè ne Beati in Patronos eligantur ne locorum natalitia.

Celebrantur, & alijs quibuscunque à S. Congregatione hactenus emanati, quæ præsenti decreto renouantur.

His autem Sanctissimo relatis in Congregatione S. Rituum ordinaria, habita coram Sanctitate sua per Em. & Reu. Dominum Antistitem Sacchettum accuratè prælatis maturè discussis, Sanctitas sua approbauit, & pro omnimoda eorumdem obseruantia mandauit typis imprimi, ad valuas affigi, & publicari, vt elapso termino 6. mensium à die publicationis eorumdem, omnes, & singulos afficiant, & artent, ac si omnibus, & singulis eadem exhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsitque locorum Ordinarijs, & authoritate Sedis Apostolicæ possint omninò debeant Seculares, & Regulares quoscunque, quantumuis exemptos, etiã Societatis Iesu, S. Antonii Vennensis, S. Ioannis Hierusalem, ac reliquas omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere.

Hæc vigore Decreti Alex 7. postquam in alio citato Decreto Vrb. 8. inhibitum fuerat apponi Imaginibus Defunctorum, decedentem

dentium cum fama Sanctitatis, Aureolis, cum radiis, & splendoribus. Nec imprimi gesta, miracula, & reuelationes; tabellam autem accipi posśūt extra Ecclesiam custodiendæ. Hactenus de cultu publico.

2 *Sed quid de cultu priuato?*

Respond. Ad maiorem intelligentiam, cultum alium publicum, estque quando fit nomine totius Ecclesiæ, tamquam ab illa constitutus, & insurgit ex titulo Beatificationis; vel Sanctificationis; adhibetur *Imaginibus*, aut Reliquiis Beatorum, seu Sanctificatorum, approbatis, & expositis de Ordinarii licentia in Altari publico, vel priuato. Vocatur publicus, quia ab omnibus fidelibus, & vbique in publica Ecclesia, Oratoriis, vel processionibus patratur.— Alium esse priuatum, factum scilicet à priuatis fidelibus non nomine Ecclesiæ, sed vi solius deuotionis ergà personas, quorum gesta, & miracula bonam opinionem erexerunt in eorum mentibus. Vndè poterit quis licitè coram aliis venerari Sanctum non Canonizatum inuocatione, & acclamatione, vt fundat secum preces apud Deum, & vocatur cultus priuatus in dictis iuribus non vetitus, vt habet Peyr. *tom. 1. Priuileg. num. 2.* & sequitur Portell. *dubia Regul. tom. 3. tit. de Reliquiis Sanctorum num. 11.* Et subdit *num. 14.* Reliquias dictorum Sanctorum positas in Cruce gestari posse; & talis Crux dictis ornata reliquiis poterit in publico altari poni adoranda, ratio quia adoratio tēdit ad Crucem, & non ad eius ornatum, & sequitur Sanchez *tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 43. nu. 12.* vt refert Franciscus de Turano *in Compend. ad generalem Ministrum V. Reliquia Sanctorum. num. 5.* Gauant. *Man. Episcop. V. Reliquiæ, num. 46.* postquam *num. 12.* retulerat *Decret. S. Cong. sub 10. Iun. 1586.* quo prohibetur corpora Sanctorum adhuc non canonizatorum poni sub Altari.

3 *Sed quid de Reliquiis Romæ translatis in aliis locis cum instrumento in forma probante.*

Respond. Recognitionem eorum canonizatorum pertinere ad Episcopum loci, vbi exponendæ erunt, de iure Trident. *sess. 25. De Inuocatione, & Veneratione Sanctorum.* Ratioque subsistit eadem de nouo inuentis, ac de translatis, neuè error in re tam graui intercedat, prout sentit Bordon. *In Controuers. moralibus, Contron. 17. num. 7.* Aspicit igitur diligenter sigillum capsulę, in qua morantur Reliquiæ, num fuerit integrum illęsum, anque Reliquię respondeant numero, & mensura præscriptis in authentica. Quod si fuisset sigillum aliqua in parte fractum, vel maculatum: purgabitur veritas Reliquiarum Iuramento præsentantis illas, premissis interrogationibus de causa maculæ, Anque illas secum duxerit à die consignationis. Bordon. *ibid.* Reliquias verò semel recognitas, & approbatas ab Ordinario loci, non debere iterum examinari. Notauit Sanchez *d. l. num. 19.*



De

De Episcopo non administrãte suam Iurisdictionem, absq; suæ promotionis, & confirmationis litteris authenticis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest administrare suam iurisdictionem absq; sua promotionis, & confirmationis litteris authenticis expeditis, sub pœna, vt infra.*

2 *Sed nùm Extrauag. Iniunctæ. De electione. extendatur ad Cardinales?*

Impotentia XVIII.

1 NON potest Episcopus administrare suam iurisdictionem absque suę promotionis, & confirmationis litteris authenticis expeditis, sub pœna suspensionis, fructuumque earumdem Ecclesiarum administratione. Capitula verò eum recipientia, vel si obedientiam præstiterint, tam diù à perceptione suorum beneficiorum participatione suspenduntur, donèc gratiam super hoc à Sede Apostolica obtinebunt. Ita dispositum in extrauag. *Iniuncta. De electione*, quod etiam valet de Abbatibus, aliisque Religionum Prelatis administrationem recipere solitis, cum huiusmodi expeditionibus. *Ita* notarunt Azor. *Instit. moral.* P. 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 5. & meliùs *lib.* 3. *cap.* 29. *quæst.* 9. & alii apud Dian. P. 1. *tract.* 2. *resol.* 47. vbi resoluit: litteras nè dum expeditas, sed cũ effectu, & realiter obtentas, & ostensas, ad effrenandam quorumdam malitiam in huiusmodi casibus, sibi credi volentium in possessione beneficiorum, cum Seraph. *decis.* 1148. *num.* 1. Filiuc. *tract.* 17. *num.* 157.

Dixi suæ promotionis, & confirmationis. Nam non erit expectanda consecratio, à qua non administrationem, sed vt diuina ministret, ordines videlicet, confirmationes, & alia huiusmodi, qua de re, administratio temporalis cõfirmationẽ, spiritualis verò consecrationem sequuntur; idipsũ statuit Iul. 2. incipit *Romani* 5. *Kal. Augusti* 1505. apud Bullar. Cherub. *tom.* 1. *pag.* 356.

2 *Sed nùm Extrauag.* Iniunctæ. De electione. *extendatur ad Cardinales?*

Respond. Negatiuè cum citatis, ob finalem rationem, quæ non videtur Cardinalibus conuenire, quia de eis ambigi non potest, possessionem velle absque litterarum expeditione; adeoqũe his credendum, & nefas erit aliter iudicare, proùt resoluunt Seraph. & Lottier. *De Re Benef. lib.* 1. *quæst.* 27. *num.* 32. & sequitur Barbos. *De Officio, & Potestate Episcopi, Alleg.* 111. *num.* 35. *in fine.*



D De

B

De Episcopo non benedicente solemnitèr Palmas, Cineres, Aquam, & alia, tempore generalis interdicti.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest solemniter benedicere Palmas, Cineres, Aquam, & similia, tempore interdicti generalis.*

Impotentia XIX.

1 NON potest Episcopus benedicere Palmas, Cineres, Aquam, & alia similia tempore interdicti generalis. Ita quamplures apud Siluestrum, & Suarez *disp.* 34. *sect.* 3. Quorum ratio quia huiusmodi actus Sacri, & publici comprehenduntur sub nomine Diuinorum officiorum prohibitorum vi interdicti, quod definitur sic: Est censura Ecclesiastica vsum Sacramentorum, Diuina officia, & Sepulturam Ecclesiasticam prohibens. Addunt citati sub nomine Diuinorum officiorum quoque venire collationem primæ Tonsurę, & Benedictionem solemnem Populo, quæ omnia vetantur vigore interdicti.

Obitèr subduntur quamplurima ad interdictum pertinentia. Quorum primum est de causis interdicti, cuiusmodi sunt quædam delicta in Iure; putà, si Laicum Tribunal noluisset remittere Clericū ad Curiam Episcopalem, vel si Clerici compellerentur soluere pedagia, aut guidagia per se, vel alios de rebus suis, quas non deferunt, causa negotiationis, vel si committerent crimen contra Episcopum illo inuito; detinendo, carcerando, capiendo, banniendo, vel aliud simile. Vel quādo impedirent munus Episcopale. Ita notauit Nauar. *in Enchirid. V.* I*nterdictum à num.* 1. *vsque ad* 8. Demùm si alia committerentur delicta grauiora, & publica, ob quæ moueretur Episcopus ponere interdictum locale, vel personale ad longum, vel breue tempus, prout est praxis in Episcopatu; ideo standum consuetudini. Excipias tantum debitum pæcuniarum, ob quod non ponitur interdictum.

Hiscè notatis causis, paritèr sequuntur indulta quædam in fauorem Ecclesiarum.

1 In Ecclesia interdicta ianuis clausis possunt Missæ, & diuina officia celebrari, quibus interesse possunt omnes de Clero. Ex cōst. Bonif. 8. *ex Cap. Alma Mater*, vt innui *P. prior. Potest.* 174. Campanis non pulsatis, excommunicatis, & interdictis exclusis.

2 Campanæ ad signum A*ue Maria*, semper pulsantur, & pro nota horarum apud. Siluestr. *V. Interdictum, quæst.* 5.

3 In

Digitized by Google

3 In festis Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. Corporis Christi cum octaua, alta voce celebrantur officia, admissis personis interdictis, illi autem quorum causa latum fuit interdictū, Altari non appropinquent. Item hisce priuilegiatis diebus poterit Episcopus (modò non sit ipse interdictus) Altaria consecrare, Virgines, Paramenta, Calices, & Monialium vela, Candelas, Spōsas, & oliuas benedicere. Sacramenta ministrare, Ordines conferre, atq; fideliū Cadaueribꝰ Ecclesiasticam tradere Sepulturam.

4 Tempore interdicti ministrari poterunt tantum Sacramenta Baptismi, Poenitentiæ; & Confirmationis, vt dixi P. *prior. Potest.* 95. quibus addo Sacrum Viaticum Infirmis, damnatis ad mortē, vel prægnantibꝰ, periculo imminente, cuius delatio solemnis fit cum Campanula, Luminibus, & Baldachino. Matrimonium quoque celebratur, sed absq; solemnitate nuptiarum. Sepultura conceditur, sed absque solemnitate cum officio sine nota, vel silentio, in loco non sacro, ita quod soluto interdicto transferantur cadauera fidelium solemnitèr ad Ecclesiam, seu Cœmeterium, lege Gauant. *in Manuali Episcoporum. V. Interdictum.*

C

De Episcopo non coercente Populum ad audiendam Missam Parochiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest coerceri Populum ad audiendam Missam Parochiæ.*

Impotentia XX.

1 NON potest Episcopus coercere Populum ad audiendam Missam Parochiæ. Ita decisum apud Zeroll. *in Praxi Episcop. Alleg.* 74. *num.* 17. Gauant. *in Manuali Episcoporum.* V. *Missa Parochialis, num.* 10. Nec obstat Trident. monitum. *sess.* 22. *in Decret. De Obseruandis, & euitand. in celebratione Missæ.* Quia Concilium ibi non præcipit, sed monet, consulit, vel suadet, vtque dubitandi locus non sit ad sedandas fidelium conscientias in fauorem regularium decidit Sacra Congregat. *sub die* 13. *Nouemb.* 1517. & Clem. 8. 2. *Septembris,* 1591. *in Collect. Priuileg.* Rodriq. resoluit, & confirmauit denuò Sacra Congregat. 1. *Iulij* 1606. apud Gauant. *loc. cit. nu.* 11. quod intelligitur non contempto proprio Parocho, *ex Leone .x.* quia tunc adesset contempti

Digitized by Google

pti peccatum, vt dicam inferiùs. Vel quando proprius Parochus declarat ea, quæ ſcire tenentur fideles, quibus omnibus circumſcriptis, fideles audientes Miſſam extra Parochiam præcepto Eccleſiæ ſatisfaciunt. Nec Epiſcopus poteſt ſtatuere coercendo, neque Parochus compellere parochianos ad intereſſendum Miſſæ parochiali. Ita notauit Portell. *Dub. Regul. Verbo Miſſa, in Addict. num.* 1. & Barboſ. *De Parocho Cap.* 11. *num.* 14. cum aliis.

Cògere quidem poterit Epiſcopus Regulares, vt intra Miſſarum ſolemnia Dominicis diebus feſta, & ieiunia, quę in hebdomada occurrunt, declarent, nè fideles incurrant ignorantię notam. Ita Portell. *d. l.* V. *Epiſcopus, num.* 7. Propterea non prohibentur Regulares Miſſas celebrare, Campanaſque pulſare ante Miſſæ Parochialis celebrationem, Sabato Sancto excepto quòad Campanas, vt pluries decidit Sacra Congregatio, apud Gauant. V. *Miſſa Parochialis.* Dixi grauitèr, ſeu lætalitèr peccare fideles contemnentes accedere propriam Parochiã pro miſſa audienda, quod intelligitur ratione tantum contemptus, vt docet Barboſ. *d. loco, num.* 20. cum B. Pio .v. incipit: *Mendicantium,* 17. *Kal. Iun.* 1567.

De Epiſcopo non cogente obtinentes beneficia ſimplicia, ad perſonale ſeruitium,

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt cògere obtinentes beneficia ſimplicia ad perſonale ſeruitium.*

Impotentia XXI.

1 NON poteſt Epiſcopus cogere obtinentes beneficia ſimplicia ad perſonale ſeruitium, *ex* S. *Congregat.* apud Gallett. *in Margarit. Caſ. Conſcient. V. Beneficium, nu.* . . Nicol. Garc. De *Beneſ. Cap.* 2. *num.* 9. Alzedo, & alii, vt docet praxis, & conſuetudo, huiuſmodi niſi ad recitandum tenerentur officium. Quapropter in huiuſmodi beneficiis, quæ Clericatus nuncupantur, nil innouandum cenſuit dicta Congregatio, neque iure de reſidentia cogunt per ſe, vel alios inſeruire perſonalitèr, prout innuunt verba Beati Pii Quinti, incipit: *Cupientes, octauo idus Iulij. Milleſimo quinquageſimo ſexageſimo octauo,* vbi loquitur de Curatis.



De

Digitized by Google

De Episcopo nō cognoscente primas instãtias, quas ad se vocauit S. Apostolica.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest cognoscere primas instantias, quas ad se vocauit Sedes Apostolica.*
2 *Sed assignentur huiusmodi causæ?*

Impotẽtia XXII.

1 NON potest Episcopus cognoscere primas instantias, quas ad se vocauit Apostolica Sedes, ex Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 20. vers. *Ab his excipiatur*, Suntque dictæ instantiæ, quas sanxerunt S. Canones, vel Pontifex ad se vocauerit arbitrio suo, manu propria signata, de quib⁹ lucidè egit Aloysius Ricc. *in Decis. Curiæ Archiep. Neapol. decis.* 273. *num.* 7. *P.* 4. Inter quas sunt causę exemptorum, ex Narbona, tractandas apud Sedem Apostolicam, ratione exemptionis ab Ordinariis, & immediata subiectione; Quapropter exemptorum primæ instantiæ sunt dictæ sedis. Non nego equidem omnes causæ de iure antiquo esse tractandas apud S. Sedem Apostolicam, quas nec imminuit Tridentinum suo Decreto quando tribuit primas instantias Ordinarijs. Ratio quia id sortitum est ex iuris dispensatione, quod non est sublatiuum modi legitimi, vt testatur decisum Franciscus de Leo, *In Thesauro* P. 2. *cap.* 1. *num.* 75.

2 *Sed assignentur huiusmodi causæ?*

Respond. Videnda, quæ dicta fuère *P. prior. potest.* 162. Quibus addo — secundũ tenorem Sacrorum Canonum.

1 Quando agitur de possessione, & executione beneficii per breue Apostolicum, cuius competens Iudex est Cameræ Auditor.

2 De Conseruatoribus Regularium,

3 De causis possessionis beneficiorum Reseruatorum Sedi Apostolicæ, vt decreuit Gregor. 13. incipit: *Ad Romani Pontificis* 10. *Iuly* 1574.

De Episcopo nō cognoscente legitimitatẽ, vel natiuitatẽ, in ordine ad hæreditatem nisi incidentèr.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest cognoscere legitimitatem, vel natiuitatem ad hæreditatem nisi incidentèr pro causis Matrimonij.*

Impotentia XXIII.

1 NON potest Episcopus cognoscere legitimitatem, vel natiuitatem ad hæreditatem, nisi incidentèr pro causis Matrimonii. *Ita* multi apud Propositum *Cap.* 1. *num.* 5. Couar. *In Reg. Possess. Par.* 2. §. 3. *num.* 4. Aliique non pauci, quos citat, & sequitur Barbos. *De Episcopo, Al-*

leg.

leg. 84. *à num.* 25. Tum quia Epiſcopus eſt Iudex incompetens, cique vetita huiuſmodi cognitio, cuius Iudex eſt Secularis cognoſcens, definiens, & decidens de legitima, & natiuitatē. vt plura iura proclamant apud eoſdem. — Dixi incidentèr, vt ſuam exerceat Iuriſdictionem erga cauſas matrimoniales ſibi de iure Eccleſiaſtico ſubiectas; Eſtque pro diſcrimine *Iudicis* Eccleſiaſtici, & Secularis; quia Secularis non poteſt incidentèr cognoſcere quæſtionem Eccleſiaſticam, ſed tenetur remittere ad *Iudicem* Eccleſiaſticum definiendam, & decidendam. Aſſignatur, & aliud diſcrimen inter vtrumque, quorum vnus, & Eccleſiaſticus dicitur prerogabilis ad cauſas Seculares, alius verò non, ſed improrogabilis, & incompetens, ex quo Eccleſiaſticus dicitur incōpetens, ſed prorogabilis, & non vetitus; ideo in Arbitrum eligi poterit pro cauſis temporalibus, quod nefas erit dicere de Iudice laico, ratione incapacitatis, & prohibitionis in multis Cap. *De Foro competenti*, & ſecundum hanc probabiliorem ſententiam, poterit Epiſcopus coercère impedientes, vt vult poſt varios DD. Propoſitus *d. loco*, pręſertim cum Cap. *De Prudentia*. *De Donat. inter virum, & vxorem.* Et cap. *Per Veſtras. ibidem.*



De Epiſcopo facto Archiepiſcopo non cognoſcente ſententiam, quam tulit via appellationis.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt cognoſcere ſententiam, quam protulit via appellationis factus* Archiepiſco*pus.*

Impotentia XXIV.

1 NON poteſt Epiſcopus cognoſcere ſententiam, quam protulit via appellationis, factus Archiepiſcopus. Ita Franch. *De Appell. quæſt.* 4. *num.* 7. Petrus Gregor. *lib.* 4. *Cap.* 17. *num.* 9. Scacc. *De Appell. quæſt.* 2. *num.* 15. Sequitur caſus, quoties ſententia lata ab Epiſcopo, eo ad Archiepiſcopatum aſſumpto, in eadem Prouincia deuolueretur per appellationem ad eumdem, qui cum ſit idem met proferens, ac ad quem appellatur, non poterit nec opponere, nec contradicere; quod eſſet contra formalitatem iuris appellatiui. Cuius finis eſt grauamen illatum, vel inferendum purgare, & veritatem in cauſa, vel pateſieri, vel opponi, quæ eſſentialiter de natura ſua poſtulant diuerſitatem inter Iudicem à quo, & ad quem. Ad vitandum igitur tale abſurdum, vt liber ſit aditus ad appellationem, ex debito tenetur factus Archiepiſcopus alteri talem cauſam delegare, & ipſe abſtinere ab illius cognitione. vt ſu-

fusè notarunt prędicti apud Barbos. *De Officio, & Potestate Episcopi*, P. 1. *tit.* 4. *num.* 62.



De Episcopo non commutāte vota, & Iuramenta suorum non subditorū.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest commutare vota, & Iuramenta suorū non subditorū.*

2 *Sed quid, si Episcopus dispensaßet?*

Impotentia XXV.

1 NON potest *Episcopus* commutare vota, & *Iuramenta* suorū nō subditorū. Ita apud Angelum Tabiena. Siluester. *V. Domicilium.* Suarez *Tract. De Voto lib.* 6. *cap. & num.* 11. contra Henriq. & Sanchez. Probatur. quia potestas elargita dispensandi in votis, & Iuramentis Episcopo, aliisque Prælatis, *in Cap. ad Aures. De his, qui vi. & Cap. Debitores. De iure iurando*, est respectu propriorum subditorū, de quibus luculenter egi P. *prior. potest.* 85. videlicet, qui sint originarii, domiciliarii, Beneficiarii, vel familiares triennales, respectu verò aliorum, foret ponere falcem in alienam messem, & dirigere oues non suas, quod omninò vetatur Episcopis habentibus solam partem sollicitudinis. Ex quo non valet illud Henriq. pro scolaribus, & similibus maiori anni parte habitantibus in loco, tum quia ex hoc domicilio non acquiritur verum Ius propriè subiectionis; quod est, in quo experitur verus permanendi animus, quod facit verū, propriumque subditum, verèque absolutum à priori, & posteriori Episcopo subiectum, idcirco scolaribus nequeunt ordines cōferri absque litteris dimissorialibus proprii *Episcopi*, *ex Cap. Nullus De Temp. Ordin. in* 6. pœnes quem residet absoluta, & propria subiectio, vt notat Abbas *in Cap. Nullus, num.* 4. *De Parochiis*. Nec valet adducere huiusmodi scolares esse subditos respectu Confessionis, & Communionis ergo, & aliorum Sacramentorum, seu cæterarum gratiarum: nam disparium consequētia non valet. Sacramenta etenim alia sunt necessaria, vt Confessio, & Communio; & alia voluntaria, ad quæ nulla viget necessitas, quarè prima, vago, & peregrino ministrari possunt, secunda verò nequaquam, vt notauit Bonac. *in* x. *Decalogi præcepta disp.* 4. *quæst.* 2. *P.* 7. §. 4. *num.* 6. paritèr docens posse Episcopū cū ōnibus suis subditis dispensare in præfatis votis, & iuramentis, etiam extra Diœcesin, quod magis firmat suprapositam sententiam.

2 *Sed quid, si Episcopus dispensasset?*

Respond. Cum Suarez *Id. loco, num.* 11. à Barbosa, *De Episcopo, Alleg.* 36. relato: Episcopum loci posse suspendere voti executionem, ex tacita voluntate proprii *Episcopi*, eo tamen silente, vel consentiente, ideo consulendus vsus loci. Re vera tamen nunquam deserenda opinio nega-

ga-

gatiua in materia tàm graui apud Deum. Neque Religiosorū mos adducendus est, qui ordinantur per dimissorias concessas à Superiore, vbi morantur, nam hi dicuntur verè domiciliarii, si de familia collocantur à Prouinciali, vel Generali studiorum, vel negotiorum causa, de quorum voluntate pendet animus manendi, non verò à morantibus, qui non habent locum, nec domum, nec aliquam rem. Nec insuper valet, quod Sanchez *De Matrim lib. 3. disp. 24. num. 5.* adducit pro se; nempè non esse absonum iuribus habere duo domicilia in diuersis Episcopatibus; sed tantum, quorum vnum proprium, & alterum non. Vtraque tamen propria in ordine ad veram, propriamque subiectionem ad ordines, & Matrimonium, non valet.

Addunt praeterea Archiepiscopum non posse cum supradictis vota relaxare, cum non sit Ordinarius in his, nisi via appellationis in foro contentioso; ideo à propriis Episcopis verè omninò relaxantur dicta vota in communiori, & probabiliori sententia.



De Episcopo non concedente plenarias Indulgentias.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere Indulgentias plenarias.*

Impotentia XXVI.

1 NON potest Episcopus concedere plenarias Indulgētias. Ita *in Cap. Nostro. De Pœnit. & Remiss. & Cap. Cum ex eo. ibid.* habet Tolet. *Instruct. Sacerd. lib. 6. cap. 25.* de hac materia satis, & abundè probaui *Part. prior. potest. 33 & 65.* hic autem disserere libet de hac impotentia, quę inest Episcopo defectu iurisdictionis totalis, & plenè in tota subiectorum latitudine, clauem habet paruam aperiendi partem Thesauri meritorum Christi, & Sanctorum, vi partis sollicitudinis, ad quam fuit assumptus. ex Cap. *Ad honorem, De Authorit. & Vsu Pallij.* Nec huiusmodi facultas contingit vi ordinis, sed iurisdictionis, quam limitatam, & partialem à iure communi, & Conciliorum sortitur, ad differentiam Summi Pontificis Maximi, cui vi electionis legitimę à Card. Conclauistis, tamquam ex conditione sine qua non, succedunt Petri claues, vt possit aperire plena horrea Thesaurorum, & pascere oues Christi in toto terrarum Orbe diffusas; ex qua plenissima Potestate vocatur Summus Pontifex, sicuti Episcopi Pontifices Minores, participantes in eorū iurisdictione de plenitudine Summi Pastoris; cui erit diuidere, minuere, restringere, dilatare, vel mutare portionem in subditis. Quare sicut Episcopi ratione ordinis dicuntur equales, & fratres Summi Pontificis, sunt tandem inæquales ratione iurisdictionis tamquam riuuli de fonte, & Rami de stipite fructus efferentes. Idcircò non potest Episcopalis potestas con-

concedere plenarias Indulgentias ob restrictionem factã à Summo omnium Pastore. *in Cap. Cũ ex eo, & Cap. Nostro. De Pœnit. & Remiss.* Si autem placuerit Summo Pontifici, posse procul dubio talem facultatem elargiri, vt resoluit Aloys. Ricc. *in Praxi aurea, resol.* 306. *num.* 2. Quod autem quandoque factum sit, patet tempore noctis assistendo morienti, vt dixi *P. prior. potest.* 132. & 161.



De Episcopo non concedente Indulgẽtias pro Defunctis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere Indulgentias Defunctorum.*

Impotẽtia XXVII.

1 NON potest Episcopus concedere Indulgentias Defunctorum. Nauar. *De Indulg. lib.* 1. *cap.* 11. Sà, V. *Indulg.* 18. apud quos alii, quorum ratio ducitur ex dictis *prior. Impotentia.* vbi edoctum fuit, elargitionem Indulgentiarum non esse actum ordinis, sed iurisdictionis, quam restrictam habent à S. Sede Episcopi quoad Indulgentias, ad duo videlicèt Ad tempus, & eius subditos in hac vita degentes, igitur debent sequi limitationes concessionis, prout ipsa praxis ostendit.

Hic abs re videtur declarare quid sit Indulgentia pro Defunctis, & respondetur; Indulgentiam dupliciter concedi solère, primo per modum absolutionis, quomodo absoluuntur viuentes, seù viatores sub vexillo Ecclesiæ militantis. Secundò per modum suffragii, seu adiutorij, quomodo suffragantur, & adiuuantur Animę in Carcere purgatorio, quæ tamquam in gratia Dei existentes soluunt pœnam reatus Diuinæ Iustitiæ, adhùc non translati ad Ecclesiam triumphantem, manent sub prçcatoria iurisdictione Ecclesiæ militantis, cuius caput Summus Pontifex applicat prætium meritorum Christi, & Sanctorum in satisfationem, vt liberentur à pœna, aliàs debita. Quapropter potest Pontifex Animas in tali detentas carcere, absoluere, & offerre prætium satisfactorium, vt liberentur. Sitq; exemplum debitor carcere detentus, vt soluat 100 aureos, quos soluere tenetur Creditori, illum absoluere possunt Creditor, & Iudex. Vel Amicus offerens prætium liberationis equiualens sitæ: Pontifex pro Animabus in Purgatorio offert dictæ Iustitiæ prætium meritorum Christi, & Sanctorum; vt notauit Tolet. *De Instruct. Sacerd. lib. 6. cap.* 16. §. *Secundum est.* Vbi paritèr aduertit si sumens Indulgentiã pro Defũctis in statu peccati mortalis prodesset Defunctis. Ratio, quia applicatio illa est facta nomine *Ecclesiæ*, quæ semper est in gratia; ideo non est opus sumentem esse in gratia, vel peccato. Sat itaque erit applicantem, cui applicatur esse in Gratia. Exemplo Domini dantis eleemosinam per seruum existentem in peccato, tunc eleemosina non respicit instrumentum serui, sed charitatẽ donatoris, quæ sub-

leuat miseriam pauperis, idipsum Ecclesia per precatorem tribuit Eleemosinam Animabus in Purgatorio.



De Episcopo non concedente licentiam legendi libros prohibitos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere licentiam legendi libros prohibitos.*

2 *Sed à quonā cōcedi potest hac licentia?*

Impotentia XXVIII.

1 NON potest Episcopus concedere licentiam legendi libros prohibitos. Ita *post Iul.* 3. *Pium* 4. & alios prędecessores, quorum meminit Dian. *Part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 46. Bonac. *De Cens. in Bull. Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. P. 4. *num.* 10. nouissimè ex Constitutionibus Greg. xv. 1623. Vrb. 8. incipit: *Apostolatus*, & Alex. 7. Clariùs Gauant. *in Enchirid.* V. *Libri prohibiti, à num.* 22. De hac materia satis actum fuit *Part. prior. potest.* 50. *&* 189. Vbi de diuisione librorum prohibitorū, quorum aliqui sunt sapientes manifesta hæresi, & alii non: Primi generis ad Inquisitores, secundi ad Episcopos spectat cognoscere, causas terminare, & concludere, si qui illi fiot, prout in Indice nouissimo *sub Alex.* 7. *ann.* 1665. Quapropter vigore dictarum Bullarum hodiè sublata est licentia legendi, vel retinendi dictos libros ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionē, aut ratione Astrologię iudiciariæ, aut aliàs quomodolibet prohibitos à qualibet quacumque dignitate Ecclesiastica, vel Seculari fulgeat. Si quę verò alia fuerat opinio docens dictos libros posse retineri donec expurgentur, sublata, & damnata estat nouissimè, *sub Alex.* 7. *à* S. *Congregat. sub die* 18. *Martij.* 1666. vnà cum aliis propositionibus.

2 *Sed à quonā cōcedi potest hac licentia?*

Respond. Quorumdam sententiam fuisse, licentiam legendi libros hæreticorum, demandandam à Sacra Congregatione. Aliorum verò ab Episcopo, At post *Bull. Gregor. & Vrb.* non valet, quia ibi sermo est de quomodolibet prohibitis, vt notarunt multi apud Dian. *P.* 4. *tract.* 8. *resol.* 46. contra Homobon. P. 2. *tr.* 11. *cap.* 7. *quæst.* 15. Absolutè igitur talis facultas petenda erit à S. Congregat. Emin. Cardin. Sanctissimę Inquisitionis, prout resoluunt dicti Gauant. & alii *loc. cit.* cum Suarez *De Fide disp.* 20. *sect.* 2. *nu.* 28. Dixi à S. Congregatione; quam solus Cardinalis dare nō potest, vt docuit *Dian.* P. 4. *tract.* 4. *resol.* 46. in fine.



De

De Episcopo non concedente monitoria pro rebus perditis contra habentem pro se rem iudicatam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere monitoria contra habentem pro se rem iudicatam.*

Impotentia XXIX.

1 NON potest Episcopus concedere monitoria contra habentem pro se rem iudicatam. *Ita* non pauci apud Marc. Anton. Genuens. *Variar. Resolut. lib. 1. resol. vlt. cas. 75. vers. 2.* Lazzar. *sect. 4. quæst. 1. num. 12. &* 15. Vgol. *De Potest. Episcopi cap.* 45. Quorum ratio est, quia huiusmodi monitoria à lege intenta diriguntur contra detinentes mala fide aliena bona, vel scientes furto, fraude, & indebitè retinere, ad finem reuelationis. At quādo quis habet pro se rem iudicatam, iustè possidet, estque bonæ fidei detentor, & ideo huiusmodi detinentes, non obligantur ad reuelandum. Sic Nauar. *cons. 35. num. 8. De Sent. Excomm.* Adde per possessionem licitam rem non dici perditam, sed sub dominio Domini sui, in cuius possessione stat ratione iudicii facti. Nec monitorium conceditur pro re, & persona certis, sed insciis, & incertis, vt reuelentur ignota. Stante igitur vera personarum notitia, vel rei in possessione, pro re iudicata, ad quid conceditur monitorium? & si quod dubium fuerit in exquirente, alio purgandum erit remedio. Vide satis dicta de monitoriis, *P. part. potest. 60.* Sicut de Excommunicatione pro rebus perditis. *Potest. 63.*



De Episcopo non concedente monitoria in casibus criminalibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere monitoria in casibus criminalibus.*

Impotentia XXX.

1 NON potest Episcopus concedere monitoria in casibus criminalibus. Laz. *De stilo Curiæ Romanæ*, prout statuit B. Pius. v. incipit: *Sanctissimus in Christo Pater 27. Ian.* 1570. Volens super expeditione mandatorum, quę fiunt in forma (*Significauit*) quod monitoria dentur ad eorum dumtaxat instantiam, quorum ciuilitèr interest, & sequitur praxis Curiæ Neapolitanæ, vt notauit Campanil. *in Diuersorio Iuris Rubr. 11. cap. 45. num. 120.* & Aloys. Ricc. *in praxi decision. 278. in 1. edict.* quod confirmauit Sacra Congregatio 22. *April.* 1616. apud Gauan. *in Enchirid. V. Excommun. num. 12.* Ratio potior huius potestatis est, quia monitoria in Criminalibus præ sæpè infamiæ notam afferunt, & irregularitatem in Ecclesiasticis in-

inducunt, secundum Barbos. *in Collect. Trident. sess. 25. De Regular. & Monial. cap. 3.* Solent igitur monitoria tali clausula muniri. (*Nolumus autem quod ex reuelatione huiusmodi, si esse fieri contingat, nisi pro ciuili interesse, & ciuiliter tantum agi possit, aliàs reuelatio ipsa, nec in iudicio, neque extra fidem faciat.*) quid quid existimauerit Theodor. Raymund. *De Monitorijs Ecclesiasticis P. 1. cap. 1. quæst. 6.* pro sola spectata rei natura; ego quidem tenorem Decreti Sacr. Congregat. sub die citato non reliquerem.



De Episcopo non concedente licẽtiam Monialibus exire è Monasterio, extra casus B. Pij. V.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere licentiam Monialibus professis exire è Monasterio, extra casus B. Pij .v.*

2 *Sed quid de Moniali incorrigibili?*

Impotentia XXXI.

1 NON potest Episcopus concedere licentiam Monialibus professis exire è Monasterio extra casus B. Pii .v. incipit: *Decori, ann.* 1569. Vbi postquam Trident. *sess. 25. De Regul. & Monial. cap. v.* Constitutionem Bonifacii 8. incipit: *Periculoso,* innouauit, & interdixit exitum præfatum, sub quocunque prætestu, absque legitima causa, & licentia ab Episcopo, quasdam expressit casus, ob quos liceat Episcopis licentiam impertiri. Sic:

Volumus, sancimus, & ordinamus: nulli Abbatissarum, aliarumque Monialium licère exire nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, aut ypidemiæ aliàs autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, & illarum receptatrices personas, siue laicas, siue ecclesiasticas consanguineas, vel non, excommunicat. maioris latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso absque alia declaratione subiacère, à qua, præterquam à Rom. Pontifice, nisi in Mortis Articulo absolui nequeant.

Et quia satis egi *P. part. potest.* 124. vbi quamplurima ad hanc materiam necessaria dicta fuere, His addo pro receptatoribus: quod si eorum aliquis quamdam Monialem egressam die, vel nocte, vel in loca deserta errantem domi suæ receptaret, naturali compassione motus, neuè ipsa periculo vitæ, vel famæ incideret, vel damnum aliud pateretur, eam ortando redire; etiam si nollet, excommunicationi non incurreret, quia tunc nõ esset receptator cooperans iniustè actioni, sed factor boni operis, iustus, & exortans regressum; ita apud Tamb. *De Iure Abbatiss. d sp. 19. quæst. 9.* Zeroll. Azor. & Bonac. *De Censur. quæst. 1. P. 8. num. 6.* Si qui tandem fuerunt casus similares, quibus licitus esset exitus absque incursione censuræ. Vide *citatam potestatem priori Parte.*

2 Sed

Digitized by Google

2 *Sed quid de Moniali incorrigibili?*

Resp. Moniales Incorrigibiles nõ posse eici, neque transferri inconsulta S. Apostolica. *Eadem 27. Maij.* 1603. Gauant. *in Ench. V. Monial. Clauſ. num.* 23.



De Episcopo non concedente Matribus licentiã ingredi Monasterium ad earum filias visitandas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere Matribus licentiam ingredi* Monasterium *ad earum filias visitandas.*

2 *Sed quid de Matre* Medica?

3 *Sed an possit Mulieri coniugata licentiam impertiri* Monasterium *ingredi?*

4 *Sed quid de Muliere nobili Monasterium ingressura vigore Breuis, An possit sola ingredi?*

5 *Sed nùm electis tribus, earum vna impedita absens poterit dicta nobilis priuilegiata aliam eligere?*

6 *Sed an possit cum vna tantùm ingredi?*

7 *An alia electa, ex eo quod ex tribus primò electis vna fuit impedita, possit secundò aliam reeligere, vel vti electis?*

Impotentia XXXII.

1 NON potest Episcopus concedere Matribus licentiam ingrediendi Monasterium causa visitandi earum filias morti proximas, ita fatentur decisum Zerolla *in praxi* P. 1. *V. Moniales.* Quarant. *in Summ. Bullarij . V. Monial. Monast.* §. *An liceat*, & Alii pænes ipsos, & videtur rationi consonum, quia dicta necessitas non est de numero illorum, ob quę possit Episcopus vti Trid. facul. *seß.* 25. De *Regul. & Monial. cap.* 5. pro ut Sacra Congregatio expresè decidit sic: *Nõ liceat Episcopo licentiam elargiri Matribus, vel Sororibus ingrediendi Monasteria ad videndum earum filias morti proximas*; pro ut notarunt Miranda *in Tractatu de Sanctimon. quaest.* 2. *art.* 8. & Lezana *De Monial. cap.* 25. *num.* 31. Suadetur denique sic: Talis ingressus non videtur necessarius, & sola Matrum nimia teneritudine desideratur, *At* illarum anza fidelibus, & sororibus magis nocet, quam prodest, quia de illarum præsentia magis affliguntur; immò à cogitationibus mortis distraherentur, cum verũ sit cogitationes parentum, vitæ æternæ non prodesse ex oraculo Saluatoris, Lucę 14. *Si quis non odit Patrem, Matrem, Sorores, adhùc, & Animam suam non potest meus esse discipulus.*

2 *Sed quid de Matre Medica?*

Respond. Probato actu necessario medendi, licitum esse ingressum huic, potiùs quam alteri, tamquam Medicæ, & non Matri, idipsum de Sorore medica recurrit. Caue tamẽ quãdo de medicorum consilio filia esset Morti proxima, tunc enim nulla necessitas actus medendi. Ita Doctores citati à Barbos. *Alleg.* 102. *pag.* 68. De Medicis ingredientibus dixi P. *prior. potest.* 66. *num.* 2.

3 *Sed*

Digitized by Google

3 *Sed an possit Mulieri coniugatæ licentiam impertiri Monasterium ingredi?*

Respond. Portellus. *V. Clausura Monialium, in Addict. num.* 2. Negatiuè. Pellizzar. autem, & Bonac. *tom.* 1. *V. Clausf. quæst.* 4. *P.* 4. *num.* 17. limitant dictam negatiuam sententiam, Nisi esset graue periculum in mora adeundi Pontificem, Azorius verò ab illis adductus ait: posse Episcopum licentiam concedere Viduę bonę famæ, vel coniugatę ob adulterium separatæ, modò ipsa non sit in culpa, & timeret vitæ periculum. Quid autem vbi esset consuetudo? Probanda erit si habet conditiones.

4 *Sed quid de Muliere nobili Monasterium ingressura vigore Breuis S. Apostolicæ, vnà cum tribus associatis, An possit sola ingredi?*

Respond. Negatiuè. Tum quia trium personarum comitatus est de forma breuis ad custodiam, & decentiam, nè furtiuus aliàs esset ingressus. Ita Pellizzar. *De Clausf. Monial cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 136. Quod si exempla in contrariũ adducerẽtur id fortè sine consensu Ordinariorum, vel quia viris potentibus clausit Ordinarius oculos, ita DD. magni nominis decidère, prout in stylo Curiæ Romanę.

5 *Sed electis tribus earum vna impedita absens, poterit dicta Nobilis priuilegiata aliam eligere?*

Respond. Posse citra fraudem cum consensu Ordinarii, & pro illa vice tantùm, ne gratia redderetur inutilis. Pellizzarius *ibid. num.* 137.

6 *Sed an possit cum vna tantùm ingredi?*

Respond. Negatiuè, nec cum duabus, ob violatam formam breuis. Pellizzar. *d. loco.*

7 *Sed An alia electa, ex eo quod ex tribus primò electis vna fuit impedita, possit secundò aliam reeligere, vel vti electis?*

Respond. Posse totiès, quotiès mutare in casu legitimi impedimenti probati, quando vna, vel duę electæ nollent ingredi, alias eligere, vel vti electis, & non impeditis; prò ut consuluit Abbas Simeon Fimia Panorm. in contingentia facti.

De Episcopo non concedente Regularibus facultatem alloquẽdi Moniales cõsãguineas, nõ seruatis cõditionib⁹ S. Cõgreg. 1623. 12. kal. Decembris.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere Regularibus facultatem alloquẽdi Moniales consanguineas non seruatis conditionibus Sacræ Cõgregationis.*

2 *Sed quænam sint conditiones requisitæ?*

3 *Sed quid de occulta alloquutione?*

4 *Sed quid de tempore modico?*

Impotentia XXXIII.

1 NON potest Episcopus concedere Regularibus facul-

Digitized by Google

tatem alloquendi Moniales consanguineas, non seruatis conditionibus Sacrę Congregat. anno prędicto *sub Vrbano 8.* vbi sic:

Quod si locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter quam seruata forma supradicta licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentionis S. D. N. & S. Congregat. transgressores iudicium formident. Regulares autem in pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent eo ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio S. Congregat. puniendos. Apud Lezan. *Cap. 23. num. 36.* & Bonac. *De Clausura quæst. 3. P. 4.* Peyr. *Tom. 1. De Priuileg. Minim. in Const. B. Pij. v. nu. 7.* In re igitur tam graui, considera verba Decreti, & vide Impotētiam Episcoporū concedendi vltra prę scriptum ibi; vide *Prior. part. potest.* 31.

2 *Sed quęnam sint conditiones requisitæ?*

Respond. Conditiones requisitas in supradicto Decreto Vrb. 8. Esse primo: *Licentiam Regularibus concedendam Monialibus alloquendi esse per quatuor vices ad summum quolibet anno.* — Secūdò: *Moniales debere esse in 1. & 2. gradu consanguinitatis coniunctas.* — Tertiò: *Alloquutionē fieri in diebus festiuis: in Aduentu, Quadragesima, Feria 6. Sabbato, & Vigilijs, vt dixi P. prior. potest.* 31. His igitur conditionibus vallata concedi potest facultas in scriptis, signādo diem, & horam. Obtenta denique consignetur in manibus Confessarii ordinarii, qui pœnès se retinere debet, sēperq; præsens cū auscultatricibus de more.

3 *Sed quid de occulta alloquutione?*

Respond. Post contrariam Bonac. *d. loco*, sententiam; Regularem ex unico accessu non teneri subire pœnas in dicto decreto, immò nec in pluri accessu, quia de peccato occulto non tenetur se prodere in foro cōtentioso, sed procurare reabilitationem à S. Congregat. secreto modo. Neque cogitur officium, quod possidet relinquere cum tanto suę famæ rubòre. Ita Cortiolanus, apud Bonac. *ibid.* quidquid dicat Portelli *in Dubijs Regul. V. Electio num.* 17.

4 *Sed quid de tempore modico?*

Respond. Post varias, & antiquas propositiones, Negatiuè tenendum, cum nouissimo S. Congreg. Decreto 1 10 *Martij* 1663. sub Clem. 9. sic: *Etiam per quodcunque modicum temporis spatium*, postquam dannauerat propositionem affirmantem: *Non esse interdictum per breue tempus, etiam vsque ad quadrantem horæ cū dimidio*; Hodiè ergo Regulares colloquendo Moniales per quodcunque modicum temporis spatium, peccarēt mortaliter, & coerceri possunt ab Ordinariis tamquam S. Apostolicę delegatis, iuxtà tenorem Decreti, de quo fusius *Prior. part. potest.* 127.



De

De Episcopo non concedente asseruari assiduè Sãctissimæ Eucharistię Sacramentum alibì, quàm in Parochiali, vel Maiori Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest concedere* SS. *Eucharistiæ Sacramentum assiduè alibì, quàm in Ecclesijs Maiori, vel Parochiali asseruetur.*

Impotentia. XXXIV.

1 NON potest Episcopus concedere, vt Sanctissimum Eucharistię Sacramentum alibi asseruetur assiduè, quàm in Maiori, vel Parochiali Ecclesia. Ita ex S. Congregat. 15. *Ian.* 1609. testatur Piasech. *in Praxi noua Episcopi P.* 2. *cap.* 3. *num.* 33. Marc. Anton. Genuens. *in Praxi Neapol. cap.* 91. Aloys. Ricc. P. 4. *Collect.* 1116. quod factum fuit ad decentiam, & decorem tanti Sacramenti, vt firmiùs, & stabiliùs inueniatur Pastor ad ouile, ne vagari videretur ad libitum Episcopi. Non nego tamen posse Episcopum ob locorum distantiam nouas erigere *Parochias*, & vti facultate Tridentina *sess.* 21. *De Reform. cap.* 4. iuxtà Const. Alexand. 3. *Cap. ad Audientiam.* vt dixi P. *prior. potest.* 186. Video tamen hac mea tempestate; Episcopum Catanensem Michaelem Angelum Bonadies mei Ordin. Minor. Strict. Obser. hoc anno 1669. memorabili Incendio Æthneò quamplurima Ciuitatis Catanę Oppida deuastante; in Suburbio nouitèr erecto extra mœnia, ob habitantium multitudinem, & Ciuitatis distantiam, Sanctissimę Eucharistię Sacramentum Ecclesię S. Agathę, vulgò dictę la Carità in dicto sitę Suburbio concessisse vigore Trident. *d. loco.*

In Ecclesiis igitur Maior. & Parochialibus loco conspicuo, Nobiliori, & perpetuo collocandum erit Venerabile Sacramentum, In hostiolo benè, decenterque ornato, claue residente apud Ecclesiæ Rectorem, quod si extrahi contingerit, & deduci in processionibus, aut pro Viatico, non nisi cum luminibus, & comitatu à Sacerdote supercilio induto iuxtà praxim *in Cæremonial. Roman.* Quapropter in honorem tanti augusti Sacramenti, iussu Vrb. 4. ab Angelico Doctore compositum fuit eius Officium, omnium fidelium mentiũ raptiuum, & processio habenda Feria 5. post Octauam Pentecostes, de qua meminit Azorius *in Manual.* P. 2. *lib.* 1. *cap.* 14.

Nec possũ tãdẽ silentio tradere totq; miraculis, quæ leguntur de hoc augustissimo Sacramẽto illud nõ addere, quod præ oculis habui ann. 1659. 15. Augusti, in nostro Conuentu S. Marię Portus Salutis Messanæ in Sicilia, celebrante deuoto Patre Fratre Ioanne à S. Lucia, qui cum ad Orationem Dominicam peruenerit, cècidit de repente Tonitruum, & serpens, sursum, deorsumque per Sacristiam, & Ecclesiam, nimio omnium terrore, vltimò ad dictum Altare pertingens, tobaleam, velum, corporale, & alia, quæ circa Sacrificium erant,

de-

deuastauit; Sacramentum verò quasi adorando reliquit, Sacerdotē tandē perterritum, ipse adiuui, in Missa reliquo.

tom. 1: disput 23. quaest. 2. De Consecratione Ecclesiarum satis dictum fuit P. *prior. potest.* 126. *à num.* 1.

De Episcopo non concedente, nisi alteri Episcopo Ecclesiarum consecrationem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest nisi alteri Episcopo Ecclesiarum consecrationem.*

Impotentia XXXV.

1 NON potest Episcopus concedere nisi alteri Epo Ecclesiarum consecrationem. Ita ex *Cap. A qua. De Consecratione Ecclesiarum.* Ratio quia facultas consecratiua Ecclesiarum est ordinis Episcopalis, & licèt Episcopus iurisdictionem suam possit inferioribus delegare, non tamen quæ ordinis sunt. Nec obstat dicere cum Sā, *V. Ecclesia, num.* 10. casū accidisse, fuisseq; delegatum; quia potiùs est corruptela, quàm iustitia, ideo in exemplum transire non debet. Ita Azor. & Bonac. *De Sacram. disp.* 4. *quaest. vlt. P.* 9. *num* 8. Vgolinus, & latè Miranda, *in Man. Prælat. tom.* 2. *artic.* 1. *concl.* 3. *quaest.* 39. Quid autem erit de Reconciliatione Ecclesiæ pollutæ, dixi *Prior. Part. potest.* 245. *num.* 4. — Nū autē possit Abbatibus delegari? Negat Tambur. *De Iure Abbatiss.*

De Episcopo non concedente, seu locāte domū manifestis Vsurarijs alienigenis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus nō potest concedere seu locare domum manifestis, & alienigenis vsurarijs.*

2 *Sed quid si Vsurarius esset indigena?*

3 *Sed quid de oriundis, & Hebreis?*

Impotentia XXXVI.

1 NON potest Episcopus concedere, seu locare domum manifestis vsurariis alienigenis, sub pœna suspensionis, ex *Cap.* 6. *Vsurarum. De Vsuris, in* 6. in *Concil. Trident. sub Greg. x.* habet Couarruuias *lib.* 1. *Variar. cap.* 9. *num.* 4. & Bonac. *De Cens. in Bulla Cæn. Tom.* 3. *disp.* 2
3. *quaest.* 6. *P.* 5. vbi notat cum Suarez, Sayr. & Filiucc. Suspensionem hanc esse ab officio, & beneficio simul, propter indistinctam, & generalem locutionem textus. Alij verò inferiores ad Episcopū excommunicantur. Collegia denique, & Vniuersitates interdicuntur, si per mensem animo indurato perstiterint. In quo Ecclesia reprimere intendit voraginem

nem vſurariorum, & fidelium cooperationes, in illorum conſortio, & cohabitatione. Prohibet pariter locutionem, conductionem, & receptationem Vſurariorum, ob manifeſtam, publicam, & illicitam illorum negotiationem, quā damnat tanquam Chriſtianę legi contrariam; dicente Saluatore noſtro Lucę 6. *& mutuum date, nil inde ſperantes.*

2 *Sed quid ſi Vſurarius eſſet indigena?*

Reſpond. Textum non habere locum, modo quo quis locaret domum Meretrici, cuius tantum eſſet peccatum, & non locantis, vt docuit Azorius *Inſt. Moral. P. 2. lib. 12. cap. 18.* itaque in ſolo indigena Vſurario ſtat dumtaxat vtilitas moralis percipiendi fructus locationis, quidquid ſit de ſpeciali, & interno fine Vſurarii indigenæ, quem non intendit locans. ita cum Rebell. *De Obligat. Iuſtitiæ lib. 2. quæſt. 14. quæſ. 17. num. 8.* vbi excuſat à mortali, & conſequenter ab incurſu ſuſpenſionis, cum ſine eo nō incurritur hæc cenſura, apud Barboſ. *De Episcopo Alleg. 118. num. 27.*

3 *Sed quid de oriundis, & Hebreis?*

Reſpond. 1. Ad oriundos Textum non habere extenſionem, ex verbis *Alienigenis*, ex quo Pontifex non loquitur de oriundis, ſed tantum de aduenis, & exteris contra quos diriguntur Vſurariorum pœnæ, prout notat Barboſ. *De Iure Pontificio ind. cap.* itaque oriundus ille intelligitur, vel quia in Ciuitate, aut Locolo natus, vel originem trahit à Patre ibi nato; non autem ab Auo, alias oſſet quærere Adam in campo damaſceno.

4 De Hæbreis diſſentiunt DD. quorum diſcrimen conciliat Ricciul. *De Iure perſonarum lib. 3. cap. 19* & tenet pro illis partibus, in quibus de ſpecifica Principis permiſſione recepti ſunt, textum non vindicare ſibi locum, per neceſſarium antecedens, ad exemplum Sinagogarum, & aliorum rituum tolleratorum, Secùs in illis partibus, in quibus nulla eſſet talis ſpecifica mentio, ad quas textus extenderetur, ex illis verbis: *Alienigenas, & alios non oriundos*, itaq; locatio domus Hebreis permittitur in primo caſu, ſecus in ſecundo.

De Episcopo non concedente, niſi iuſta de cauſa laicis ius percipiedi decimas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non poteſt concedere laicis, niſi iuſta de cauſa, ius percipiendi decimas.*

Impotentia XXXVII.

1 NON poteſt Epiſcopus concedere laicis, niſi iuſta de cauſa, ius percipiendi decimas. ex Cap. *Prauenis*, & Cap. *Nuncius*. *De Decimis*, vt notauit Rebuff. *De Decimis, quæſt. 5. num. 33.* Azor. *Inſt. Moral. P. 1. lib. 7. cap. 36. quæſt. 12.* Ratio quia ex quinto Eccleſiæ Præcepto tenentur laici ſoluere Eccleſiæ decimas, in ſuſtentationem Miniſtrorum,

rū eius, de quibus meminit Trid. *sess. 25. cap. 12.* inhibendo solui integrè ab his, ad quos spectat, minitando, excommunicationis gladio subtrahentes, vel impedientes dictam solutionem: At Episcopus non potest dispensare in dicto præcepto, immò seruare cogitur, in fauorem Ministrorum Dei. — Dixi nisi iusta intercedente causa. Putà pro liberanda *Ecclesia* ab oppressione, quam pateretur, vel passa fuit ob Tirannidi persecutione. Tunc enim ad tempus, vel ad vitam concedi possunt decimæ Ecclesiasticæ, vt soluantur laicis liberatoribus, vel defensoribus, in præmium, vel salarium, quo casu non est concessio percipiendi decimas contra Ecclesiæ præceptum, sed decimationes, seu annuas præstationes pro rebus debitis in Ecclesiæ sustentationem. Immò nec dicerentur decimę si temporales sunt. Insup si laico Episcopus cōcederet decimationes de consensu eorum, quorum interest, & hoc cū debitis solemnitatibus, & conditionibus ad alienationem requisitis, non diceretur agere contra, sed in auxilium Ecclesiæ, ad sustentanda illius iura, & est causa sufficiens; prout dixi P. *prior. potest.* 107.



De Episcopo non conferente gradus doctoratus, nisi seruatis seruandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre gradum doctoratus, non seruatis seruandis.*

2 *Sed an violans his suspensionem prima pendente, statim curris secundum semestre?*

3 *Sed An stante suspensione, valeret collatio doctoratus. Nec ne necessaria foret iteratio?*

Impotentia XXXVIII.

1 NON potest Episcopus conferre gradum doctoratus non seruatis seruandis, sub pœna suspēsionis à collatione dicti gradus per 6. menses, *ex Clem. 2. de Magistris. Cap. Cum sit. lib. 5.* Episcopus igitur non seruans solemnitates excipiendo fidei professionem, ex Const. Pii 4. incipit: *Sacrosancta, idib. Nouembr.* 1564. & iuramenta; tamquam negligens incidit in suspensionē dictæ collationis: ecce verba Textus: *Si quis autem Pontificali etiam dignitate præfulgens, non recepto prius iuramento præfato, honorem cuidam tribuerit supradictum à collatione magisterij, seu doctoratus cuiuslibet per 6. menses sequentes, eo ipso nouerit se suspensum.* addit Gloss. *in d. cap.* violantem hanc suspensionem non incurrere irregularitatem. *ex Cap. Is qui. De Sent. excommun.* sed grauitèr peccaret, ex Bonac. loc. infra citando.

2 *Sed an violans his suspensionem, prima pendente, statim curris secundum semestre?*

Respond. Affirmatiuè, Ratio quia non fit deuolutio totiùs, sed statim post secundam transgressionem inchoatur secundum se-

mestre, ex Gloss. *ibid.*

3 *Sed an stante suspensione valeret collatio doctoratus, vel necessario foret iteratio?*

Respond. Quod si collatio sit facta in occulta suspensione, non erit iteranda, tum quia non irritatur actus factus in occulta censura, tum etiam quia in dicto gradu doctoratus non imprimitur character, sed probata sufficientia, licentia impertitur ad publicè legendum; si verò suspensio erit publica, putat Gloss. seruari debere, ad satisfaciendum publico, cum Bonac. *De Censur. extra Bull. Cœna Domini disp. 3. quæst. 5. P. 5.*



De Episcopo non conferente beneficia Sed. Apostolicæ reserua-ta.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre beneficia Sed. Apostolica reseruata.*

Impotentia XXXIX.

1 NON potest Episcopus conferre beneficia Sed. Apostolicæ reseruata, nec quouis quæsito colore se intromittere, sub pœna suspensionis à Diuinis, & ab ingressu Ecclesiæ, ex Constit. Pii .4. incipit: *Cupientes malitiis* 25. *April, ann.* 1561. apud Collector. *pag. mihi* 519. & notauit Barbos. *De Officio, & Potestate Episcopi, Allegat.* 11 *(. num.* 5?) ita pro obtundenda quorumdam 1 malitiam volentium eosque iusto titulo, ac litteris Apostolicis vsurpare, seque intromittere in pro- 2 uisione beneficiorum Ecclesiasticorum dispositioni Apostolicæ reseruatorum. Quænam autem 3 sint huiusmodi beneficia reseruata vi Regularum Cancellariæ, vel particularium diplomatum? Inspice P. *prior. potest.* 75. & 76. vbi de Vacatione pariter beneficiorum dixi.

De Episcopo non conferente beneficia sibi vacantia, sex mensium tempore elapso.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre beneficia vacantia, elapso sex mensium tempore.*

2 *Sed an dicta locum habeant in beneficijs tenuissimis, v.g. 4. Scutorum?*

Impotentia XL.

1 NON potest Episcopus conferre beneficia sibi vacantia, elapso .6. mensium tempore, 2 ex Cap. *Licet. De Supplenda Neglig. Prælatorum. Cap.* 2. *De Concess. Prabend.* & const. B. Pii .v. *in conferendis,* 1566. Ratio quia ex iuribus prædictis nulliter confert, quod infert impotentiam in collatore, ex probata, & con-

uicta Prelatorum negligentia, per dictum temporis lapsum præfinitum à lege, quæ in odium negligentiæ, neuè viduata diu maneret Ecclesia suo Beneficiario, prouidit de remedio, proindè labente dicto tempore semestri, elanguet potestas conferendi in Episcopo, & deuoluitur ad Superiorem Metropolitam, in quo residet dictū ius conferendi, & quidē proprium, quia ex constituto legis, tali er vt possit alteri committere, ad effectum collationis præfatæ, etiam illi, cui primò contingerat conferre, vt benè explicarunt Rebuff. & Azorius *Instit. Moral.* P. 2. *lib.* 6. *cap.* 27 *quæst.* 16. Si verò scire cupis quot modis vacant beneficia, legis *prior. Part. potest.* 154. sicut de semestri, initio, & fine, *potest* 46.

2 *Sed An dicta locum habeant in beneficijs tenuissimis v.g. 4 scutorum?*

Respond. Negatiuè cum Zeroll *in Praxi benef. ad* 3 etenim huiusmodi, siuè sint deuoluta, siuè non in mense Papę possunt ab Episcopo conferri, ob eorum tenuitatem, vt notat Giuant. *in Enchirid. V. Beneficiorum collatio. num,* 26.



De Episcopo non conferente extra Diœcesim Sacramentum Confirmationis, etiam suis subditis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre extra Diœcesim Sacramentum Confirmationis, etiam suis subditis.*

2 *Sed quid si confirmaret subditum alterius in sua Diœcesi, absque licentia proprij Ordinarij?*

Impotētia XLI.


1 NON potest Episcopus conferre extra Diœcesim Cōfirmationis Sacramentum, etiam suis subditis, absque licentia Ordinarii loci, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium. Ratio quia vetitum est extra propriam Diœcesim supradictum exercitium, necessariò requisitum in huiusmodi actu, absque licentia prefata, ex Trident. *sess.* 6. *De Ref. cap.* 5 Vide Sà, *V. Confirmatio*, vnde ministrans dictum Sacramentum debet vti pluuiali Stola, & Baculo, *ex Decret. Sac. Congregat.* 19. *Februar.* 1585. apud Giuant. *in Man. Episcop. V. Confirmatio, num.* 1. quæ omnia sunt insignia in vsu, & exercitio Pontificali, quibus paritèr vtitur in ordinum minorum collatione, in, vel extra missam; igitur Confirmans extra Diœcesim absque licentia Ordinarii loci, violat præceptum Trident. & suspēs. pęnā taxatā in eo incurrit.

Dixi: suis etiam subditis, quia vetito actu, vetatur quoque subiectum circa quod se extendit talis actus, Idcircò hi erunt extra Diœcesim, tamquam non subditi, & licèt alia via circa iurisdictionalia aliqua subduntur, tamen erga Pontificalia pendent à loco.

2 Sed

2 *Sed quid si confirmasset subditum alterius in sua Diœcesi, absque licentia proprij Ordinarij?*

Respond. Actum fore illicitum, & Episcopum reprehensione dignum, tāquā ponēs falcem in alienam messem, apud Tolet. *Instruct. Sacerd. lib. 2. cap. 24. num. 5.* Irregularitatem tamen non incurrisse, docet Camerot. *De Sacram. Confirmat. dub. 5.* eo quia non videtur vsurpasse iurisdictionem, sed potiùs fauère, aut gratum se exhibère præsertim Episcopo proprio absenti. Sicut potuisset confirmare subditum alterius Episcopi, de cuius scientia debuisset ordines conferre. Nā iuxta principale ponitur accessorium. Notauit Dian. *Resol. Moral. P. 3. tract. 4. resolut. 24.* — De collatione huius Sacramenti, loco, & tēpore, egi *prior. Part. potest. 81.*



De Episcopo non conferente Ordines Sacros ad titulum beneficiorum ad tempus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre Ordines Sacros ad titulum beneficiorum ad tempus.*

2 *Sed quibus titulis ordinari poterant fideles de iure antiquo?*

3 *Sed quid de illis ficto titulo promotis?*

Impotentia. XLIII.

1 NON potest Episcopus conferre Sacr. Ordines ad titulum beneficiorum ad tempus. Ita notat Abb. *De Filijs Præsbiterorum num. 5.* Maiol. *De Irregul. lib. 4. cap. 15* Azor. P. 2. *lib. 3. cap. 6.* cum alijs apud Bonac. *De Censur. extra B ll. Cœna Domini disp. 3. quæst. 1. P. 8. num. 24.* & sequitur Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg. 39. à num. 23.* Quorum ratio quia à Trident. *sess. 21. De Ref. cap. 2.* correpta fuit illax, & ficta illa promotio ad S. ordines, spe variarū artium, colore tituli beneficii, ex quo ordinati cum dedecore status, & ordinis mendicare, aut sordida exercere non verebantur. Quia proinde S. Synodus statuit ad S. ordines non promouère nisi priùs legitimè 2 constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidère, Insuper beneficia amouibilia, putà Cappellaniæ, gradus litteraturę iurium peritorum, & consultorū, colores licitæ professionis mechanicæ, aut liberalis, compertum est non sufficere ad vitæ sustentationem, sed deficere, quia falluntur, & ad tempus terminantur, ideo omninò vetitum, vt clerici possint ordinari, sed stādū decreto S. Concil. duo requirentis ad beneficium, eius sufficientiam, & pacificā possessionē Benef. in quibus stat certitudo futuræ sustentationis ministerii, excludens omne dubium, & spem, aliàs insurgit impotentia in Ordinante, de qua nos in præsenti.

Ex quo sequitur: Episcopum non posse ordines conferre ad titu-

tulum Vicarię temporalis, seu Cappellaniarum amouibilium, Ricc. Narbona, & Molina, *De Primog. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 17. — Nec ad titulum pręstimonii ad tempus, secùs in perpetuum. Vgol. *De Officio Episcopi cap.* 26. § 8. *num.* 3. — Nec ad titulum pensionis temporalis, sed benè perpetuò, & sufficientis. Barbos. *ibid. num.* 24. Neque ad titulum seruitutis in aliqua Ecclesia, nisi sit perpetua, sufficiens, & inamouibilis ab Episcopo. Zeroll. *In Praxi Episcopi P.* 1. *V. Dimissoria*, §. 5 *dub.* 1.

2 *Sed quibus titulis ordinari poterant fideles de iure antiquo?*

Respond. 1. Ad titulum beneficii alie[n]i, *ex Cap. Postulasti, De Iure patronatus, & Cap. Per tuas. De Simonia*, ordinabantur.

2 Ad titulum Paternæ hereditatis, *ex Cap. Episcopus, in fine, De Præbendis*.

3 Ad titulum stipendii ab Episcopo assignandi de fructibus suę mensę, *ex Cap. Episcopus, De Præbendis*

4 Ad titulum Beneficii, Pensionis, & Patrimonii, prout hodiè post Trident. quibus addidit, dictos titulos debere esse sufficientes, & pacificè possessos, ad fraudes eliminandas; & ita Clerici hod è ordinantur. Religiosi verò ad titulum Paupertatis, prout dixi P. *prior. potest.* 83. *num.* 10. *& potest.* 93. & melius hic *Impot.* 46.

3 *Sed quid de illis ficto titulo promotis?*

Respond. De iure communi contra ordinantem, seu promouentem scientèr ad Sacros Ordines ficto titulo, esse pœnam suspensionis per triennium, ab ordinum collatione: Contra promotum verò triennalem suspensionem ab ordinum executione, *ex Cap. Si quis ordinauerit.* Nouissimè *ex Const. Vrban.* 8. 11. *Decembris*. 1624. incipit: *Secretis Diuinæ Prouidentiæ*: estat pœna perpetua suspensionis in ordinandis, ad frenandam eorum audaciam; notat tamen Barbos. *ibid. Alleg.* 20. *num.* 31. id magis habere locum in Vltramontanis, quàm Cismontanis. Aderat denique Bulla *Sixti* v. *incipit: Sanctum, & salutare, nonis Ianuar.* 1588. contra malè promotos, sed moderata, & reducta ad terminos iuris communis à Clem. 8. incipit: *Romanus Pontifex*, 4. *Martij* 1595. & B. Pio v. incipit: *Cum ex Sacrorum*, vt aduertit Sayr. De *Cens. lib.* 4. *cap.* 17. & meminit Emanuel Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 20. *artic.* 13.

De Episcopo non conferente Ordines corpore grauitèr vitiatis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest Ordines conferre corpore grauitèr vitiatis.*

2 *Sed quid de dubio, num erit leue, vel graue vitium corporale?*

3 *Sed quid de vitiato iure impedito adire Pontificem, stante inopia ministrorum?*

Im-

Digitized by Google

Impotentia XLIII.

1 NON potest Episcopus conferre Ordines corporè grauitèr vitiatis: ex Cap. *Illitteratos 36. dist. Cap. Pœnitentes. Cap. Præcepta, & Cap. Infames. 6. quæst.* 1. Apud Couar. *in Clement. Si furiosus, Part.* 1. *num.* 5. & Azor. *Instit. Moral. P.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 13. Vbi grauitèr vitiati declarantur Irregulares ob eorum deformitatem, quam præseferunt in membro principali: Cuiusmodi irregularitas est indispensabilis ab Episcopo, ad differentiam irregularitatis ortę à leuitèr vitiatis, de quibus dixi P. *prior. potest.* 141. cum Gauant. *in Enchirid.* V. *Irregul. num.* 13. & Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 42. *num.* 57. nec obstat Gloss. *in Cap. Significauit. De Corpor. Vitiatis, Verb.* Nostra, & tua; quia ibi sermo est, de Episcopo, cui delegata est Potestas à Papa ex illis verbis: *Authoritate nostra*. Dicta valent etiam pro ordinibus minoribus, & prima Tonsura.

2 *Sed quid de dubio, Num erit leue, vel graue vitium corporale?*

Respond. Episcoporum fore iudicare, vt notauit Couar. *in Cap. Si furiosus*, Cuius erit iam videre, num membrum sit deforme, scandali generatiuum, & impediens ordinis executionem, vt dixi *P. prior. citata*. Nec sufficit alterius arbitrium, etiam in Regularibus, quibus solum inest rogare Episcopum, & patefacere vitium corporeum dubium. Verū quamplurium sententia fuit apud Suarez. Iudicium hoc spectare ad Prælatos Regulares, sed quia liberum est Episcopo admittere, vel respuere dictū arbitriū, ideo oportet stare priori sententię, quam recitat, & sequitur Diana, *P.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 73. apud quem *in Summ. V. Irregul. num.* 19. Si Clericus ab infantia haberet in oculo dextro albuginem, & in eo visu careret, ab [illegible] tamen deformitate poterit dispensari ab Episcopo.

3 *Sed quid de vitiato iure impedito adire Pontificem: stante Ministrorum inopia?*

Respond. Censendo adhùc Episcopum dispensare nequisse, quia fas erit iudicare nollē Pontificem dispensare cum publico Ecclesiæ dedecore; ex eo, quod in Ecclesia adhùc non appares Ministros grauitèr vitiatos ministrare; ideò casus epicheia caret. Secùs in occultis, vbi nō fuerit aperta turpitudo, prout de bigamis defendit Barbos. *ibid. Alleg.* 49. *num.* 25. & *Alleg.* 23. *num.* 26. Penuria denique ministrorū in casu suppleri potest per abundantiam obueuntium, vel de altera Diœcesi, vel expectanda licentia Papę, vt in dicto *Cap. Significauit.*



De Episcopo non conferēte ordines iure prohibitis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre ordines iure prohibitis.*

Im-

Impotentia XLIV.

1 NON potest Episcopus conferre Ordines iure personis prohibitis. Ita ex iuribus, & Doctoribus, vt infra, videlicèt.

1 Non fęminis, tùm ob characteris incapacitatem, *ex Cap. 1. circa principium 15. quaest. 3.* & notat D. Thom. *in 4. d. 25. qu. 2. art. 1. &* 2. tùm etiā quia viris subduntur, *Ad Timoth.* 2 tùm deniq; quia Christus dedit Claues hominibus, idest viris, & nō fęminis.

2 Neque Hermafroditis, idest habentibus vtrumque sexum, nisi virilis praualeret. *in Cap. Testis. §. Hermafroditus.*

3 Neque Homicidis, apud Turrebl. *in Pract. Iuris, lib. 2. Cap. 13. num. 38. ex Clemen. Vnica. De Homicidis*, qua sub prohibitione veniunt Iudices, Aduocati, & Procuratores, ad causam sanguinis, atque Medici, quorum negligentia, vel imperitia infirmi moriuntur. Neque corpore vitiatis, de quibus latis *Impoten. Antecedenti.*

4 Neque Infidelibus, vel Haereticis, *ex Cap. Arrianos, 1. quaest. 1.* quia Irregulares sunt ex Animae indispositione. Apud Nauar. *in Man. cap. 27. num. 205.*

5 Neque Excommunicatis, suspensis, vel interdictis, quia Censurati, ideò ordinū perceptione ipso iure priuati. 81. *dist.* apud Turrebl. *d. loco, num.* 44.

6 Neque Bigamis, scilicet duas Vxores diuerso tempore habitis, *ex Cap. Acutius, 26. dist. cap.* 1. propter honestatem, & continentiam requisitam, in Ministris altaris, *ex Cap. Lex Continentiae. 31. dist.*

7 Neq; Coniugatis. Ratio quia necessitas, & vsus consecrandi, & ordinādi nō stat in Eccl. latina cū coniugatis, *ex Cap. Si Laicus, 31. dist.* apud Bellett, *tit. De Disciplina Clericali.*

8 Neque Mancipiis, & seruis, Ratio, quia liberos esse oportet, qui Militiae Ecclesiae sunt adscribendi, ppterea si seruus fuerit ordinatus, Domino non contradicente, illicò liber erit. *ex Cap. Si Seruus, 54. dist.*

9 Neque grauatis ad reddendas rationes publicè administrationis, nisi onere deposito, & reddita ratione, *ex Cap. Non sidat. 50. dist.*

10 Neque à Demone obsessis, *ex Cap. Maritum, 43. dist.*

11 Neque ignotis, & peregrinis, de quorum vita, & moribus non posset haberi cognitio, *tit. De Clericis Peregrinis. 98. dist. V. & Trid. sess. 6. De Ref. Cap. 5.*

12 Neque aliis quampluribus, in iure prohibitis, vt notauit Barbos. *De Episcopo, Allegat. x. à num. 24.*

De Episcopo non conferente Ordines, antequā scrutentur scrutanda.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre ordines, nisi priùs scrutanda examine scrutētur.*

Impotētia XLV.

1 NON poteſt Epiſcopus conferre ordines, niſi examine ſcrutanda ſeruentur, vigore Trid. *ſeſſ. 23. De Ref. cap. 5.* vbi ſic: *Qui volent promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorū ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat. & Cap. 7. Epiſcopus adhibitis Sacerdotibus, & alijs Prudentioribus viris, peritis diuinæ legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi aſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inueſtiget, & examinet.* De quibus abundè egi P. *prior. poteſt. 190.* Epiſcopus igitur ſcienter conferens ordines indignis, idest non habentibus ſufficientiam ſcientiæ, & bonitatis mortiferè peccat, quia infideliter diſpenſat officia, & in re grauiſſima deficit, eſtque puniendus tamquam diſertor decretorum Concilij. Nec excuſat ignorantia, quæ ſi non eſt inuincibilis, eſt ſemper accuſabilis.

Itaque ſcrutando perſonarum genus fidelium, videlicet.

1 Hæreſi maculatos, eorumq; filios, & fautores expellere debet, vt notat Acuna, *in Cap. Quando num. 6. diſt. 24.*

2 Neophytos, *ex Cap. Sicut. 48. diſt.* huiuſmodi autem ad minores diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, ad maiores verò, niſi poſt 10. annos, apud Nauar. *in Manual cap. 27. num. 205.*

3 Illegitimos, Præsbyterorumque filios, exque fornicatione natos, vt ſanxerunt Gregor. 9. Alex. 3. B. Pius V. Sixtus V. incipit: *Sanctum, & ſalutare.* Contra male promotos, atque ſpurios.

4 Ex malo Patre oriūdos, nam hi ſtrictius examinari debent, quia fortè malis imbuti moribus, *ex Cap. Quando, diſt. 24.*

5 Corpore vitiatos, ſcilicet deformes, truncos, aliosuè ſimiles, *ex Cap. Præcipimus 33. diſt.* & Gloſſ. V. *Deformitatem*, vt dixi ſupra, *Impot. 43.*

6 Eos, qui nullo, vel illegitimo titulo accedunt, vt dixi P. *prior. poteſt. 83. & 93.*

7 Infames, publicèque notatos teſtimonio malorum morum. Ratio, quia debent Deo dicari homines bonæ vitæ, ſobrij, caſti, & bonæ famæ apud Deum, & homines, apud Sot. *in 4. diſt. 25. quæſt. 1.*

8 Ebrios, litigioſos, calumniatores, adulatores, prouocatores, ſcurriles, ioculatores, inuidentes, cupidos, & vſurarios, *ex Cap. Præuenit. 36. diſt.* apud Bonac. *De Sacram. diſp. 8. quæſt. vn. P. 5. num. 17.*

9 Penitus ignaros, hocque nō de alterius, ſed de actualis examinis teſtimonio, quæ omnia in Regularibus non tam exactè exquiruntur, ſed de Superiorum ſuorum ſolo teſtimonio ſatis diſcuſſa ſupponi debent ab Epiſcopis, vt docuit P. Eman. Rodriq. *quæſt. Regul. tom. 3. quæſt. 24. art. 1.* & ipſe melius, P. *prior. poteſt. 43.* vbi exactius.

Digitized by Google

De Episcopo non conferente S. Ordines Secularibus absque sufficienti titulo.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre S. Ordines absque sufficienti titulo.*
2 *Sed quid sub nomine Beneficij?*
3 *Sed quid sub nomine Patrimonij?*
4 *Sed quid sub nomine Pensionis?*

Impotentia XLVI.

1 NON potest Epus conferre S. Ordines Clericis Secularibus absque titulo sufficienti, ex Trident. *sess.* 21. *De Ref. cap.* 2. vbi sic: *Ne quis deinceps Clericus secularis ad Sac. Ordines promoueatur nisi legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum quod sibi ad victum honestè sufficiat pacificè possidere. — Patrimonium verò, vel Pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi &c. — Patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. — Antiquorum Canonum pœnas super his innouando*. Ex quo clarè constat Impotentia Episcoporum ex apertis illis verbis (*post hac non possint*) quod tituli non sint satis ad vitæ sustentationem, sub pœna suspensionis in Episcopo aliter faciente, ex Canone antiquo *Neminem. & Cap. Sanctorum* 70. *dist.* Quidam addunt pœnas Sixti. v. *Sanctum, & salutare*, sed reuera à Clem. 8. incipit: *Romanum Pontificem*, fuit redacta ad terminos iuris communis. Mens autem Tridentini aperta est. Ne Christi Ministri cum ordinis dedecore inopes effecti mendicare, vel seruilibus operibus mancipari cogantur, ideò cautè prouidit de sufficientia tituli rimanda ab Episcopo, cuius arbitrio relictum est iuxta loci consuetudinem, vt possit satis esse ad commodè sustentandum. Itaque summa relicta est à Concilio arbitrio Episcopi, vt notauit Archid. *in Cap.* Si *Episcopus, De Præbendis in* 6. & Rebuff. *De Rescriptis in forma pauperum*, *num.* 2. Accedit quod beneficiū debet esse pacificè possessum, hoc est absque lite possessionis, nisi tamen constaret, litem motam per calumniam, quod currit Episcopo apud Felin. *in Cap. Cum Ioannes. num.* 33. *De Fide Instrumentorum.* Decian. *in Cap.* 1. *num.* 19. prout refert Barbos. *De Offi. Episcopi, Alleg.* 19.

2 *Sed quid sub nomine Beneficij?*

Respond. Sub nomine Beneficii venire distributiones quotidianas, docuère plures apud Campanil. *in diuersor. iuris Canon. rubr.* 8. *cap.* 3. Cum satis sint ad Beneficiarii sustentationem, vt non possit ordinatus inopia laborare. Venire quoque titulum seminarii, quando vnà cum eo esset certa fructuum assignatio, facta causa inseruiendi, donec de congrua sustentatione prouisum fuerit. Apud Zerolla, *in Praxi Episcopi, P.* 1. *V. Seminarium*, vt refert Garcia, *P.* 2. *Cap.* 5. *in Additionibus*, ex Bulla Gregor. 13. & hæc est Concilii mens d. loco, quo ait: *Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione; quod ad illius beneficij titulū sit promotus. —* Et

aliter facta resignatio nulla sit. Indè vt facta resignatione habeat, & possideat, vndè honestè ali, & viuere possit.

3 *Sed quid sub nomine Patrimonii?*

Respond. Venire ea, quæ de paternis bonis filius obtinuerit, vel quauis alia causa donatione, vel hæreditate oblata fuère, quæ sufficiunt ad finem Canonum, & Concilii, vt vndèquaque habeat securè victum, & non mendicet, vt aduertit Campanil. *in Diuersorio iuris Canon. rubr. 8. cap. 4. resol. 1.* & quia variæ agitantur quæstiones apud DD. de hoc titulo, Eorum resolutiones probabiliores sunt sequentes.

1 Quando Patrimonium esset extra Diœcesim, & Clericus intra; ordinandus erit ab Episcopo Clericus, qui subditur ratione personę, & non Patrimonii. At si haberet beneficium in vna insufficiens, & Patrimonium in altera, tunc ab illo Beneficii, & non Patrimonii.

2 Sufficit *Patrimonium* possideri, antequam ordinetur, & impetratur ante dimissorias. Apud Graff. *De Tempore ordinationis tom. 1. cons. 4.*

3 Patrimonium non debet esse de Mobilibus, quia de facili consumuntur, sed de immobilibus ad Concilii mentem, quando petit perpetuam, & securam Clerici sustentationem.

4 Patrimonium potest de Censu vitalitio, & perpetuo effici, quia de eo pasci, & ali posse Clericum compertum est, in quo impletur mens Concilii, apud Garc. *De Benef. P. 2. cap. 5. num. 45.*

5 Patrimonium effici posse ex donatione sufficienti, pro victu moderato, modò titulus nō fuerit fictus, docet Zech. *De Republ. Ecclesiast. cap. De Clericis, sub num. 3. & num.* 84.

6 Ex adiecta conditione in Patrimonio, (quòd redderetur, quādo Ordinatus habuerit vnde ali sufficienter possit) nulla incurritur suspensio, propter habitum effectum Concilii finalem, adeoque conditio non vitiaret *Patrimonium*, ex Garc. *d. loco, num. 169.*

7 Si quis Patrem, Matremque diuites haberet, ex quo extra dubium succederet illorum bonis, ordinari nequit titulo successionis, quia titulus requisitus à Concilio debet esse in actu exercito, & non signato, nec sufficit potentia, sed requiritur actus; expertum enim est multos esse *Patres* diuites, eorumque filios mendicare, id vel ex auaritia *Patris, vel* inobedientia filii, quidquid alii dicant: hoc ad ostendendam tituli securitatem, contra Flamin. *De Resignat. lib. 2. quæst. 6.* & Maffei. Vgol. & Alios.

8 Si Patrimonium factum sit in preiudicium legitimę aliorum filiorum, non tenet, *Ratio* quia maximum preiudicium infertur filiis, præsertim filiabus, dando irreuocabiliter filio; quod iniustè aufertur ab aliis, nā Ecclesia nunquam bonum de malo exaudiuit, apud Cauell. *contra Communem quæst. 527. & 682.*

9 Quando Pater noluisset iustum *Patrimonium* dare filio, volenti ad ordines promoueri, poterit filius vti iuris remediis, quod patet exemplo. Quod si vxorem ducere voluisset, poterit cogere ad donationem propter nuptias, igitur firmiùs pro Matrimonio Spirituali. Ita Gugliel. Benedict. *in Cap. Raynutius, V. Dotem,*

cum

Digitized by Google

cum aliis apud Sanchez *De Matrim. lib. 4. disp. 26. num. 2.*

10 Núm autem donatio facta pro ordinibus suscipiendis habeat in legitimam computari. Affirmatiuè Respondent citati Doctores, Ratio quia licèt sit inalienabilis ratione Patrimonii sustẽtantis Clericum; tamen transmissibilis est ad hæredes.

4 *Sed quid sub nomine Pensionis?*

Respond. Venire seruitium alicuius Ecclesiæ præstandum à Pentionario, in cuius stypendium illa portio fructuum alit Pensionarium, & in eius titulum ex Trident. *d. loco*, ordinari potest sic: (*Patrimonium verò, vel Pensionem, dummodò tamen ad honestè sustẽtandum sit sufficiens;*) prout de beneficio, & Patrimonio dictum fuit. Ex his titulis hactenus explicatis, in quibus subsisti ratio finalis Concilii, abstrahi debent actiones illę, quę possent contraire immobilitati causæ finalis Concilii. Cuiusmodi sunt: Alienatio, venditio, transactio, permutatio, perscriptio, donatio in solitum, vel hypotecam. Quarè obtinens Beneficium, Patrimonium, vel Pensionẽ, non poterit alienare, etiam in prætium, quia Pecunia numeratur in rebus, quæ seruando seruari non possunt, apud Campanil. *in Diuers. iuris Canon. rubr. 8. cap. 6.* Neque vendere, quia hæc est prima alienationis species, apud *Valas. consul. 77. num. 7.* Nec transactari, apud Pereria, *De Resol. Emphiteus. cap. 9.* Nec diuidere, quia prohibitus vendere prohibetur, & diuidere, ex Tiraq. *Ad Leges Connub. gloss. 5.* Nec permutare, quia debet esse immobile, apud Ricc. *P. 1. decis.* 12. Nec prescribere, quia expressè prohibitum, nec donare in solitum, vel in hypotecam, quia in his fit obligatoria transitio ad alios. In omnibus his contractibus deperderetur mens, finis, forma, & intentum Concilii, ideò omninò prohibitæ, irritæ, inanes, & nullius valoris extarent, ex Trident. *V. Nullatenus*; idcircò S. *Congregat. 16. Martij, 1630.* apud Barbos. *in Collectan. Bullar. V. Patrimonium*, decidit ad Episcopum pertinere tituli examen, de sufficientia, validitate, subsistentia, vtilitate, quantitate, & moderatione.

De Episcopo non conferente ordines alieno Clerico, absq; sui Ordinarij litteris dimissorijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non poteſt conferre Ordines alieno Clerico, absque litteris dimissorijs sui Ordinarij.*

2 *Sed nùm Impotentia habeat locum, in Collatione primæ Tonsuræ, & Ordinum Minorum?*

Impotentia. XLVII.

1 NON potest Episcopus conferre Ordines alieno Clerico, absque sui Ordinarii litteris dimissoriis, sub pœna suspensionis per annum à collatione ordinum, ex Trident. *sess. 23. De Ref. cap. 8.* & Ordinatus à suscepto-

rum

rum ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur, fit suspensus. Nec valet Priuilegium, seu Rescriptum generale, aut speciale, quæ vetitum à Trid. sub formali verborum tenore, ad vitandam excusationem quorūdam in executionem Decreti Trident. hac in parte requirentis notitiam, & scientiam morum, & probitatis ordinandi, de testimonio litterarum dimissorialium. Dixi scientiam, indè vt scientèr, & oculatim procederet in obseruationem Sacror. Canonum; Etenim si ignorantèr, nullam suspēsionem incurreret, quando illa erit saltem probabilis, prout resoluunt Nauar. *Cons.* 40. *sub Titulo De Temp. Ordinat. ex Sacra Congreg.* Vel si Clericus litteras prædictas furtim sublatas detulerit, seu impetratas à Cancellario sui Episcopi, quo etiam in casu Episcopus non incurrit suspensionem, prout notauit Laurent. de Franch. *in Controuers.* pag. 83. *in Resp.* 25. Iuuat autem Sixtus .V. *Sanctum, & salutare*, vbi sic: *Nisi debita diligentia adhibita, iustus error, & probabilis facti, ignorantia eum excuset.*

De litteris denique dimissoriis, à quo, quomodo, quibusuè concedendis; satis egi P. *prior. potest.* 61. & 88. — Dicta quoque recurrunt de Episcopo titulari non valente sub iisdem pœnis ordines conferre, absque litteris prætatis, ex Trident. *sess.* 14. *De Ref. cap.* 2. præsertim de Episcopo Italo cum Clerico Vltramontano; aut è contra, apud Ioan. Monach. *in Cap.* 1. *num.* 24. *De Temporibus Ordinat. in* 6. Vide Bullam Vrb. 8. incipit: *Secretis*, 11. *Decembr.* 1624. vbi innouantur Constitutiones hac de re editæ Clem. 8. & Pii 2.

2 *Sed num impotentia habeat locum in Collatione primæ Tonsuræ, Ordinumque minorum?*

Respondeo. Proculdubio habere locum, & de Tonsura habetur *in Cap. fin. De Temp. Ordinationis.* 6. Gloss. *ibi* V. *Clericum*, & *cap. Nullus. ibid.* De Minoribus ordinibus, clarius attento iure Trident. generaliter loquentis *in d. cap.* & vt notauit Bonac. *tract. De Cens. extra Bull. Cœnæ disp.* 3. *quæst.* 1. P. 2. *num.* 17. Sicut pro Episcopis Italis ordinantibus Vltramontanos, vel è contra clarissimè extat dicta Constitutio Vrban. 8. sic: *Sed neque etiam ad Minores ordines, vel Clericalem charactèrē premouère audeant, seù præsumant, nisi dimissoriales litteras suorum Ordinariorum — habeant.*

De Episcopo non conferente primā Clericalem tonsuram Infantibus, vel Coniugatis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre primam Clericalem Tonsuram Infantibus, seu Coniugatis.*

2 *Sed quid de Infanti septennii?*

3 *Sed quid de conditionibus tonsurandorum.*

Impotentia XLVIII.

1 NON potest Episcopus conferre primam Clericalem Ton-

tonsurā Infantibus, seu cōiugatis (nı tamē cōiugatus Religionē ingrederentur) sub pœna suspensionis per annum ab huiusmodi tonsuræ collatione, ex Cap. *Nullus Episcopus. De Temp. Ordinat. in 6.* Dixi: nisi fortè Religionem ingrederetur; vt notauit Bonac. *De Cens. tom. 3. disp. 3. quæst. 6. P. 5.* — Neque Bigamis, & publicè pœnitentibus, ex Cap. *Nullus, sub pœna suspensionis per annum à Missæ celebratione.* — Neque in aliena Diœcesi, absque expressa licentia Ordinarii loci, sub pœna suspensionis à Pontificalibus, & *Papæ* reseruatæ, ex Trident. *sess. 6. cap. 5.* — Neque eadem die, vel duobus continuato *Ieiunio*, eidem cōferre duos S. Ordines, sub pœna suspensionis ab vtroque, quousq; à Sede Apostolica dispensationē impetrauerit *ibid. in Cap. Litteras.* — Neq; indigno conferre ordinem Præsbyteratus, sub pœna collationis eiusdē, Bonac. autē *ibid.* P. 3. ait: Censuram hanc esse ferendam, & non latam. — Neque absque iustis titulis Patrimonii, Beneficii, vel Pensionis. — Neque Regularibus non professis, ex Const. B. Pii .v. incipit: *Romanus Pontifex, ann.* 1568. à qua Prohibitione eximūtur *PP.* Iesuitæ *à Greg. 13. ann.* 1582. — *Neque* accepto *Iuramento* super Prouisione n. poterit aliquem ordinare, sub pœna suspensionis ordinum, per triennium. — Neque ex accepta pecunia, pretio, vel præmio, ex Constit. Sixti .v. incipit: *Sanctum, & salutare,* non reuocatam, ait Sayr. *cap. 12. num. 32.* a Clem. 8. contra Bonac. de quibus omnibus sparsim per determinationes distinctas egi *Impotent.* 44.

2 *Sed quid de Infanti septennis?*

Respōd. Episcopum teneri sub letali minorem annorum septem non tonsurare, aliàs contrairet Ecclesiæ ordinationi in re tàm graui. Ita DD. infra ex *Cap. In singulis 77. dist.* Gauant. *Ver. Ord. Min. n. 6.* apud quem septennium debere esse completum, eiusque complementum sumi ab initio anni, in lege fauorabili, & gratiosa, defendant probabiliter multi apud Sanchez in *Opuscul. tom. 2. lib. 3. cap. 1. dub. 3. n. 6.* & Dian. *P. 2. tract. 16. res. 27.*

3 *Sed quid de conditionibus tonsurandorum?*

Respond. Supra ætatem annorum septem requiri sufficientiam videlicet preuia confirmatione, vtque sciat legere, & scribere, ex Trid. *sess. 23. De Ref. cap.* 4. sub indecentiæ nota, absente contemptu: nam pœna Concilii non est aliqua censura. — Proindè tonsuratus gaudet *Privilegio* fori, estque beneficii Ecclesiastici capax, iurisdictionisq; Ecclesiæ, excommunicandi, interdicendi, & suspendendi, gauderq; Immunitate omnium bonorum suorum, vt notauit Paulus Comitolus *Resp. Moral. lib. 5. quæst. 54.* Dian. *P. 4. tract. 1. resol. 20.* — Tempus deniquè collationis Tonsuræ non designatur, sed in omni tempore conferri posse ait Armilla, *V. Ordo, n. 8.* Locus tandē erit Ecclesia regularitèr Cathedralis, vel in Epi. Palatio, aut alia quaslibet Ecclesia intra fines suæ Diœcesis, ex Gloss. in *Cap. Ordinationes, lib. 2. 75. dist.*

De

De Episcopo non conferente ordines in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarij loci.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre Ordines in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarij loci?*

2 *Sed quid dicendum de loco exempto?*

3 *Sed quid de licentia petenda in Diœcesi, Sede Vacua?*

Impotentia XLIX.

1 NON potest Episcopus conferre Ordines in aliena Diœcesi, absque licentia Ordinarii loci. vigore Trident. *sess.* 6. *De Ref. cap.* 5. prohibente Pontificalia extra Diœcesim, vt abundè dixi *P. prior. potest.* 86. & ipsa praxis confirmat Decreti executionem, quo nil efficaciùs ad probandam resolutionem. Pœna autem ibid. contrafacientibus in ordinante est suspensio à Pontificalibus, & in ordinato, ab ordinum exercitio.

2 *Sed quid dicendum de loco exempto?*

Respond. Cum aliquibus, posse docentibus, sed quia mendicatis vtuntur rationibus, ideò à vero discedunt: veriùs tamen vltra licentiam Ordinarii loci, requiri illam Superioris exempti docuère Molfes. *in Summ. Theol. Moral. cap.* 2. *num.* 12. & Ricc. *in Praxi Fori Eccles. resolut.* 435. Etenim, & si locus sit intra limites Diœcesis, est tamen extra iurisdictionem Ordinarii loci.

3 *Sed quid de licentia petenda in Diœcesi, Sede Vacua?*

Respond. A Capitulo, vel eius Vicario, cuiusmodi facultas valeret pro subditis Ordinantis, vt docuit Henriq. apud Dian. *P.* 5. *tract.* 10. *resol.* 46. §. 2. vbi notat Capitulum posse concedere in Anno luctuoso, Episcopo extero vsū Pontificalium, Litterasq; dimissorias præsentatis à Patrono laico, Facultatem suscipiendi S. Ordines, obtinenti à Sede Apostolica breue ordinationis, & deniq; testimonia idoneitatis. In reliquis seruanda sanctio Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. Vide *Prior. part. potest.* 192.

De Episcopo non conferente eodem die vni, duos Sacros Ordines.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conferre eodem die vni, duos Sacros Ordines.*

2 *Sed quid de Episcopo conferente die Sabbato vnum, & continuato Ieiunio die Dominico alium Sacrum ordinem?*

3 *Sed num eodem die possint suppleri defectus ordinum?*

Impotentia L.

1 NON potest Episcopus conferre eodem die vni, duos Sacros ordines, ex Tridentina Sanctione, *sess.* 23. *cap.* 13. sub

pœna suspensionis à collatione ordinum, & in suscipiente ab executione ordinis illegitimè suscepti, *ex Cap. Litteras. De Tempor. Ordinat.* vt notauit Bonac. *tom. 3. De Cens. disp. 3. quæst. 1.* P. 4. apud quem dictæ suspensiones Summo Pontifici sunt reseruatæ, *ibid. nu. 7.* fortè ex Gloss. *in Cap. Dilectus. V. Nostram,* sic: *Præfatum Episcopum à Collatione ordinum; alterum verò ab executione officij, tàm diù volumus permanere suspensos, donèc de illis alitèr disponamus.*

Qua sub resolutione quamplures subdit Bonac. dubitationes, *dicto loco n. 21.* 1. Nùm recipiens eodem die Sacrum Ordinē, & consecrationem Episcopalem incurrat dictam suspensionem? Respondet Negatiuè *num. 3.* Tū quia Episcopatus non est ordo, tum quia Episcopi non incurrunt pœnas nisi exprimantur, *ex Cap. Quis periculosum. De Sent. excommunicationis.* 2. Nùm recipiens ordinem Subdiaconatus, cum Diaconatu sit ab vtroque suspensus. Respondet *num. 5.* ab vltimo, ex quo ritè posset vti ordine antecedenti, cum Nauar. *cap. 25. num. 71.* 3. Num possit alius à Papa dispensare cum huiusmodi suspensis. Respondet *n. 7. § Excipitur.* Quod Episcopus, & Abbas possunt dispensare cum illo, qui recèpit eodem die dictos S. Ordines, si fuerit Religionem ingressus, ibique laudabiliter vixerit. De illa autē quam incurrit conferens, vel suscipiens Ordines minores cum Subdiaconatu eodem die, dixi P. *prior. potest.* 90.

2 *Sed quid de Episcopo conferente die Sabbato vnum, & continuato Ieiunio die Dominico, alium S. Ordinem?*

Respond. Per continuationē Ieiunij, canonica fictione, vnicum diem reputari; tum ex consuetudine, quę vim habet inducendi, & abrogandi legem. Tum quia continuatio arguit vnam eamdem ordinationem, quod importatur per illud verbum eodē die, apud eumdem Bonac. *ibid.* & meliùs Salzedo *cap. 25. pag.* 104. De collatione ordinum vigore Breuium, dixi P. 83. *n.* 13.

3 *Sed nùm eodem die possit suppleri defectus Ordinum?*

Respond. Vna cum Ordinis Sacri collatione nulli dubium esse, posse eodem die suppleri defectus alterius ordinis, etiam Sacri; quia supplens non est conferre, sed cęremonias iterare, ex Granado *in 3. par. Controu. 9. tract. 2. disput. num.* 13. Omisso v. g. contactu instrumētorum; vt patet de confirmato Oleo, & non chrismate, cui nil iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum, *ex Cap. Pastoralis. De Sacram. non iterand.* quid autem dicendum de circumstantiis temporis, & indumentorum, lege Dian. *P. 5. tract. 14. resol. 63. & P. 9. tract. 8. resol. 29.* A quolibet Episcopo cathol. in Oratorio priuato, & extra tempora, absque solemnitate possunt sub cōditione suppleri. Ita Quintanandegna, apud Tambur. *De Sacram. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 12.*



Digitized by Google

De Episcopo nominato non congregante Synodum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus solùm nominatus, non dum prouisus à Papa non potest congregare Synodum.*

Impotentia LI.

1 NON potest Episcopus solum nominatus, non dum à Papa prouisus congregare Synodum, hanc sententiam tenet expressè Bottè *De Synodo P. 1. quæst. 6. num. 36.* Accurs. & alii, apud *Dian. P. 12. tract. 1. resol. 13.* cum Mascobron. *cap. 2. dub. 2.* excipiente casum in confinibus vltra Italiam, in quibus posset administrare, *ex Cap. Nihil, §. fin. De Elect.* Ratio cuiusmodi Impotentiæ aperta est, vi nominationis factę à Principe, vel Patrono, si cui inest vigore fortè indulti Apost. vel iuris patronatus nominare, iurisdictionem non recipit, vsque dum à Santa Sede confirmetur, vt innui *P. prior. potest. 59.* & infra *Impot. 58.* Idcircò ad illustrandam hanc doctrinam obitèr subiungo: in Episcopo considerari triplicem statum; nominationis, confirmationis, & consecrationis, quorum omnium de Iure ordinario, & diuino ad Papam pertinēt, quia solus est dispensator fidelis pro regenda vniuersali Ecclesia; de iure verò indulto aliquibus magnis Principibus pro eorundem Ciuitatibus concessum fuit nominare, seu præsentare personas idoneas ipsi Summo Pontifici, cui erit confirmare, vel infirmare nominationē factam, ob propriam eminentialem supraintendentiam, quam habet in totam Ecclesiā Catholicā. Propterea vi solius dictę nominationis non recipit Epus iurisdictionem necessariò requisitam ad Synodum congregandam, etiā si facta fuerit ab eodem Pontifice, quia nominatiò non est vera electio, sed inchoata; stabilitur tamen confirmatione, & perficitur, consecratione. Deindè confirmatio ad Papam omninò pertinet indispensabiliter, quaq; recipit robur, & stabilitur Prælatus in administratione temporali, quod sufficit ad Synodi cōgregationem. Consecratio denique à tribus Episcopis fieri debet, vt dixi *Prior. part. potest. 123.* estque de necessitate præcepti, non verò confirmationis, at quia Synodi congregatio, & his similia iurisdictiones sūt, ideò nisi ab Epo cōfirmato, vel expeditis litteris suę Promotionis per Sedē Apostolicam. Vide quamplures apud Dian. *d. loco, resol. 73.*

De Episcopo non compellente administratores monasteriorum regulari- bus subiectorum, ad rationem reddendam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest compellere administratores Monasteriorū: Regularibus subiectorum ad rationem reddendam.*

Impotentia LII.

1 NON potest Episcopus compellere administratores Monasteriorum Regularibus subiectorum,ad reddendam rationem, sed suspicata fraus,in Monialium perniciem,demandanda erit eorum Superioribus, ita decisum reperitur à S. Congregatione, apud Armendar. *lib. 7. De Episcopis, num. 79.* & notat Barbos. *De Episcopo*, *Alleg. 82.* Ratio impotentię redicatur in exemptione, qua excepta existunt dicta loca, in quibus nisi in casibus à iure expressis, Episcopi iurisdictionem non exercent, sub pœnis in exemptione taxatis: Dixi: nisi de Superioribus, & casus occurreret in facti negligentia, vel administratorum malitia, quibus inesset *Monasteriorum* cura, ne *Moniales* debito subsidio fraudarentur, Episcopus tamquam Pater cunctorum in sua Diœcesi ad reparandam eorum ruinam, illis iuuare debet; Nec obstat exemptio, quæ data est nè turbarentur, non eximit tamen eos in casibus necessariis ad supplendā negligentiam Prçlatorum. Confirmatur ex Const. Gregorii xv. incipit: *Inscrutabili*, *anno* 1622. Cuius hæc sunt verba. *Liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt huiusmodi Confessores, vel administratores amoueant, iisq; Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amouendi, quoties, & quando opus esse indicauerit.* Super quod dubitatum fuit; An Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur? Respond. S. *Congregat. ad* 8. non teneri, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientia S. Congregatio seriò onerauit, ne facultate sibi hæc in parte attributa, quoquomodo abutantur, cuius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri, de quo vide Lezanam. *in Summ. cap. 25. De Monialibus, numer.* 45 & 46. Quare Episcopus in facti contingentia, præuia monitione, quæ probat negligentiam vti posset facultate præfata; absolutè verò non, propter exemptionem.

De Episcopo non compellente quāplures ad processiones publicas accedere.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest compellere quamplures ad publicas processiones accedere.*

Impotentia LIII.

1 NON potest Episcopus compellere quamplures ad publicas processiones accedere. Hæc impotentia colligitur ex di-

ctis Prior. part. potest. 220. vbi de facultate indicatiua, directiua, & compositiua confluentium ad publicas processiones, hic autem de exceptis, respectu quorum insurgit impotentia, quia sicut Ecclesiæ placuit generatim omnes compelli ab Episcopo, ad processiones conuenire, ita complacuit specialitèr quosdam eximere. Quarè non potest vocare, seu compellere per censuras Regulares in strictiori clausura perpetuò viuentes, ex Trident. *sess.* 25. *De Regul. & Monial. cap.* 3. Neque eos, qui Choro absunt, mortuosque non sepelliunt, gaudentes priuilegio Scolarium. Nec distantes vltra dimidium milliare à Ciuitate; Nec fruentes indulto Apostolico, vt sunt PP. Societatis Iesu, ex Greg. 13. incipit: *Quacunque.* 16. *Iulij.* 1576 Neque Carmelitas discalceatos, ex Clem. 8. incipit: *Religiosorum.* 1596. Neque Clericos Congregationis S. Pauli decollati, ex Sixto .v. incipit: *Rationi congruit*, 1. *Maij.* 1587. Neque Patres Scolarum Piarum, ex Clem. 8. incipit: *Debitum.* 1. *Iulij.* 1629. Neque Fratres Minores strictioris obseruantiæ, præterquam ad Processionem in die festo Corporis Christi, aut aliquam aliam generalissimam, ex Conc. Vrb. 8. incipit: *Militantis Ecclesia*, 1. *Octobris.* 1641. Pro quibus estat quędam decisiones Sacræ Congregationis in materia Precedentiæ, fort è apponendas *Potest.* 220. *sub num.* 3. vbi citatum fuit Decretum *Sacræ Congregat. de ann.* 1629. in vna Salernitana, in controuersia inter Patres Reformatos S. Francisci ex vna, & nonnullos Regulares ex alia, pro publicis processionibus, & funeralibus; cui Decreto non acquiescentes Patres S. Augustini, B. Mariæ de Carmelo, Sancti Francisci de Paula, B. Petri de Pisis, ac B. Ioannis Dei, renuntes dare precedentiam fratribus reformatis S. Laurentii dictæ Ciuitatis, quotiescunque incedant sub propria Cruce, & sine fratribus obseruantibus de familia, habuerunt recursum ad S. Congregationem, vt declarare, dignoetur, cui danda sit præcedentia? & proposita iterum causa 21. *Aprilis*, 1646. per Eminentissimum D. Card. Rondaninum, pluriès citatis, & auditis in iure, & in facto Procuratoribus Generalibus ordinum ambarum partium; Eminentissimi Patres Sacr. Rit. Congregat. confirmandum esse prædictum Decretum 1629. censuerunt. Sed cum *Patres S.* Augustini, & litis consortes, vt denuò reuideretur huiusmodi questio instanter supplicassent, Placuit Emin. Dominis Cardinalibus, nouam audientiam eis concedere, Vnde tertia vice proposita præfata causa per eundem Eminent. Rondaninum, & acerrimè vtraque parte informante, S. Rituum Congregat. stetit in decisis: *die* 5. *Decembris*, 1646. A. Card. Capponius. *Loco* ✠ *Sigilli.* M. Gallius S. *Rit. Congr. Secret. in Regesto fol.* 113. Refert Lantusca. *V. Præcedentia. num.* 13. *fol.* 496. Neque Sacerdotes nullum officium, aut beneficium obtinentes. Neque Clericos nullius Diœcesis. Neque degentes extra Ciuitatem in locis Plebem habentibus, processionem que similem facientibus. Neque Monachos Congregationis Casinensis; præterquā ad Processionem in die Ss. Corpo-

poris Christi iuxta eorum antiquam consuetudinem. Neque Monachos oliuetanos, aut Sancti Hyeronimi, & SS. Trinitatis; ex variis Sacr. Congregat. Decretis, apud Sell. *in Selectis Canon. cap.* 52. refert Barbos. *in decis. Apostol. collect.* 609.

De Episcopo non compellente Cappellanum, vt per se sẽper in Cappellania celebret.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest compellere Cappellanum, vt per se in Cappellania celebret.*

Impotẽtia LIV.

1 NON potest Episcopus compellere Cappellanum, vt per se celebret semper in Cappellania, *ex Sacra Congregat.* apud Piasech. P. 2. *cap.* 3. *num.* 33. & Dian. P. 4. *tract.* 14. *resol.* 18. & recurrit impotentia, etiãm in eius fundatione disponatur sic vt Cappellani per se celebrent, nam per substitutum poterit oneribus satisfacere. Vel Testator fũdãs dixerit, dari Cappellaniam Sacerdoti, qui missam celebret, quia in dispositione non videtur arctare Sacerdotem ad per se semper celebrandum. Subdit Dian. *d. loco.* Cappellanum posse cogi ad ordin. presbyteratus quando in eis fundatione exprimeretur, quod debet esse Sacerdos. *ibid.* qui si ægrotasset per 10. vel 15. dies, non esset obligatus, *n.* 27. & si adhuc fuisset obligatus quotidiè, posset vnam missam in hebdomada relinquere, causa maioris deuotionis, & reuerentiæ, ex consuetudine introducta; ostẽdit tandem tali die nõ posse stipendio accepto, pro alio celebrare. *ibid. resol.* 28.

De Episcopo non constituente Parochum absque præuio examine.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest constituere Parochum absque præuio examine.*

Impotentia LV.

1 NON potest Episcopus constituere Parochum, absq; præuio examine, iuxta formam Tridentini, *sess.* 7. *de Ref. cap.* 13. *& sess.* 24. *De Ref. cap.* 18. etiam si sciret præsentatum esse Doctorem, & sufficientem. Ratio; quia forma solita à Tridentino volita, est de substantia constitutionis beneficii Parochialis, ita quod si quolibet pretexto relinqueretur concursus, & examen, inanis foret collatio, vt declarauit B. *Pius* v. incipit. *In Conferendis* 15. *Kal. Aprilis* 1567. cum Decreto irritante, contra aliter promouentes, & promotos,

aliàs facta promotio vacaret, ideo cauendum à doctrina Garciæ *P. 9. cap. 3. num. 5. & 14.* vbi docet regulariter in omnibus beneficiis ſufficere notoriam perſonam, & applauſu idoneam habitam. Poſitam impotentiam ſuſtinet Zeroll. *in Praxi Epiſcopali num. 2. §. Secundum dubium.* Vide *Part. prior. poteſt.* 109. — De Examinatoribus egi *Prior. part. poteſt.* 181. De examine *ibid.* 188 & de electione dignioris. *poteſt.* 182. aliam deciſionem in fauorem poſitæ Impotentiæ adducit Sellius *in Select. Canon. cap. 21. num.* 70.

De Epiſcopo Monacho non conſecrando, antequam reſignauerit bona in illo ſtatu acquiſita.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt conſecrari antequam bona acquiſita in monachatu reſignauerit, ſub pœna ſuſpenſionis.*

2 *Sed à quo dicta ſuſpenſio eſt diſpenſabilis?*

Impotentia LVI.

1 NON poteſt Epiſcopus conſecrari, modo non reſignauerit bona in Monachatu acquiſita, ita *in iure. Cap. Statutum 18. quæſt. 1.* vt notarunt Andreas Abb. Couar. apud Emanuel Rodriq. *Quæſt. Regul. quæſt. 58. artic. 6.* Ratio quia acquiſita in Monachatu, non ſibi, ſed Monaſterio acquiſita, & incorporata fuere, vt clamat Trident. *ſeſſ. 25. Regul. & Monial.* ſic: (*Nemini Regularium, — liceat bona, — etiam quouis modo acquiſita tanquam propria — poſſidere; ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, Conuentuique incorporentur.*) Id circo dicta bona ore pleno clamant vt reſignentur Conuentui, in aſſumptione Monachi ad apicem Epiſcopatus, Cōfirmatur ex Cōſtit. Clem. 4. incipit: *Prouidentia. Non. Iulij,* 1268. Pro Patribus Ordinis Prædicatorum in fauorem Religionis, ſic: *Vt Fratres Ordinis Prædicatorum promoti ad Epiſcopatum, vel alias Prælaturas, ſi priùs recipiant munus conſecrationis, quam reſignent Ordini, libros, & alia, quæ habent tempore ſuæ promotionis, eo ipſo ſunt ab executione Pontificalis miniſterij ſuſpenſi. Niſi fortè ijdem Priores de conſenſu ipſorum conuentuum, vſum illorum ad certum tempus eis duxerit concedendum.* Refert Barbol. *De Officio, & Poteſtate Epiſcopi, P. 1. tit. 1. num* 4. id ipsū pro Fratribus Minoribus ſanxerat Alex 4. vt habetur in Monumento Trium Ordin ſic: *Præcipiens per virtutem S. Obedientiæ Fratribus Minoribus promotis, & promouendis ad dignitates Epiſcopales, vel alias, vt libros, vel alia, quæ ipſos promotionis ſuæ tempore habuiſſe, vel habere conſtiterit, ſemota qualibet dilatione, reſignet Generali, vel Prouincialibus Miniſtris, niſi forſan prædicti Ordinis Prælati vſum huiuſmodi rerum illis ad tempus conceſſerint, de gratia ſpeciali.*) Apud Emanuel Rodri-

quez

Digitized by Google

quez, *dicto loco.* Totum hoc ad quorumdam audaciam retundẽdam, qua bona, libros, & supellectilia secum deferebant, nulla petita venia suorum Prælatorum.

2 *Sed à quo dicta suspensio est dispensabilis?*

Respond. Cum Bonac. *De Cens. extra Bull. Cænæ, tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 8. P. 17. q. iii Papæ reseruatam, ideo nisi ab illo dispensabilem. Quapropter parte satisfacta, & restitutione præmissa, illi est recurrendum; ad minus pro Patribus Dominicanis, de quibus ibi est sermo.

De Episcopo non consecrãte Ecclesiam absq; dote sufficienti.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest consecrare Ecclesiam absque dote sufficienti.*

2 *Sed quanta debet esse Ecclesiæ dos?*

Impotentia LVII.

1 NON potest Episcopus consecrare Ecclesiam absque sufficienti dote, pro alendis *Ministris*, ornamentis necessariis, & iuribus Episcopalibus subeundis, *ex Cap. Cum sicut. De Consecr. Ecclesia.* Apud Rocc. *De Iure Patronatus V. Construxit, quæst.* 4. *num.* 4. Ratio impotentię fundatur in manutenentia decoris, & decentiæ domus Dei, cuius valdè indecẽs esset ædificatio quando de repentè profanis vsibus, defectu manutentionis, & dotis, relinquereur. Etenim absq; sufficientibus expensis, luminibus, ministris, & ornamentis, erit perpetuo clausa, vel dictis vsibus applicanda, ex temporum iniuria. Vide Concilium Bracharense *in Cap.* 11. *quæst.* 2. & quia de Concessione, P. *prior. potest.* 64. & de Permissione edificii 224. luculenter egi, His ex duabus potestatibus abundè structura impotentiæ coniici potest; Superest repetere in auribus Episcoporum, dote absente, vel saltem piorum Eleemosinis, quæ loco dotis succederent, deficientibus in ædificatione, teneretur Episcopus de proprio dotare, *ex dicto Cap. Cum sicut*, ne sequeretur viduatio, & suppressio &c.

2 *Sed quanta debet esse Ecclesiæ dos?*

Respond. Cum Mar. Antonio Genuensi, *in Manual. Pastorum cap.* 35. quantum saltem poterint sustineri onera Ministri, & Sacerdotis, cum luminibus, & ornamentis ad Missę celebrationem, & si esset Collegiata, secundum qualitatem Collegiatorum, Abb. *in Cap. Cum sicut. De Consecr. Ecclesia.*



De

Digitized by Google

De Episcopo non consecrante Altaria, sub quibus vel eorum bradellis subsũt corpora defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest consecrare Altaria, sub quibus, vel eorũ bradellis subsunt corpora defunctorum.*

Impotentia. LVIII.

1 NON potest Episcopus consecrare Altaria, in quibus, vel eorum bradellis subsunt corpora defunctorum, ex variis decisionibus *Sacr. Congregationis*, 6. *Septembris*, 1593. 8. *Februarij*, 1594 & 8. *Nou.* 1599. apud Naldum. V. *Sepultum.* Gauant. *in Manual. Episcoporum*, *V. Sepult. n. 6.* Itaque Cadauera, siuè Laicorum, siuè Prælatorum, nec reponi, & si quę essent in medio, vel subtus, debent indè tolli, *ex eadem Sacr. Congregat.* 10. *Decembris*, 1599. Nec in eis celebrandum, *in vna Messan.* 2. *Maij* 1601. quæ omnes prohibitiones, iussiones, & declarationes sequuntur Constitutionem B. Pii .V. incipit: *Cum primum Apostolatus 6. Kal. Aprilis* 1566. vbi capsas cadauerum in Ecclesiis supra terram existentes amoueri iussit. Apud Laert. Cherub. *tom.* 2 & Peyrin. *tom 2, Priuileg. fol.* 105. *num.* 1. Si quę desiderantur in hac materia, & de Aræ cõsecratione videto P. *prior potest.* 117.



De Episcopo non conueniente coram Archiepiscopo, nisi in causa depositionis, vel priuationis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest conuenire coram Archiepiscopo, nisi in causa depositionis, vel priuationis.*

Impotentia LIX.

1 NON potest Episcopus conuenire coram Archiepiscopo, nisi in causa depositionis, vel priuationis. Quod propriè non sonat pro impotentia, sed pro eo, quod non tenetur, id moderandum ius antiquum, vigore cuius tenebantur Episcopi Metropolitam adire, citati per accusationem, denunciationem, vel aliàs sibi iustis de causis beneuisis, cum hod è moderatum fuit à Trident. *sess.* 13. *De Ref.* & *sess.* 24. *cap.* 5. vt notauit Sbroz De *Vicario Episcopi lib .. quæst.* 58. *num.* 7. & Quarant. *V. Archiep. Authoritas.* Itaque nisi ex causa determinata specificè à Summo Pontifice, coerceri non potest ad comparendum, quod factum est ad quorumdam subditorum malè affectorum odia coercenda; nè eorũ molestia Pastor vacaret à pprio grege, neuè subditi facilius obiiceret. Enim verò Prælati ti sunt positi ad sagittam, & incur-

currunt odium multorum, qui solent obijcere falsa, vitam inquirere, & malitiam inferre, ideo Trid. corripuit malignorū inuidiam, eorūq; audaciā fregit, fauendo dignitati Episcopali, vt in causis criminalibus maioribus recurratur ad Concilium, proùt dixi *P. prior. potest.* 236. vbi de causis depositionis, & priuationis. De Benedictione coram Metropolitano dicam *Imp.* 160.



De Episcopo non creante Vicarium generalē ante possessionem Episcopatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest creare Vicarium generalem ante possessionem Episcopatus.*

Impotentia LX.

1 NON potest Episcopus creare Vicarium generalem, ante possessionem Episcopatus. Multi apud Sbroz., *De Vicario Episcopi, lib.* 1. *quaest.* 46. *num.* 15. & Felin. *consult.* 40. *num.* 7. Quorum adductio est, quia omnis iurisdictio Episcopi pendet essentialiter à possessione, & haec habetur vi confirmationis Apostolicae factae instrumento litterarum expeditarum in Dataria Apostolica, & ita facto, & constituto Episcopo, secundo venit cōstituendus eius Vicarius. Quarè dumtaxat, prouisus, seu nominatus non valet Vicarium creare, nec iurisdictionem exercère, ex dictis *Impot.* 51. & P. *prior. ibi citata*, vbi clariùs, & fusiùs.



D

De Episcopo non dante Ecclesiam Parochialem in commendam perpetuò vel ad tempus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dare Ecclesiam Parochialem in commendam perpetuò, vel ad tempus.*

Impotentia LXI.

1 NON potest Episcopus dare Ecclesiam Parochialem in commendam perpetuò, vel ad

tempus, ita defendunt Lelius Zech. *De Beneficijs, & Pensionibus, cap. 7. num. 2.* Garc. *De Benef. P. 4. cap. 4. num. 7. ex Cap. Nullus deinceps 15. De Elect. in 6.* vbi sic: *Nullus inferior Papa potest perpetuò commẽdare,* quod totum confirmat Trident. *sess. 24. De Ref. cap. 18.* disponens de forma tenenda post vacationem Parochiæ, siue per obitum, siue resignationem, videlicet per constitutionem Vicarii idonei, cum congrua sustentatione, ex quo cessat commenda cuiuslibet Parochiæ de nouo iure prouisæ. Dixi vel ad tempus, *ex d. cap.* vbi institutum erat dari ad 6. menses; at hodiè florente Tridentino aliàs disponente seruãdum esse eius Decretum, vt decidit *Sacr. Congregat. in 6. disp. 18.* teste Nicolao Garc. *d. loco, num. 13.* & ipse tutiùs dixi, *Prior. part. potest. 96.*

De Episcopo non dante Ecclesiam Parochialem nisi Clerico habenti legitimam ætatem, & promoto ad Sacerdotium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dare Ecclesiam Parochialem, nisi Clerico habenti legitimam ætatem, & promoto ad Sacerdotium.*

Impotentia LXII.

1 NON potest Episcopus dare Ecclesiam Parochialem nisi Clerico habenti legitimam ætatem, & ad Sacerdotium promoto, ita *ex Cap. Nemo deinceps. Impot. antecedenti citata*, & defendit Azor. *Inst. Moral. P. 1. lib. 6. cap. 8. quæst. 6.* Ratio desumitur ab exigentia Ecclesiæ Parochialis, & Parochianorum, quibus Rector tenetur ministrare Sacramenta, *Missam* celebrare, Populo concionem habere, & alia, quæ pastoris sunt munia obire. Nec valet quorumdam dictum: posse hæc omnia per substitutum adimplere, quia saluo prædicationis munere, quod ratione legitimi impedimenti, per alium præstare poterit; in reliquis Rector audiat Trident. clamans residentiam, assistentiam, & administrationem per se. Ita *sess. 6. De Ref. cap. 2. & sess. 23. De Ref. cap. 13. alijsque locis*. Neque residentia alteri delegari potest, sub pœnis fructuum non consequendorum, & aliis in Cõc. contentis. Neque pœnitentiæ Sacramentum per alium ministrare potest, quando Parochiani proprio Parocho peccata sua, siue ex necessitate, siuè ex deuotione confiteri voluissent, vt notarunt quamplures, apud Summ. Dian. *V. Parochus, num. 4.* Ex quo Ecclesia Parochialis exigit de necesse ministrum Sacerdotem idoneum, vt possit onera subire; quidquid sit de aliis beneficiis non curatis, de quibus vide *P. prior. potest. 75.*

De



De Episcopo non delegante causas clericorum criminales Iudici laico, cognoscēdas, & terminandas.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest delegare causas clericorum criminales Iudici laico, cognoscendas, & terminandas.*

2 *Sed Quanam sint causæ criminales?*

Impotētia LXIII.

1 NON potest *Episcopus* delegare causas clericorum criminales Iudici laico, cognoscendas, & terminādas, ex Gloss. *V. Nè præsumat, in cap.* 2. *De Iudicijs*, vt notat Bonac. *De Legibus disp.* 10. *quæst.* 2. P. 1. §. *Respondeo*, estque quamplurium Iurisperitorum, apud Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 109. *ex Cap. Significasti, de foro competenti.* Ratio verò est, quia Clerici sunt immunes à potestate laica, tùm in spiritualibus, tùm in temporalibus, iure ciuili, canonico, & diuino, propterea Clericorum iudicium ad solos Prælatos spectat, quibus adhùc consentientibus, sententia, & iudicatum erunt irrita, & inania, quia Priuilegium exemptionis non personis in particulari, sed communitati concessum est; at nullus potest priuilegio communitatis cedere; *ex Cap. Si diligenti, De Foro competenti*, ita Bonac. *d. loco, num.* 4. & De *Cens. in Bulla Cœna, cas.* 20. *disp.* 1. *quæst.* 20. *à P.* 1. vbi enarrat censuram contra laicos Iudices Seculares, qui se interponunt in causis criminalibus contra Ecclesiasticas personas. Vnà cum hac Iuris Impotentia stant casus illi excepti *P. prior. potest.* 130. vbi videre oportet exceptiones, & defectus, quibus quandoque inducitur Episcopus delegare dictas causas, ex quo non sequitur simplicitèr: posse delegare, ob iuris incompetentiam. Iuuat quoque videre dicta de Assessore, *Par. prior. potest.* 179. De Consultore *Potest.* 177. De Vicario Generali *Potest.* 111. ex quibus colligitur; quid erit de laico coniuncto cum Clerico ad consulendum, non verò ad decidendum. De causis autem ciuilibus, nō dubitat Barbos. *d. loco num.* 7. posse delegari.

2 *Sed quanam sint causæ criminales?*

Respond. Cum eodem Bonac. *d. loco num.* 5. illas esse in quibus agitur de pœna inferenda per iustitiam vindicatiuam: modò quo delicta à Magistratu punienda censentur esse criminalia. Quando verò vt parti præstetur satisfactio censentur ciuilia, quia satisfit iustitiæ commutatiuæ.



De Episcopo non delegante causas spirituales laico, etiam cum Clerico coniuncto.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest delegare causas spirituales laico, etiam cum Clerico coniuncto.*

2 *Sed quaenam sunt causae spirituales?*

Impotentia LXIV.

1 NON potest Episcopus delegare causas spirituales laico, etiam cum Clerico coniuncto. Ratio quia quoquo modo prohibetur laicis decidere, definire, & concludere causas clericorum, *ex cap. Significasti, De foro competenti*, vt notauit Abb. & Azor. *inst. Moral. P. 2. lib. 3. inst. 32.* Verùm quippe sentire videntur multi, posse laicum esse Arbitrum, quia ratione arbitrii, nullam habet iurisdictionem, vt patet quando à partibus eligeretur, quarum non esset verus *Iudex, in Cap. Per tuas, De Arb.* sed electus ad indicendum, cuius partes dictis quiescunt, vigore cõsensus vtriusque, quod si non cõsentirent, appellandum erit apud Superiorem Ecclesiasticum, quia semper causa sequitur suum forum.

2 *Sed quaenam sunt causae spirituales?*

Respond. Eas esse, quę Sacramenta, Ecclesiam, & alia quaecunque ad illa pertinentia spectant, puta: Causae matrimoniales, ex Decretis Tridenti *sess. 24. De Ref. cap. 20.* Confessariorum, Cõcionatorum, Regularium, quoad Professionem, *Parochorum*, & aliorum ad Ecclesias confugientium, hisque similium.

De Episcopo non delegante alteri benedictionẽ S. vestium, Sacrorumq; vasorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest delegare alteri benedictionem S. vestium, Sacrorumq; vasorum.*

Impotentia LXV.

1 NON potest Episcopus delegare alteri benedictionem Sacrorum vestium, & vasorum. Ita Sbroz. *De Officio Vicarij, lib. 2. quaest. 6. num. 8.* Rodriq. *tom. 1. quaest. 19. art. 1.* & Vgolin. *De Potest. Episcopi, cap. 32.* Quorum ratio est, quia dicta benedictio est ita ordini Episcopali annexa, vt sit de numero indelegabilium ab Episcopo in pręeminentiam, & decorem status, pro vt decidit Sacr. Congregat, teste Pesseuino, vt ipse innui *P. prior. potest. 4. num. 2.* — Dixi ab Episcopo, quia fas erit Sũm. *Pon*tifici, qui nullo iure canonico astringitur, aliis Sacerdotibus delegare, prout docet ipsa praxis in Regularibus, qui de Priuilegio Summi Pontificis benedicunt Sacras vestes, & quandoque Sacra vasa, hic, & in partibus Orientis, & Occidentis Insuper multoties compertum est; Episcopos de indultu S. Sedis concedere, seu delegare dictã benedictionẽ Decanis, aliisque personis in dignitate

Eccle-

Ecclesiastica constitutis, ex Sacra Congregat. apud Barbos. *in Decis. Apostol. V. Benedict. à nu. 25. & V. licentia, num. 9.* quod cautè sẽper intelligas, & de facultate S. Congregat. Nec dicas esse de natura indelegabilium, ex natura rei, sed ordinat. Ecclesiastica. — Nec defuerunt dicentes: Episcopum benedicendo, vel cõsecrando Ecclesiã, Calices, S. Vestes, & Campanas in mortali, peccare lætaliter, ob iniuriam iniectã in actionibus grauioribus muneris proprii, quæ actiones quodãmodo dicuntur Sacramentales, apud Medinam, *in Cap. De Pœnit. tract. 1. quæst. 6.* At scandalo cessante Alii defendunt cõtrarium, apud Suarez *in 3. P. Diui Thom. quæst. 63. artic. 10. disp. 16. sect. 3.*



De Episcopo non degradante, antequam fuerit cõsecratus:

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest quem degradare, antequam ipse fuerit cõsecratus.*

Impotentia LXVI.

1 NON potest Episcopus quẽ degradare antequam fuerit ipse cõsecratus, *in Cap. Transmissa.* De Elect. vt refert *Marc. Alter. tom. 2. disp. 2. cap. 17.* cũ aliis, apud Barbos. *De Potestate Episcopi, Alleg. 110.* & procedit resolutio de Reali, & non verbali degradatione, de qua dixi abũdè *Rapprier. potest. 128.* sic Verbalis degradatio nil aliud est, quam sententia, seu suspensio, & fieri potest per Episcopum habẽtem solam iurisdictionem, quæ habetur vi solius confirmationis ante consecrationem, Realis verò est depositio Clerici, & sequitur ea, quæ ordinis sunt, & ipsam consecrationem.

De Episcopo non denegante licentiam Prædicatoribus Regularibus volẽtibus prædicare in Ecclesiis suorum ordinum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest denegare licentiam Prædicatoribus Regularibus volentibus prædicare in Ecclesiis suorum ordinum.*

Impotentia LXVII.

1 NON potest Episcopus denegare licentiam Prædicatoribus Regularibus idoneis, & approbatis à suis Superioribus Verbum Dei seminare volentibus in Ecclesiis suorum ordinũ. Ratio quia hi ad solam representationem tenentur, & non ad examen, ex Trident. *sess. 6. De Ref. cap. 2.* vt notarunt Ricc. & Rodriq. *quæst. Regul. tom. 3. quæst. 32. art. 5.* — De examine ipo-

ſpectare ad ipſorum Prælatos ex Concilio, tenet Barbol. *De Episcopo, Alleg. 76. num. 23.* cum Rodriq. & alijs, apud Dian. P. 4. *Reſol. Moral. tract. 4. reſol. 22.* ſalua conſuetudine, quam nõ derogat Trident. ſed tantum meminit de præſentatione, & licentia, ſine qua Prædicatores puniuntur à ſuis Prælatis, non autem ab Epiſcopis, vt deciſum habet Piaſech. *in prax. Epiſcopi,* P. 2. *cap. 3. num.* 41. vel ſine repræſentatione pro ſuis Eccleſiis, vel abſq; licentia pro non ſuis, prædicauerint, ex Conſt. Greg. xv. incipit: *Inſcrutabili, nonis Febr.* 1621. ab Epo cognoſcerentur ob contrauentionem edictorum; vide mentem Dian. P. 3. *tract. 2. reſol.* 111. Hodiè tandem extat nouiſſima Conſtit. Clem. x. incipit: *In ſuperna. xi. Kal. Iulii,* 1670. ſic: *Regulares. qui in Eccleſiis ſui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamuis illa non obtinuerint, quòd ſi* Epiſco*pus ne dum benedictionem non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem* Eccleſiis licère *Religioſos prædicare, eoſque contrauenientes ab illo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim conſtitutionis felicis recordationis* Gregor. 15. *prædeceſſoris noſtri, incipit:* Inſcrutabili, *coerceri, & puniri poſſe.* De munere, licentia, & aliis, vide Prior. *part. poteſt.* 94. & de interdictu prædicationis, *poteſt.* 222.

De Epiſcopo nõ deponente aliquem ordinatum à Papa.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt aliquem ordinatum à Papa deponere.*

Impotentia LXIII.

1 NON poteſt Epiſcopus deponere aliquem ordinatum à Papa, ita defendunt Hyeronimus Veneto, à Layma *cap. 19. num. 9,* & aliis cum Barbol. *De Officio, & Poteſt. Epiſcopi, Alleg. 112. num. 12.* Quorum ratio eſt, Reuerentia Summ. Pontifici debenda, ideo in cauſis huius depoſitionis recurrendum ad eundem, vel de licentia eiuſdem, vt meliùs innui P. *prior. poteſt.* 128.

De Epiſcopo non deſtruente Monaſterium Religioſorum abſque ſua licentia conſtructum.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt deſtruere Monaſterium Religioſorum abſq; ſua licentia conſtructum.*

2 *Sed quid de pœnis contra audientes?*

Im-

Impotentia LXIX.

1 NON potest Episcopus destruere Monasterium, absque sua licentia constructum, ita quamplures defendunt, apud Gratianum *in disceptatione Forensium, cap.* 517. Ratio iuris est cum Trident. & decretis Clem. 8. à me allatis, *Prior. part.* 64. 224. & 227. vbi apertè edoctum fuit nemini licère construere Cænobia regularium, & monialium, etiam exemptorum, absque licentia Ordinariorum, vltra illam Sed. Apostolicæ, cuiusmodi interdictū nō se extēdit ad cōstructum, sed de eo consulenda Sedes Apostolica pro punitione reorum, nè subleuetur populus, de quorum eleemosynis facta fuit constructio, nam Ecclesia dictis inhibitionibus non intendit Populi subleuationem, seu minuere illius deuotionem, sed tanquillam imponere pacem, & contrauentores punire ad metam contrauentionis.

2 *Sed quid de pœnis contra audentes?*

Respond. Audentes construere dicta regularium Monasteria absque licentia Ordinarii incurrere pœnas in dictis Bullis, Clem. 8. & Greg. xv. taxatas, de quibus satis dixi *Potestate citat.* 227.



De Episcopo non diminuente onera Missarum celebrandarum post Trident.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest diminuere onera Missarum celebrandarum post Trident.*

2 *Decretum S. Cong. pro Missis priuatis defunctorū in festis dupl. non celebrandis.*

Impotentia LXX.

1 NON potest Episcopus diminuere Missarum celebrandarum onera post Trident. etiam in limine fundationis posita, sed illorum moderatio ad Sedem Apostolicam pertinet, qua re diligēter inspecta statuet, quod magis in Domino expedire iudicauerit, si quis contra prohibitionis formam illas fieri contingerit, commutationes, reductiones, & moderationes omnino nullæ, ac irritè sunt, ex S. *Congreg. De Celebr. Miss.* 21. *Iuly*, 1623. §. 1. Nota verba, omninò nullę, & irritæ, ex quibus satis colligitur Impotentia Episcopi citata, quid quid sit de oneribus impositis ante Concilium, de quibus dixi *Prior. part. potest.* 136. Vel si in limine fundationis, id expresse cautum erit, licère ex S. Congr. *ibid* §. *ad* 1. vt erit videre *P. part. potest.* 267.

2 *Decretum S. Cong. pro Missis priuatis defunctorū in festo dupl. non celebrandis.*

Cum Sanctissimus Dominus Noster, in Visitatione Ecclesiarum Vrbis acceperit, in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi missas priuatas pro defunctis, etiam in festis duplicibus, contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani: eumdemque abusum Decreto Congregationis eli-

eliminari præceperit. Innotuerit verò Sac. Rituum Congregationi huiusmodi abusum, etiam in aliis Ecclesiis vbique gentium existentibus inductum pariter reperiri. Sacra eadem Congregatio, vt Missalis Rubricæ inuiolatè seruentur, districtè præcipit omnibus, & singulis Sacerdotibus, tàm sæcularibus, quam Regularibus cuiusuis Ordinis Congregationis, societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, vt in posterum omninò dictam Rubricam seruent, itaut missas priuatas pro defunctis, seu de Requiem in Duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præsumāt. Quod si ex benefactorum præscripto missæ huiusmodi celebrādę incidant in festum Duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus suffragia expectātibus detrimento fit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii iuxta mētem eorumdem benefactorum. Curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristę, aliique, ad quos spectat, vt huiusmodi Decretum inuiolatè seruetur, & in Sacristia affixum retineatur, vbi commodè ab omnibus celebrare volentibus conspici, & legi possit. In eòs autem, qui contrafacere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tùm seculares, tū Regulares pro modo culpę animaduertant. Die 5. Augusti 1662.

Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, & cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Augusti 1662.

I. Episc. Sabinen. Card. Sacchett.

Loco ✠ Sigilli.
Franciscus Maria Phæbeus Sac. Rit. Congr. Secretarius.
In Regesto huius Congregationis. fol. 177.



De Episcopo non dispensante super irregularitatē ortam ex illegitimitate.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare super irregularitatem ortam ex illegitimitate.*

Impotentia LXXI.

1 NON potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam ex illegitimitate, ita notarunt multi apud Suarez, *De Cens. tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 5. & Bonac. *de Cens. ibid. disputat.* 3. P. 3. *qu.* 2. quorum omnium fundata ratio est, quia dispensatio, seu relaxatio legis ad conditorem spectat, & ni aliundè colligeretur consensus, & voluntas illius, inferior relaxare non posset, vt colligitur ex Trident. *in Cap. Liceat*, in quo conceditur Episcopis facultas dispensatiua super omnes irregularitates ex delicto prouenientes, vbi nulla mentio est de prouenientibus ex natalium defectu, adeoque, *ex d. cap.* restat in sinu legislatoris dispensare.

Nec

Nec aliundè constat, vt ex praxi, & dictis *Prior. part. potest.* 143. vbi docuimus, posse Episcopum cum alijs dispensare pro suscipiendis ordinibus minoribus, nequaquam verò pro maioribus, quos conferre tenetur non impeditis, impedimento Natalium, & litteraturę, de quibus *ibi. nu.* 2. Quod si defectus fuerit occultus probabilitèr docetur cum Dian. P. 4. *tract.* 2. *resol.* 64. posse dispensari ab Episcopo, *ibid. nu.* 3.

De Episcopo non dispensante irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, ad retinenda, vel conferenda beneficia, aut pro Sacr. ordinibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, pro conferendis beneficijs, vel* S. *Ordinibus.*

Impotentia LXXII.

1 NON potest Episcopus dispēsare irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, pro retinendis, aut conferendis beneficiis, vel Sacris ordinibus. ex Trident. *sess.* 14. *De Ref. cap.* 7. vbi sic: *Nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habent* Animarum, *conferri liceat: sed omni ordine, ac beneficio, & officio ecclesiast: perpetuò careat*, quibus ex verbis apertè colligitur *Impotentia* Episcopi. *I*deò nil ambigendum in hoc. Intelligas, nè, dum beneficia curata, verum, & simplicia. Idipsū de ordinibus, ne dum de maioribus, sed etiā de minoribus, apud Nauar. *cons.* 18. *num.* 3. Paritèr intelligas de homicidio voluntario patrato per se, vt nulla possit tergiuersatione celari; Nam de casuali dictū est P. *prior. pot.* 160.

De Episcopo non dispensante irregularitatem ortā ex infamia iuris.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem ortam ex infamia iuris.*

Impotentia LXXIII.

1 NON potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam ex infamia iuris. Ita aduertunt DD. apud Nauar. & Mirand. *in Manual. Pralat tom.* 2. *quast.* 8. *ar.* 5. *concl.* 1. Ad differentiam irregularitatis ortę ex infamia facti, de quibus *Prior. part. potest.* 170. quorum discrimen est, quia in infamia facti videtur quis casù, vel culpa transeūter incidisse, Adeòque post de-

bitam pœnitentiam erit remissione dignus, vt remittatur, vel admittatur in beneficiis, vel Sacris ordinibus; *In* infamia verò iuris permanentèr in officio, arte, & persona excluduntur à iure ad decorem status Ecclesiæ, quæ ministros requirit innoxios. Quidam autem dicuntur infamati facto, vel à iure, vide *loc. cit. Prior. part. à num.* 2. ideò hic silentur.

De Episcopo non dispensante irregularitatem ortā ex crimine nefando.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem ortam ex crimine nefando.*

2 *Sed quid de grauitate Criminis nefandi?*

3 *Sed quid de pœnis contra Sodomitas?*

Impotentia. LXXIV.

1 NON potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam ex crimine nefando, & sēsus est de Sodomita publico, & conuicto de coniunctione tàm agentis, quàm patientis, nam irregularitas est suspensio publica, quæ nō incurritur quam diù peccatum erit occultum, apud Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 194 & Bonac. *De Matrimonio, P.* 4. *punct.* 15. *num.* 2. Ratio quia videtur Summ. Pontifici reseruata propter inormitatem, turpitudinem, grauitatem, abominabilitatem, & sceleris fæditatem, de quo ait Diuus Augustinus Angeli fugiunt; Dæmones oculos claudunt, propter quod, tempore Christi nascentis mortui fuère omnes illò scelere detenti. Ita probarunt impotentiam Nauar. *d. l. & cap.* 24 *num.* 248. & sequitur *Miranda, in Man. tom.* 2. *quæst.* 8. *concl.* 1.

2 *Sed quid de grauitate criminis nefandi?*

Respond. Grauitatem dicti sceleris pro incurrenda infamia, & irregularitate, desumi ex consumptione peccati patrati, per seminis emissionem intra vas inordinatum, in accubitu masculorum. Ita sentiunt Vgol. *De Irreg. cap.* 43. & Bonac. *d. loco.*

Ex dictis noto 1. Clericum nō incurrere si rem haberet cum muliere, vel puero non seminādo intra vas.

2 Neque si bestiis abuteretur.

3 Neque si fuisset assuetus, sed occultus, apud Dian. *in Summ. V. Clericus Sodomita.*

3 *Sed quid de pœnis contra Sodomitas?*

Respond. Pœnas Sodomitorū taxatas in Bull. B. Pii. v. incipit: *Horrendum*: Sic: Omnes, & quoscumque Præsbiteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes. Omni Priuilegio Clericali, omnique officio, & dignitate, & beneficio, præsentis canonis Authoritate priuamus, &c. Hic duo verba notare digneris, *Exercentes*, quod indicat cōtinuationem, seu frequentiam, & *Priuamus*, quod

in-

Digitized by Google

intelligitur post sententiam *Iudicis criminis declaratiuam*, apud Bonac. *ibid. quæst.* 2. P. 11. *num.* 2.



De Episcopo non dispensante super irregularitatē, & suspensionem incursam ab Eiectis à Religione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem, & suspensionem incursam ab Eiectis à Religione.*

Impotentia LXXV.

1 NON potest Episcopus dispensare super irregularitatem, & suspensionem incursam ab Eiectis à Religione, vigore Decreti Sacr. Congregat. *De Apostatis, & Eiectis sub. Vrb.* 8. 21. *Septembris* 1624. vbi sic: *Tales suspensos esse perpetuò ab ordinum exercitio, sublata à locorum Ordinarijs facultate, dictam suspensionem relaxandi, & moderandi*. Quo in Decreto innouantur Constitutiones Clem. 8. & Greg. xv. relictis aliis antecedentibus, vt notauit Sell. *in Select. Canon. cap.* 23. *numer.* 18. Quid autem sit faciendum cum huiusmodi eiectis, vide dictum Decretum §. 4. vbi habetur, Hi verò eiecti quamdiù non redierint ad Religionē in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni, & obedientiæ subiaceant.



De Episcopo non dispensante irregularitatem prouenientem à casibus ad forum cōtētiosum deductis, & Sed. Apostolicæ reseruatis, necnon ex homicidio voluntario.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem ortam à casibus ad forum contentiosum reductis, & S. Apostolica reseruatis, nec non ex homicidio voluntario.*

Impotentia LXXV.

1 NON potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam à casibus ad forum deductis, & Sedis Apostolicæ reseruatis, nec nón ex homicidio voluntario occulto, ex Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 6. Ratio quandoque delictum fuerit occultum (homicidio excepto) sufficit potestas Episcoporum *ex d. Cap. Liceat.* vi cuius omne crimen Papæ reseruatum, & occultum factum est Episcopale; si verò apertum, seu deductum ad forum, substat potestati reseruantis, cum impotentia ad inferiores potestates; Nāquod non conceditur semper estat reseruatū; ideò. &c. Quando nam autem casus erit occultus, vel publicus constat ex dictis *Pr. part. potest.* 159. vbi fusiùs.

Digitized by Google

Quid autem erit de crimine reseruato, deducto, punito, & publicato? Controuertunt DD. sententia tamen negatiua validior, quia publicitas facta arguit impotentiam in Episcopo; Enim verò, quæ in iudicio probantur, probata, & publica censentur, quibus non suffragatur Indulgētia Tridentini. *in d. Cap. Liceat*, apud Eman. Rodriq. *in Summ.* P. 1. *cap.* 168. *in fine*; idē dico De homicidio occulto, excepto casuali, de quo egi *Part. prior. potest.* 160. & meliùs sequentem Impotentiam vide, vbi de causa defensionis, *ibid potest.* 163.



De Episcopo non dispensante irregularitatem ortā ex homicidio voluntario.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare irregularitatem ortam ex homicidio voluntario.*

Impotentia LXXII.

1 NON potest Episcopus dispensare irregularitatem ortam ex homicidio voluntario iustis de causis patrato, defectu lenitatis; ita docet Bonac. *disp.* 7. *De Irregular. P. vlt.* cum Molin. *De Iustitia tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 79. *num.* 8. Filiuc. Corneio, Alzed. & Gauant. *in Enchirid. V. Irregularitas, num.* 105. apud Dian. *Tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 70. & sequitur Barbos. *De Potestate Episcopi, Alleg.* 39. *num.* 47. & quia varia sunt homicidiorum genera, de quibus *Priori parte* luculentèr egi, *à Potest.* 160. Superest hic de Homicidiariis punitoribus agere, cuiusmodi sunt omnes Iustitiæ *Ministri*, qui ob publicam authoritatem in iustitia punitiua, & Bello iusto, se intromittunt ob causam sanguinis, & Reorum necem suntque Iudices, Fiscales, Accusatores, Testes, Tabbellarios, Carnifices, & Alii huiusmodi cooperatores, qui omnes dicuntur irregularitatem contrahere, non ex culpa, sed defectu lenitatis, & mansuetudinis, *ex Cap. De Archiepiscopo, De Tutoribus, cap. Clericus, dist.* 50. aliisque iuribus, apud Bonac. *d. loco, quæst.* 4. *P.* 1. apud quem est ratio, quia Ministri *Ecclesiæ* sequūtur mansuetudinem *Agni*, quem quotidie immolant, Prędicti autem causas sanguinis agentes, necemque Reorum peragentes, crudelitatem potiùs crucifigentium, quam mitiratem Christi Crucifixi representant, ideò in supradictis iuribus à suscipiendis Ordinibus, vel in susceptis ministrare repelluntur à militia Clericali, defectu lenitatis. Probatur autem ab Episcopo non posse dispensari; tùm quia à nullo iure hæc dispensatio præscribitur, non à Trident. *d. Cap. Liceat. sess.* 24. *De Ref.* quia ibi sermo est de homicidio voluntario, pro quo hæc conceditur dispensatio ob exceptionem, sed defectū lenitatis, & mansuetudinis. Nec valet adducere: Comprehendi sub homicidio volūtario excepto in dicto capite, cū abeo solū in delicto fundatæ pendent.

dent, dixi hoc contra classem cõtrariæ sententiæ, quam acritèr defendunt, apud Barbos. *d. loco*, & Dian. *ibid.* contra quos valdè facit id quod supra dictum fuit; & ipsa confirmat praxis, atque quotidianus recursus ad Papam, à quo dispensationem petunt illi de militia criminali, si ad clericalem Christi trâsmeare voluerint, ita Nauar. & Sayr. *in Florib. decis. sub titulo De Homicidio volũtario decis.* 31. Nec facit quod Aduersarii adducunt sic: Prælatos Regulares posse suos subditos dispensare à quacunque irregularitate, ergo & Episcopi. Cui respondeo quoad Regulares, stãdum erit, quibus eorũ priuilegiis fruuntur F. Minores in Mari magno *Sixti 4. Clem. 4. & Iul. 2.* nec nõ alii Regulares, quorum tenor ibi est, vt possint dispensare ad se venientes à quacunque irregularitate, qualibet de causa contracta, homicidio voluntario, & Bigamia exceptis, quod valdè differt à Priuilegio Trid. *sub Cap. Liceat*, vbi dumtaxat est sermo de irregularitatibus ex delicto prouenientibus. Itidem nec vim habent dicẽdo: cui conceditur maius, conceditur minus, videlicet si ex delicto, ergo ex defectu. Nõ inquam quia diuersorum nõ est illatio, & docet ipsa praxis quam sectare in opinantium lucta moneo. Denique nec dicas; id non excipi, quia responsum accipis, quod neque conceditur, ideò meliùs sectare positam impotentiam.

De Episcopo non dispensante cum omninò illitteratis ad primam tõsuram.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare cum omninò illitteratis ad primam Tonsuram.*

2 *Sed quanam litteratura requiritur ad primam tonsuram?*

Impotẽtia LXXVIII.

1 NON potest Episcopus dispensare cum omninò illitteratis ad primam Tonsuram, ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 40. Ratio, quia litteratura est ad Ecclesiæ gradus de iure Diuino necessaria ex illo Isaiæ, *cap.* 4. *eo quod nõ habueris scientiam, repellam te, nè sacerdotio fungaris mihi*, Quapropter Turrecremata in *Cap. Si quis, si laicis, dist.* 38. confirmat impotentiam prędictam, vnà cum aliis citatis *Prior. part. potest.* 143. Nihilominus illitteratus si ordinaretur charactèrẽ reciperet, Ratio quia & si dè iure Diuino sit requisita scientia, vi præcepti, ex Trident. *sess.* 23. *De Reform. cap.* 13. non tamen Sacramenti, vt aduertit Sanchez *in Opusc. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 45. *num.* 1.

2 *Sed quanam litteratura requiritur ad primam tonsuram?*

Respond. iuxta dicta *Prior. part. potest.* 83. vbi de Examine, *num.* 3. nempè vt sciat legere, nàm Ecclesiasticus miles idoneus est ille, qui scit idiomata saltem italica cognoscere, vel scribere, aliàs militiæ Clericali non ascribitur,

vel

vel quodamodo si non perfectè, saltem imperfectè charactères efformare, ex Decreto S. *Congreg.* 14. *Octobris* 1593. apud Dian. P. 3. *tract.* 14. *resol.* 21.



De Episcopo non dispensante cum ordinatis per saltum, etiam in minoribus, si ministrauerint, vel cū Clerico coniugato ad ordines, & beneficia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare cum ordinatis per saltum, etiam in minoribus si ministrauerint.*

2 *Nùm poterit dispensare cum Clericò coniugato ad ordines, & beneficia?*

Impotentia LXXIX.

1 NON potest Episcopus dispensare cum ordinatis per saltum etiam in minoribus si ministrauerint, cùm Tridentino *sess.* 23. *De Ref. cap.* 14. vbi concilium indulsit Episcopis dispensationem pro saltuatim ordinatis, hac adiecta conditione, *si non ministrauerint in ordine suscepto*, aliàs recurrendum erit ad Apostolicam Sedem, ita tenent Maiol. *De Irregul. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 2. dixi in ordine suscepto, & recurrit dicta impotentia ad ordinem prętermissum, ratio quia ministrauit in ordine, quem non habuit, idest, ac si ministrasset in ordine, cuius executio manet interdicta. Nota tamen si v. g. Quis ordine Sacerdotali fuisset insignitus, pretermisso diaconatu, verum ordinem Sacerdotalem, & charactèrem reciperet, cum ab inferiori, ordo superior nō pēdet, ita Abb. *in Cap. vn.... num.* 4. apud Hēriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 3. de hac materia vide DD. citatos *Prior. part. potest.* 142. vbi fusiùs.

2 *Nùm poterit dispensare cum Clerico coniugato ad ordines, & beneficia?*

Respond. Cum citatis negatiuè, ratio quia id omninò vetitum multis in iuribus, vt notarunt plures apud Garc. *De Beneficijs*, P. 2. *cap.* 5. *num.* 4. Moisel. *in Summ. Moral. Theol. tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 27. Accedit, quia coniugium pugnat, iure Ecclesiastico, cum ordinibus, & beneficiis, quapropter durante coniugio in sensu composito, quis repellitur à militia Clericali; Excipe tamen casus de coniugato ingrediente Religionem, & profitente apud Molfe. *d. loco, tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. & sequitur Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 111. *num.* 10. ostendens, Episcopum incurrere suspensionem per annū à collatione primæ tonsuræ illam conferens coniugato, nisi volenti Religionem ingredi, vel ad Sacr. ordines promoueri, ipse dixi superiùs *Imp.* 44. *num.* 7.



De

Digitized by Google

De Episcopo non dispensante cum filio illegitimo ad obtinēdum beneficium simplex in eadem Ecclesia cū suo Patre.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare vt filius illegitimus obtineat beneficium simplex in Ecclesia cum suo Patre.*

Impotentia LXXX.

1 NON potest Episcopus dispensare, vt filius illegitimus obtineat beneficiū etiā simplex in Ecclesia cū suo Patre, ita *ex Cap.* Cum *Rectorem, De Filiis Presbyterorum*, docet Vasqu. *in Opusc. De Benef. cap.* 3. §. 1. *dub.* 6. Ratio: valdè indecorum in vnica Ecclesia esse duos beneficiarios, ex quibus scandalum orieretur, cum semper ante populorum oculos esset eorum peccatum. Nec potest Episcopus dispēsare cum illegitimis super pluritate beneficiorum, estò posset in alio, iusta dicta P. *prior. potest.* 78. & 138. cum Sanchez *De Matrimonio, lib.* 8. *disp.* 51. *à num.* 6.

De Episcopo non dispensante cum illegitimis ad obtinenda beneficia suorum Parentum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare cum illegitimis ad obtinenda beneficia suorum Parentum.*

Impotentia LXXXI.

1 NON potest Episcopus dispensare cum illegitimis ad obtinenda beneficia suorum Parentum, *ex Trident. sess.* 25. *cap.* 15. apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 65. *num.* 19. vbi pariter docet sic, si quæ ratiò Trident. est prohibère collationem ob memoriam paternæ incontinentiæ; hæc triginta annorum decursu, deperditur. Tu autem non recedas à Trident. dispositione, de qua sequitur.

1 Non posse Episcopum dispensare, vt illegitimus sit Vicarius amouibilis, ob eandem rationem, ad quam sequitur eadem iuris dispositio.

2 Neque vt obtineat beneficia parentum, vt dixi *Impotentia præcedenti*, contra Rodriq. & Miranda.

3 Neque vt filii illegitimi obtineant Patris beneficium, absque legitimo titulo, vel minùs pacificè possidentis, vt vult Garc. *cap.* 3. *num.* 59. Palao, P. 2. *num.* 7. defendit tamen Gonzal. *Gloss.* 5. *num.* 33. huiusmodi filios non prohiberi, succedere in Cappellania fundari solita absque facultate Episcopi, vt fit in Hyspania.

4 Neque vt filius obtineat Canonicatum in Ecclesia, vbi eius Pater fuit Canonicus, ita citati ab Azor. *Inst. Moral.* P. 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *quæst.* 14.

5 Neq; vt canent Epistolam, vel

Digitized by Google

vel Antiphonam, ratione oneris beneficii, ex Trident. *d. loco cap.* 15. apud Nauar. *Conſ.* 1. *quæſt.* 17. *Ricc. collect.* 1367.

De Epiſcopo non diſpenſante in impedimentis Matrimonii dirimentibus.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare in impedimentis Matrimonium dirimentibus.*

2 *Sed quenam ſint hec impedimenta impedientia, & dirimentia Matrimonium.*

Impotentia LXXXII.

1 NON poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimentis Matrimonium dirimentibus. Hæc impotentia eſt de iure cõmuni deducta pluribus ex textibus; at nullus poteſt relaxare commune ius, niſi ille, in cuius manibus ſtat cõdere, & ſtatuere Summ. Pontifex, & Paſtor Vniuerſalis Eccleſiæ regens Petri nauem, Eccleſiamque Dei. Adeoque nullus Epiſcopus poterit regulariter relaxare leges ab illo conditas. Dixi regulariter, quia quandoque adeſt tacita conditoris voluntas, vt poſſit inferior diſpenſare in lege Superioris, prout oſtendunt DD. De occultis impedimentis dirimentibus, de quibus dixi, *Prior. part. poteſt.* 152.

2 *Sed quenam ſint hec Impedimenta impedientia, & Dirimentia Matrimonium?*

Reſpond. Pro illis compoſita fuiſſe carmina à DD. vt memoriè faciliùs haberentur, ſũtq; ſequ.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas.
Si ſis Affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Sponſum rapias, ſi Clandeſtinus inibis.

Quorum aliqua ſunt impedientia, & ſunt *num.* 5. Votum, Interdictum, Sponſalia, Catechiſmus, & Crimen, de quibus egi *Part. prior. poteſt.* 152. & alia Dirim ẽtia, de quibus *Poteſt.* 153. hìc autem placuit clariùs omnia diſſerere, vt eorum notitia luceſcat poteſtas ab impotentia, ab ibi dictis.

ERROR

Scilicèt in ſubſtantia Matrimonii; vt ſi quis intenderet ducere Ioannam, ductamque inuenit eſſe Paulam; tunc Matrimonium eſſet irritum, ob ſubſtantialem errorem, ſecùs ſi error eſſet accidentalis.

CONDITIO

Scilicet ſtatus libertatis, vel ſeruitutis; vt ſi quis intenderet ducere in vxorem Paulam liberam, ductamq; inueniret ſeruam; Matrimonium fuiſſet inane, ob ſtatus conditionem.

VOTVM

Scilicèt ſolemne Religioſorum, eti-

etiam Æquitum S. Ioannis, vt ſi poſt ſolemne votum emiſſum Religioſus *Matrimonium* iniiſſet, eſſet excommunicatus, illudq; eſſet irritum, ex Clement. *De Conſang. & Affinibus.*

COGNATIO.

Scilicet naturalis, vel ſpiritualis.

1 Cognatio naturalis dicitur conſanguinitatis, quę in linea recta impedit in omni gradu in tranſuerſali, vſque ad 4.

2 Spiritualis, quæ oritur ex Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis, & impedit *Patrinos*, confirmatos, Patres, Matreſque supradictorum, vt inter ſe non contrahant, de quo meliùs, *P. poſt. Impot.* 12. — Addunt prætereà quidam, cognationem legalem factam videlicet, de Principis Supremi poteſtate, & Parentum, factam ſcilicet ex Poteſtate Patris, De qua Sanchez *tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 63. *num.* 8. ſed in praxi priora tenent.

CRIMEN

Scilicet ortū ex pluribus capitibus.

1 Ex homicidio coniugis, vt quando vir, & fæmina conuenirent ad occidendum coniugem, vt inter ſe contraherent.

2 Vel quando vnus coniugum alterum occidit, animo contrahendi cum adultero, etiam ignorante.

3 Ex crimine adulterii, & eſt quando alter coniugum promittit adulteræ, se illam ducturam mortuo viro.

4 Quando quis haberet Matrimonium ratum cum vna, & conſumaret cum alia. Quamplurimæ ſunt difficultates, & explicationes in hac materia, de quibus videto Sanchez huius Sacramenti Matrimonii optimus ſcrutator, *in diſp.* 79. *num* 10. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14, *num.* 3. & Dian. P. 10. *tract.* 13. *reſol.* 51. vide P. *prior. poteſt.* 154. *num.* 2. vbi de Vxoricidio, & Inceſtu occultis diſpenſabilibus ab Episcopo.

CVLTVS DISPARITAS

Scilicet, quando Alter coniugum erit infidelis, nam ſi fuiſſet hæreticus teneret Sacramentum, quia tantum extrinsecè malum eſſet, apud Sanchez *ibid. lib.* 7. *diſp.* 72. *num.* 5. Felin. & alios, quos citat Dian. *P.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 169.

VIS

Scilicet quando quis metu, vel consensu non contrahendi fieret Matrimonium. Ratio quia Miniſtri efficientes ſunt contrahentes, ſine quorum conſenſu, vel metu nil contrahitur, eorumque actus eſſet nullus.

LIGAMEN.

Scilicet, quando quis *Matrimonio* ligatus extaret, eſſet impotens ad contrahendum cum alia.

HONESTAS

Scilicet, quando quis haberet Matrimonium ratum, ideſt ſponſalia tantum, ex quibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

L Affi-

AFFINITAS

Scilicet, quando ex Matrimonio consumato, quis intra 4. gradum prohibetur, ob affinitatem, quam contraxit cum suæ coniugis Parentibus.

SI FORTE COIRE NEQVIBIS

Scilicet, quando instrumenta omninò inepta forent ad generationem, vel iis careret alter coniugum, cuius impotentia deberet esse perpetua, Medicorū consilio.

Hucvsque de iure antiquo, duo autem quę sequuntur addidit Trident. *sess. 24. cap. 6.*

SI SPONSVM RAPIAS

Scilicet, quando Vir raperet mulierem, ad nubendum, in quo parua, vel nulla libertas esset in Matrimonio, contra mentem Concilii, quod semper intendit libertatem nuptiarum, nè Virgines libere cogerentur.

SI CLANDESTINVS INIBIS

Scilicet, quando post acceptum Trident. contraheretur sine Parocho, & Testibus, quod nostris temporibus, & partibus est prohibitum, quidquid sit de aliis partibus, vbi Trident. non est receptum.

Collige ex dictis; Episcopum non posse in dictis impedimentis publicis dispensare, nām de occultis satis *Prior. part. citata* dixi, &

1 *In* illo coniugio substantialiter errato.

2 Nec accidentalitèr, si ob statum seruitutis.

3 Nec cum habente votum solemne Religionis ob annexum castitatis votum.

4 Nec cum naturalitèr, spiritualitèr, vel legalitèr cognatis.

5 Nec cum criminosis coniungibus homicidiariis, & adulteris.

6 Nec vt contraherent cum infidelibus.

7 Nec cum vi, & metu contrahentibus.

8 Nec cum ordinatis in Sacris.

9 Nec cum Matrimonio ligatis.

10 Nec cum sponsalia habentibus.

11 Nec cum Affinibus intra 4. gradum.

12 Nec cum impotentibus perpetuò coire.

13 Nec cum rapientibus de Paterna potestate sponsam

14 Nec si absque Parocho, & Testibus clandestinè contraxerunt, quorum ratio proxima est, quia de iure Ecclesiæ positiuo hæc omnia impedimenta dirimentia dicuntur videlicèt, quæ contrahendum impediunt, & contractum dirimunt, annullant, & irritant, Quare pro his recurrendum ad potestatem Papalem. De *Im*pedimentis denique solum impedientibus videto, *P. prior. potest.* 152.

De Episcopo non dispensante in Impedimentis dirimentibus occultis mala fide contractis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare in Impedim. Matrim. diriment. occultis, mala fide contractis.*

2 *Sed num possit Episcopus dispensare in Impedimentis dirimentibus occultis, quando esset aditus ad habentem facultatem?*

Impotentia LXXXIII.

1 NON potest Episcopus dispensare in *I*mpedimentis Matrim. dirim. occultis, mala fide contractir; post factum Matrimonium, ita non pauci apud Sanch. *lib. 2. disp. 11. num. 4. & lib. 8. disp. 6.* & quia dixi *Prior. part. potest.* 153. posse Episcopum relaxare in occultis bona fide, hìc ponitur impotentia pro Contrahentibus mala fide, in quibus fauor Ecclesiæ nō extenditur, ideò rationes ibi allatæ in fauorem Episcopi non habent locum hìc attenta malitia contrahentiū, nec presumitur velle Pontificem fauère malitiæ, qua data in coniugibus post factum Matrimonium, spe dispensationis careant, ex Trident. *sess. 24. cap. 5.* Quādo autem alter coniugum bona, & alius mala contraxissent, poterit in impedim. dirim. dispensari ab Episcopo; secùs si ambo mala, docuerunt multi apud Tambur. *De Matrim. tom. 2. cap. 4. §. 4. n. 8.*

2 *Sed nū potest Episcopus dispēsare in Impedimentis dirimentibus occultis, quando esset aditus ad habentem facultatem.*

Respond. Non posse Episcopum dispensare in Impedimētis dirimentibus *M*atrimonium occultis, quando esset aditus ad habentem facultatem, ita apud Nauar. *in Manual, cap. 22. nu. 85.* & alios, quos citat Sanchez *De Matrim. lib. 2. disp. 40. num. 8.* Ratio desumitur ex dictis *Prior. part. potest.* 152. vbi clariùs edocuimus: Episcopum posse in simplicitèr occultis, duobus concurrentibus, quæ sunt vrgens necessitas, & impotentia adeundi habentem facultatem, in quibus constituitur tota Episcopi potentia: & his, vel eorum aliquo non concurrente cessat, dicta potestas ad cessationem rationis fundamentalis; *I*dcircò data impotentia adeundi Nuncium, vel alium habentem facultatem, restat Episcopus potens ad dispensandum.



De Episcopo non dispensante cum exteris super interstitijs temporum ad ordines, absque licentia proprij Episcopi in litteris dimissorijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare cum exteris super interstitijs temporum, ad ordines, absque licentia proprij Episcopi in litteris dimissorijs.*

Impotentia LXXXIV.

1 NON potest Episcopus dispensare cum exteris super interstitiis temporum, ad ordines absque licentia proprii Ordinarii in litteris dimissoriis, prout resoluit S. Congregat. 9. *Aug.* 1593. apud *Molfes.* Pialecch.& Mirand. *in Manual. Prælat. tom. 1. quæst.* 38. *art.* 7. *concl.* 2. vbi sic: *Interstitias dispensare, spectare ad proprium Ordinarium, non verò ad Collatorem, nisi in aliena diœcesi id concedatur à proprio*, vt dixi P. *prior potest.* 90. quod etiam valet pro Regularibus, ex Decreto S. Congregat. apud Tambur. *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst* 25. sic: *Sacra Congregatio censuit, Superiores Regulares non posse dispensare super interstitijs Regularium Ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensandi iudicium suum formare debet, ex attestatione Superiorum Regularium.* Estò alii defendere conantur pertinere ad Superiores Regulares ex concess. *Greg.* 13. facta Societati Iesu, vigore cōmunicationis, & extensionis factæ ab aliis Summ. Pontificibus; ita De la Crux *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. apud Dian. *in Summ. V. Ordinis subiectum nu.* 32. & 37. Cætera ad hanc materiam videto P. *prior. V. Conferre ordines*, & *V. Dispensare, Potest.* 90. *citata.*



De Episcopo non dispensante ad ordines cum Bigamis veris, & interpetratiuis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare ad ordines cum Bigamis veris, & interpetratiuis.*

Impotentia LXXXV.

1 NON potest Epūs dispēsare ad ordines cū Bigamis veris, & interpetratiuis, cum Trid. *sess.* 23. *De Ref. cap.* 17. vbi interdicuntur Bigami in Minoribus constituti deferre clericalem tonsuram, & amplectūtur DD. apud Bonac. *De Irregul. disp.* 7. *quæst.* 2. P. 5. *num.* 15. cui accedunt quamplurima Sacr. Congregat. Decreta in fauorem positæ impotentię 13. *April.* 1630. & alia apud Barbos. *De Episcopo, Alleg.* 49. *num.* 25. vbi postquam defendit vnà nobiscum positam impotentiam, eam limitat in casu occulto, vel defectu Ministrorum Ecclesię. Clarior notitia resolutionis pendet ex dictis P. *pr.* P. 147. vbi fusè de Bigamis bigamia vera, interpetratiua, & similitudinaria, *ex Cap. Præcipimus, cap. Cognoscemus, cap. De Bigamis*, rationem addit Bellarminus, quia indecens, & indecorum esset videre hominem, primo lasciuiis datum, ad Ecclesiæ gradus ascendere, illumq; habuisse duas vxores,

Digitized by Google

res, & postea Missam celebrare, Propterea interdictum fuit, ne quidem ad minores ordines, nec Clericalem tonsuram deferre posse; quam sententiam notauit, & sequutus fuit Dian. P. 4. *tract.* 2. *resol.* 72. & Armendar. *in Recopil. legum*, Nauar. *lib.* 2. *tit.* 19. *num.* 16. videto pariter *Potest. tit. P. prior.* vbi dixi: posse Episcopum in sola similitudinaria dispensare, neutiquam verò in vera, & interpetratiua; nàm in similitudinaria non verè contrahitur Matrimonium, vt in vera, & interpetratiua, ideò &c.



De Episcopo non dispensante in quinque votis, seù iuramētis sollemnibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare in quinque votis, & iuramentis sollemnibus.*
2 *Casus notabilis de muliere Tertiaria.*
3 *Sed quanam sunt hac quinque Vota?*

Impotentia LXXXVI.

1 NON potest Episcopus dispensare in quinque votis, seù iuramentis sollemnibus. Ita quamplures magnę considerationis DD. apud Angelum, *V. Votum*, & Siluestrum, *ibidem quæst.* 6. Emanuel Rodriq. *in Summ. tom.* 2. *cap.* 97. *num.* 1. & Lesius *De Iustitia, lib.* 2. *cap.* 46. Quorum ratio fundamentalis est ipsa vetustissima Ecclesiæ consuetudo, quæ semper obtinuit eorum relaxationem à nemine, quàm à sede Apostolica demandari, itaque & si nullum ius scriptum habetur, standum immemorabili Ecclesię stylo, quod confirmat quotidiana praxis in Iubileis, & diplomatibus, vbi prędicta votorum relaxatio, S. Sedi reseruata est, ad effectum ait Lesius, eam subtrahendi à Confessariis Regularibus, nè pretestu, vel colore facultatum concessarum à S. Sede, à vinculis prædictis absoluāt. Nec dicas cum aliquibus, tunc dicta vota in Iubileis reseruari; non inquam, quia iubileum non reseruat, sed reseruata declarat; immò postquam indulget reseruatorum absolutionem, illa excipit, & pro semper reseruatis habere vult, Adeoq; illa particula exceptiua firmat regulam contrariam. — Aduerte tamen vota huiusmodi debere esse absolutè, & simplicitèr emissa, hoc est nulla causali conditionata, vel pœnali interiecta. Ratio quia si pendent à cōditione, vel pœna, poterit Episcopus dispensare, iuxta dicta *Pr. part. à potest.* 165.

2 *Casus notabilis de muliere Tertiaria.*

Mulier tertiaria emisso voto castitatis coram Parocho, & testibus non potest Matrimonium inire, absque Papæ dispensatione, cui reseruata sunt vota, ipsique erit relaxare, *ex cap.* Ex *multa*, *De Voto*, & Bolla Sixti .v. incipit: *Dominici gregis*. Sponsalia autem facta sub conditione (si *Papa* dispensauerit) esse valida, docuit Dian. P. 3. *tract.* 4. *resolut.* 290.

3 Sed

3 *Sed quænam ſunt hæc quinque vota?*

Reſpond. Summatim 1. Eſſe De intranda Religione approbata ab Eccleſia; dixi approbata alias ſecùs, quia votum foret inane, in Religione non approbata, ex dictis *Prior. part. poteſt. citata*.

2 De ſeruanda perpetua caſtitate, dixi perpetua, quia ſi ad tempus, poſſet Epiſcopus diſpenſare, iuxta dicta *Prior. part. poteſt. 166.*

3 De Peregrinatione ad Terram Sanctam, ſcilicèt Hieroſolymam.

4 De viſitandis SS. Apoſtolorũ Petri, & Pauli liminibus.

5 De petendo S. Iacobum Cōpoſtellæ. Quidam addunt ad Sāctam Domum Lauretanam. Tu vide *Poteſt. citatas*.



De Epiſcopo non diſpenſante in iure communi, vel canonico, abſque facultate ſibi delegata, tacita, vel expreſſa.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare in iure communi, vel canonico, abſque facultate ſibi delegata, tacita, vel expreſſa.*

Impotentia LXXXVII.

1 NON poteſt Epiſcopus diſpenſare in iure communi, vel canonico, abſque facultate ſibi delegata, tacita, vel expreſſa, *ex Cap: Cum inferior, De Maior. & Obedientia*, ita notauit Anguianus, *De Legibus, lib. 2. Controu. 3. num. 1.* Ratio, quia inferior tenetur ad legem Superioris, ſicut membra diriguntur à capite, adeoque Epiſcopus tenetur ad omnia ſalubritèr decreta, & ſancita, pro communi omnium ſalute, eo, vel maximè, quia Epiſcopus non condit, ſed condita ſeruare tenetur, aliàs nullum diſcrimen inter Prælatos Superiores, & inferiores. Dixi delegata, tunc enim videtur inferior agere oraculo Superioris, ſeù vigore, & virtute ſibi tributa à legis communis Conditore, cui eſt propriè relaxare, vel quod ſuum eſt alteri committere.

Itaque facultas diſpenſatiua vel expreſsè reſeruatur à Conditore, & tunc recurrit impotentia in Epiſcopo, niſi ob materiæ paruitatem, vel vrgentiſſimis iuſtiſq; cauſis concurrentibus, Puta de quarum formidine graue ſcandalum oriretur in Populo, vel vrgēs eſſet neceſſitas, & difficilis aditus ad Papam, aut eius Nuncium, in his videtur facta delegatio, ex quadam dulci legis interpetratione in perſonam Epiſcopi, qui tamquam tacitus Papæ delegatus ea poteſtate vteretur, qua Princeps in ſua lege, vt docent Nauar. *in Man. cap. 12. num. 85* Henriq. *in Summ. lib. 10. cap. 35. num. 3. & lib. 12. cap. 3. n. 1.* vel facultas diſpenſandi fuiſſet indefinitè relicta, ſeù nulla menſione facta de conceſſione, ſic defendit Barboſ. Epiſcopum habere poteſtatem relaxandi, ſeruatis cōditionibus, Ita *De Offic. & Poteſt. Epiſcopi, Alleg. 33. à n. 16.* & Notaui *Prior. part. poteſt. 157.*

De



De Episcopo non dispensante vt duo viri, vel mulieres in Patrinos assistant in Sacramento Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dispensare vt duo viri, vel mulieres pro Patrinis assistant in Sacramento Baptismi.*

Impotentia LXXXVIII

1 NON potest Episcopus dispensare vt duo viri, vel mulieres pro patrinis assistant in Sacramento Baptismi, ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. vbi habet, ad summum duos, quorum vnus vir, alter mulier esse posse, At supra Concilii dispositionem nullam Episcopus dispensandi authoritatem habet, ex decis. apud Zeroll. *in Praxi Aurea Episcopi, P.* 1. *V. Baptismus*, & Sanchez *lib.* 7. *De Matrimon. disp.* 57. *n.* 7. & recurrit resolutio adhùc in Procuratoribus, quia accessorium sequitur naturam principalis, apud Armendar. *in Addit. leg.* Nauar. *lib.* 4. *tit.* 15. *De Matrimon. in declar. num.* 75. & 80.



De Episcopo non dismembrante beneficia curata, vniendo simplicibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest dismembrare beneficia curata, vniendo simplicibus.*

Impotentia LXXXIX.

1 NON potest Episcopus dismembrare beneficia curata, & vnire simplicibus, sicut neque beneficia simplicia diuidere à Parochialibus, vt refert decisum Aloys. Ricc. *in Praxi Fori Eccles. decis.* 492. *in* 1. *addit.* & quia de vnione beneficiorum luculentèr egi, *Prior. part. potest.* 270. hic de Diuisione. Quod & si certum sit Pinguedinem Parochialis Ecclesiæ esse causam sufficientem dismembrationis, ex decisione, apud Seraphinum *ann.* 1595. *decis.* 1062: tamen id fieri non potest absque licentia, seù solemnitate in alienatione requisita, ex Rota *in Vna Saler. primo Iunij.* 1611. apud Farinaccium, P. 2. *tom.* 1. *decis.* 548. *num.* 2.



De Episcopo non diuidente Parochias, nisi ex necessitate.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest diuidere Parochias, nisi ex necessitate.*

Impotentia LXXXX

1 NON potest Episcopus diuidere Parochias, nisi ex necessitate, puta quando ob locorum distantiam Parochianis difficilis esset aditus ad propriam Parochiam, & tunc tamquam S. Ap. delegatus procedit, ita disponente Trident. *sess.* 21. *De Ref. cap.* 4. & quia de hac potestate in necessitate fundata fusiùs egi, *P. prior. potest.* 186. vbi de erectione alterius Parochiæ, ideò restat hic diuisio, quæ dicit duorum membrorum coexistentiam, quam non dicit noua erectio, Discrimen ergo inter vtramque affertur sic: in Erectione seruari oportet Textum *Ad audientiam Alex.* 3. cum omnibus conditionibus ibi adiectis, de quibus dixi *Part. prior. potest. citata*: in Diuisione verò vult Trident. seruari formam ibi traditam, illa excepta, (*etiam inuitis Rectoribus*) qui habent vocari; & audiri eorum interesse. At Episcopus attenta dicta necessitate Populorum non tenetur in diuisione sequi eorum dicta, sed procedit ad diuidendum, tamquam delegatus Apostolicus, sine qua delegatione non poterat ad diuisionem peruenire, sed impotens erat per contradictionem Parochorum, & est sensus nostræ resolutionis, ad subleuandam igitur impotentiam Episcopalem Concilium correxit textum præfatum, & tribuit facultatem sufficientem, & delegatiuam, ita quod etiam Parochis contradicentibus Episcopi procedunt.

E

De Episcopo non edente commentaria super Decreta Concilij Tridentini, absque licentia S. Apostolicæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest edere commentaria super Decreta Concilij Tridentini, absque Sedis Apostolicæ licentia.*

Impotentia LXXXXI.

1 NON potest Episcopus edere commentaria super Decreta Concilij Tridentini, absq; S. Apostolicæ licentia, sicut & cæteris omnibus prohibetur, ex va-

variis S. Congreg. Decr. necnon ex Bulla Pii 4. incipit: *Benedictus Deus*, apud Rayner. *De Confes. cap.* 1. Sub pœna suspensionis, & ab ingressu Ecclesiæ, etiam ad maiorem eorum roborationem, quod factum est matura deliberatione, quia Decretis dicti Concilii reformatur antiquum ius, roboratur Ecclesia, reguntur, & gubernantur fideles; hodiè enim Sacrum Trident. Concilium est candelabrum in medio positum, vt luceat omnibus, qui in Ecclesia sunt, lucerna ardens ante Pōtificis sedem, vt de ea omnes potestates in Ecclesia lumen accipiant, Euangelium Spiritus Sancti, cuius vox, ardor, & desiderium Animarum auditur, & admiratur; igitur eò nil sanctiùs, nilq; meliùs, quarè ne possit tergiuersatione celari, interdictum est glossare, commentaria edere, & explicationes emittere, etiam in fauorem, & robur dicti Concilii, & si quod dubium ineri ad S. Congregat. ad hoc specialiter institutā, tāquā ad eius interpetrē recurrendum, quod non intelligitur de interpetratione, quæ fit in scolis, docendo Barbos. *De Episcopo. Alleg.* 50. *n.* 133.



De Episcopo non eligendo, si fuerit illegitimus, & naturalis.

SVMMARIVM

1 *Episcopus eligi non potest si sit filius illegitimus, & naturalis.*

Impotentia LXXXXII.

1 NON potest quis in Episcopū eligi si sit filius illegitimus, & naturalis; moribus, vitaque turpis, atque doctrina imbecillis, ex Trident. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 1. idipsum statuit Greg. 12. Const. 8. incipit: *Ex iis à Sacris.* 3. *idus Nou.* 1374. Quamplurima extant Ecclesiastica idiomata, quoàd illegitimos, nè ad dignitates ascendant, vt videre est apud Barbos *in Summ. Apost. decis. V. Illegitimus.* Ratio tandem præcipua est, quia filii suorum Parentum sunt imagines, eorumq; actiones imitari conantur, & incontinentiam, vt plurimum illorum sequuntur, & scandalo sunt Populo, & hominibus, indè est quod iure ordinario interdicuntur eligi, & ascendere ad dignitates, & prælaturas. Vide retrò *Impotent.* 78. & 79.



De Episcopo non eligente sibi in Confessarium Sacerdotem non approbatū, seù nō Curatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest eligere sibi in Confessarium Sacerdotem non approbatum, seù non Curatum.*

Impotentia LXXXXIII

1 NON potest Episcopus sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non approbatum, seù non Curatum. Ita cum Suarez in 3. P. D. *Thom. disp. 28. sect. 4. num. 2.* vt notauit Barbos. De *Episcopo, Alleg. 54. num. 14.* cōtra Valerium tenentem Posse, *ex Cap. Ne pro dilatione*; sed facti controuersiam absoluit Gregor. XV. vt dixi *Potest.* 123. cum Dian. P. 3. *tract. 4. resol. 3.* Ratio quia Trident. correptiuum iuris antiqui, requirit Confessarium esse approbatum, vel Curatum, quod nō derogat Priuilegio Episcoporum, sed exigit idoneitatem saltem generalem approbationē pro omnibus Secularibus, Quare cum Episcopus ex priuilegio debet eligere idoneum, tenetur eligere approbatum, seu curatum, ita sentiunt multi apud Dian. *in Summ. V. Episcopi Iurisdictio, num. 58.*

Cōfirmatur hucvsque dictum ex illo S. Congregat. Decreto 24. *Septembr.* 1655. sub Alex. 7. vbi inter alias propositiones prohibitas est hæc: (*Qui beneficium curatum habet, potest sibi eligere in Confessarium Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario*) At Episcopus habet beneficium curatum, curamque Animarum; igitur, &c. Adde propositionem hanc prohibitam esse propter sensum, & opinionē, quam habebant DD. *in d. Cap. Ne pro dilatione*, de omnibus illis ibi recensitis, adeoque si eorū opinio erat probabilis modo improbatur. — Dices in electione censeri approbatum. Dicam ipse quod si nō, ecce *Impotentia*. Ricc. *in Praxi dec. 148. num. 2.* ait esse decisum de Sacerdote non sibi subdito. Gau. *Ench. V. Episcopus, num. 11.*



De Episcopo non eligente laicum, vel clericum coniugatum, aut bigamum in Vicarium generalem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest eligere in Vicarium generalem laicum, vel Clericum, aut Bigamum.*

Impotentia LXXXXIV.

1 NON potest Episcopus eligere in Vicarium generalem laicum, vel clericum coniugatum, aut bigamum. *Ita* sentiunt quamplures, apud Barbos. *De Potest. Episcopi, Allegat. 54. num. 13.* Ratio, quia laici coniugati, & bigami excipiuntur assumi ad dignitates, vt toties replicaui superioribus dictis, ex quarum exceptione insurgit Impotentia in Episcopo, vt possit illos eligere, ita discurrit, ex multis iuribus Vulpè *in Praxi Fori Eccles. cap. 40. num. 21.* Suadetur quoque, quia improbum esset cle-

Digitized by Google

ricos à laicis iudicati, contra immunitatem, tot per canones decisum, præcipuè in Bull. cœnæ. Neque decens est clericum coniugatum iudicatum exercère, ob eius incontinentiam, & fortiùs si esset bigamus. Neq; à Monacho absque Abbatis licentia, & Sacr. Congregat. inconsulta, prout sępè decidit in loco controuersię, apud Laurentium de Franchis, *Quæst.* 122. *Mihi, pag.* 48. Quod magis locum habet in Mendicantibus, Papa inconsulto, apud Azor. & Sbroz. *lib.* 1. *quæst.* 40. refert Barbos. *d. loco*, & quia totum hoc de iure positiuo procedit, nulli fas erit dubitare posse Impotentiam Episcopi subueniri à Summo Pontifice, vt ipse innui *Prior. part. De Vicario, Potest.* 111. *&* *De Laico potest.* 179, *atque De Fisco, potest* 215.

De Episcopo non erigente Ecclesiam in Collegiatam, Cathedralem, vel Metropolitanam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest erigere Ecclesiam in Collegiatam, Cathedralem, vel Metropolitanam.*

Impotentia LXXXXV

1 NON potest Episcopus erigere Ecclesiam in Collegiatam, Cathedralem, vel Metropolitanam, ita docetur ab Azor. *Inst. Moral. P.* 2, *lib.* 5. *cap.* 29. *quæst.* 25. apud quem cõstat clarè quòad Collegiatam, Ecclesiam, & Cathedralem, *ex Decreto Sacr. Congregat.* 27. *Iun.* 1616. declarante solius Pontificis esse tale munus abire, & de Metropolitana habetur expressè, *ex Cap. Ne Sede Vacante.* Quid autem sit de erectione Ecclesię in nouam Parochiam, dixi P. *Pr. potest.* 186. Firmant positam resolutionem dicta à Barbos. *in Summ. Apostol. decis. collect.* 272. vbi de Ecclesiis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus erectis à diuersis Summ. Põtificibus, puta Senensem Ecclesiam in Archiepiscopalem erectã *à Pio* 2. Bononiensem à *Gregor.* 13. Firmanam, à *Sixto* *v.* In Episcopalem, Lauritanam, Montis Alti, & Tolentinam *à Sixto. v.* S. Saturnini in *Prouincia* Marchiæ ab eodem Sixto, sicque de singulis, ex quibus apparet Impotentia Episcopi.

De Episcopo non erigente nouas dignitates, putà Archidiaconatum, Archipresbiteratum, & similes.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest erigere nouas dignitates, puta Archidiaconatum, Archipresbiteratum, & similes.*

Digitized by Google

Impotentia LXXXXVI

1 NON potest Episcopus erigere nouas dignitates, putà Archidiaconatum Archipresbiteratum, & similes, ita notat sit DD. apud Imola. *in Cap. Cum accessissent, num.* 4. *Rico.* 1. *edit. decis.* 382. vt fusè notauit Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 68. *num.* 12. verum ipse concordat dissonas opiniones sic: Vel dignitas est omninò noua in Ecclesia, sicque absque Papæ licentia non potest Episcopus creare, vel iam instituta in Ecclesia vniuersali quales sunt dictæ supra, sicq; ait posse cum concilio Capituli illã creare. Nõ est tamen recedendum à Sent. negatiua cum praxi. De suppressis autem non authoritate Ecclesiæ, sed defectu præbendarum, vel alio sinistro euentu, non est cur Episcopus non possit denuò resurgere, quia sic non nouiter, sed antiquas suffocatas reuocare diceretur.

De Episcopo non explorante Virginum voluntatem intra septa Monasterij, sed extrà in fenestella.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest explorare Virginum voluntatem intra septa Monasterij, sed in fenestella.*

2 *Sed num liceat Episcopo clausuram ingredi prætextu dandi habitum, vel ad Professionem recipiendi?*

Impotentia LXXXXVII.

1 NON potest Episcopus explorare Virginum voluntatem ad professionem intra septa *Monasterii*, sed in fenestella ex variis S. Congregat. decisionibus, apud Fuscum, *De Visitat. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 40. Gauant. *V. Monialium professio num.* 14. *&* 15. & quia de Potestate exploratiua egi *Prior. part. potest.* 208. hic de ingressus impotentia ad talem explorationem; & abolitis antiquis opinionibus, constat ex variis decisionibus roborantibus decretum Trident. *sess.* 25. *De Regul. & Monialibus cap.* 13. ex quibus nulla restat difficultas, nec dubitandi locus, præsertim post nouissimam Alex. 7. constitutionem incipit: *Felici*, 3. *Kal. Nouembris*, 1664. in qua strictiùs inhibetur ingressus Superiorum visitatorum, & aliorum, quibus cura Monasteriorum incumbit.

2 *Sed num liceat Episcopo clausuram ingredi, prætextu dandi habitum, vel ad Professionem recipiendi?*

Respond. Negatiuè ex *Sacr. Congregat.* 13. *Septembr.* 1583. apud Barbos. *in Summ. Apostolicarum decis. collect.* 153. *num* 5. & alia declarat: *in Siracusana* 16. *Octobris* 1600. in qua adhuc neq; ratione benedicendi, vel consecrandi Abbatissas, velum concedendi, electioni interueniendi, Moniales examinandi in visitatione personali, cũ hac om-

omnia peragi possint ad fenestellā, prout ipse ostendi *Parte priori, potestas* 219.


De Episcopo non explorante Virginis voluntatem in Monasterio ad petitionē illius, qui vult illā ducere in vxorē.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest explorare Virginis voluntatem in Monasterio, ad petitionem illius, qui vult eam sibi ducere in vxorem.*

Impotētia LXXXVIII.

1 NON potest Episcopus explorare Virginis voluntatem in Monasterio ad petitionem illius, qui sibi vult eam ducere in vxorem. ita decisum refert Armendar. *in addictione ad Recopil. leg.* Nauar, *lib.* 2. *tit.* 18. *num.* 88. & Campanil. *cap.* 16. *num.* 15. contra hominum malitiam, quæ legis retia perforare enixè studet, quęritque ducere puellas contrà earum libertatem ad suum ducere finem; ideò Ecclesia magnoperè vigilans, suis prędefinitionibus, & statutis decreuit, & decidit, prout supra. Quo casu professionis tempore expectato, ad crates ferreas explorare debet, vel si esset suspicio; puellam extrahere ad exteriorem Ecclesię locum, vel commodiorem ad explorandum, vt fusiùs dixi *Priori parte, potest.* 208.



De Episcopo non exercente Pontificalia, si ignorantèr fuerit aliqua censura irrètitus, sed non tolleratus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exercère pontificalia, si ignoranter fuerit aliqua censura irretitus, & consecratus, sed non tolleratus.*

Impotentia LXXXXIX.

1 NON potest Episcopus exercere Pontificalia, si ignoranter fuerit aliqua censura irretitus, & consecratus, sed non tolleratus. Ita apud Suarez *De Cens. disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 65. *ex cap. Gratiæ,* 1. *quæst.* 1. Ratio quia est ab exercitio dictorum Pontificalium suspensus, donec absolvatur non poterit ritè ad tale exercitium peruenire, prout melius in sequentibus patebit.



De

De Episcopo concubinario non exercente Pontificalia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exercère Pontificalia, si concubinarius existit, & à Synodo monitus non desistit.*

2 *Sed nùm à iure suspensus, possit à Concilio suspendi?*

Impotentia C.

1 NON potest Episcopus concubinarius exercère Pontificalia, si à Synodo monitus nõ desistit. Ratio quia vigore Trid. *sess.* 25. *De Ref. cap.* 14. suspenditur à Synodo, vt notarunt Auila *De Cens. P.* 3. *disp.* 2. *quaest.* 2. & Tolet. *Instruct. Sacerd. lib.* 1. *cap.* 47. *num.* 8. & quia poena indita à Concilio est in qualitatem concubinatus; ideò sola incontinentia non sufficit, sed requiritur si non dum emendatus vitiũ exercèret. Nec suspensio est ipso iure, sed Iudicis debet expectare sententiam; hoc est à constitutis à Synodo, quapropter Synodus Prouincialis habet potestatem suspendendi Episcopos post monitiones non emendatos, sicque suspensi post sententiam, Pontificalia exercere nõ possunt. Tandem perseuerante in concubinatu, ab eodem Concilio denunciatur ad Papam, vt docet Suarez. *De Cens. tom.* 5. *disp.* 31. *sect.* 3. & concordat cum dictis à me *Priori parte, potest.* 236. Reliqui verò Clerici post monitionẽ puniuntur ab Episcopo, ex eodẽ cap. Concilii, & *Bull. B. Pij .v.* vt notauit Garc. *De Benef. P.* 11 *cap.* 10. *num.* 187.

2 *Sed nùm à iure suspensus, possit à Concilio suspendi?*

Respond. Affirmatiuè cum Tolet. *d. loco, num.* 8. sicut excommunicatus à iure, poterit, & ab homine excommunicari, ita, & suspendi; Nota tamen dictas poenas ligare, nè dum Episcopos mulieres in domo detinentes, verùm extra domum; de quibus semper esset suspicio. Quid autem possit suspensus operare. Vide *Priori parte, potest.* 210.

De Episcopo non exercente Pontificalia in Episcopatu à quo fuit translatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exercère Pontificalia in Episcopatu à quo fuit translatus.*

Impotentia CI.

1 NON potest Episcopus exercere Pontificalia in Episcopatu à quo fuit translatus, ex multis iuribus apud Flamin. *De Resig. lib.* 3. *quaest.* 17. *num.* 19. Fuscus *De Visit. lib.* 1. *cap.* 28. *nu.* 10. Quorum aperta ratio est, quia iurisdictio prioris periit in translatione, & acquisita altera posterioris; adeoque respectu prioris remansit tamquam alienus, & nisi de licentia Ordinarii loci prio-

prioris poterit dicta munia habere. Quapropter citati DD. *Impotentiam* extendunt ad illum, cui concessa fuit dicta facultas exercendi tempore possessionis, & fauet ratio, quia si non valeret principalis, minus valebit commissionatus. Iuuant videre dicta de Translatione Episcopatus *Pr. part. potest.* 264.

De Episcopo non exercente quāplurima in paruis Cōuētibus suppressis, sibique à Sede Apostolica subiectis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exercère quamplurima in paruis Conuentibus suppressis, sibique à Sede Apostolica subiectis.*

Impotentia CII.

1 NON potest Episcopus exercère quamplurima in paruis Conuentibus suppressis, sibique à Sede Apostolica subiectis, in Constit. *Innoc.* x. incipit: *Instaurata*, In quam insurrexerunt quædam dubia, & ad ea iussu *Alexandr.* 7. Respond. *Sacr. Congr. sub die* 27. *Iulij* 1655. apud de Lantusca *V. Conuentus*, quorum aliquæ fuerunt affirmatiuæ, & faciunt pro potentia Episcopi, aliæ negatiuæ, & ad Impotentiam referuntur; videlicet.

1 Episcopus in paruis Conuētibus eius curę subiectis non potest Guardianos, vel Superiores locales, aut familiam collocare.

2 Nec in nō suppressos, aut restitutos conuentus cognoscere, an re ipsa alantur 6. Religiosi?

3 Nec in visitationibus eorundem aliquid nomine procurationis accipere.

4 Nec quando Superior peruenerit fabricare processum, contra Religiosum ibi degentem, & ipse recognoscere, nisi constiterit causa odii, cupiditas, & seueritas de Superiore.

5 Neq; potest prohibere amotionem factam alicuius Religiosi à suo Superiore. Hic claritatis gratia ponitur Decretū citatum, sub Alex. 7. quod est apud Lantusca *V. Conuentus*.

Decretum S. D. N. INNOCENTII PP. X. *super subiectione nonnullorum Conuentuum iurisdictioni Ordinarij loci tamquam Sedis Apost. delegati.*

Vt in paruis Regularium Virorum Conuentibus à Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa X. in Constitutione, quæ incipit, *Instaurata*, primum suppressis, ac deindè ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restitutis, & ipsis Religionibus denuò concessis, piè, & religiosè viuatur, ac regularia instituta quo exactiùs fieri potest observentur; Sanctitas Sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, & singulos Conuentus huiusmodi sic, vt prefertur, restitutos, & cōcessos in literis ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam regulares, quàm sæcula-

Digitized by Google

res in eis degentes visitationi, & correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarii loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegati, præsentis Decreti tenore plenè in omnibus subiecit, ac subiectos esse declarauit, donec ipsorum redditus quousque adaucti fuerint, vt in eis commodè sustentari valeant, & cùm effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè constiterit, & eius Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & non aliter.

Intereà verò voluit Sanctitas Sua, vt in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltē Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia restitutionis, & concessionis huiusmodi nulla sit, & inualida, & Ordinarii locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conuentibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem demandantur, perindè ac si gratia prædictę restitutionis, & concessionis non emanasset.

Insuper, quia multi sunt Conuentus, in quibus & si præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad obseruantiam Regularis disciplinæ, & idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominus siue ob reddituum diminutionem, siuè ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, siue ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum graui detrimento regularis obseruantię: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos eiusmodi Conuentus, vt præfertur, non suppressos, cuiuscumque sint Ordinis tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & instituti, etiam Societatis Iesu, aut Granciæ, seu Membra alterius Monasterii, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alerentur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitę, quorum ad minus quatuor, vt supra sint Sacerdotes maturę ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarii loci similiter, vt Sedis Apostolicę delegati plenè in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subiectus esse statuit, & declarauit.

Cæterum quoad Conuentus cum pauciori numero, quã duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Iunii 1625. & illorum subiectionem loci Ordinario Sãctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum fan. mem. Vrbani Octaui iussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit.

Et prædicta omnia, & singula in pręsenti Decreto statuta, & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ die 10. Februarii 1654.

B. Card. Spada.

Loco ✠ Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secret.

De-

Declarationes Decreti San. mem. INNOCENTII *Papa* X. *super subiectione nonnullorum Conuentuum iurisdictioni Ordinarij loci à Sac. Congregatione super Statu Regularium editæ, atque à Sanctissimo D. N.* ALEXANDRO *Papa* VII. *approbata.*

Posito Decreto fel. record. Innocentii Papæ *Decimi* super subiectione nonnullorum Conuētuum correctioni, visitationi, & omnimodę iurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Ap. *Delegati*: contingit dubitari de infrascriptis.

1 An Episcopus in Conuentibus suæ iurisdictioni subiectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.

2 An possit Episcopus à prædictis Conuentibus Religiosos amouere.

3 An Regulares eorumdem Conuentuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.

4 An Episcopus in eisdem Conuentibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt.

5 An Ecclesiæ dictorum Conuentuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conuersi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint.

6 An ipsę Granciæ, & Conuersi in eis degentes subsint visitationi Episcopi.

7 Quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conuersus, an similiter subsint Episcopi visitationi.

8 An liceat Episcopo visitare Conuentus tam suppressos, & postea restitutos, quàm nō suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi.

9 An Episcopus visitans huiusmodi Conuentus suæ iurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes possit à visitatis procurationem exigere, in victualibus, vel in pecunia.

10 An iurisdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicę Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicariis Generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Pręlatis proprium Territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

11 An Prouinciales, & alii Superiores, Regulares possint eiusmodi Cōuentus iurisdictioni Ordinarii subiectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque iurisdictionem in eos exercere sicut poterāt ante dictum Decretum.

12 Si Superior Regularis in causa pręuenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conuentibus Ordinario subiectis fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere.

13 Si è conuerso Episcopus præuenerit in causa contra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiori Regulari eo in casu liceat illum amouere, & in alio Conuentu collocare, & si de facto collocauerit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentum.

14 Si Prouincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conuentu remouere, An Episcopus prohibere possit.

15 Si à Conuentu primum suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus vnus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus, vt prius.

16 Quid si à Conuentu nō suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia Conuentus subiaceat iurisdictioni Ordinarij.

17 An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum Conuentus recuperet pristinam exemptionem.

18 Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formā Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, vt eiusmodi numerus impleatur; an gratia restitutionis Conuentus reuiuiscat.

19 Ad hoc, vt gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus denuò remaneat suppressus propterea quòd in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat procedere declaratoria Episcopi super facto præuia causæ cognitione.

20 An ab huiusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedē Apostolicam appellare ad effectum tam deuolutiuum, quàm suspensiuum.

21 Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conuentibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quæritur, an ad hunc effectum ætas maturior.

Sacra Congregatio super Statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum Respondit, videlicet.

Ad 1. Non posse.

Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, vt eosdem Religiosos assignet in aliis Conuentibus.

Ad 3. *Posse competere.*

Ad 4. Posse.

Ad 5. Posse.

Ad 6. Subesse.

Ad 7. *Iisdem subesse.*

Ad 8. *Minimè licere, nisi quā aliundè constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto.*

Ad 9. Expedire, vt Sanctissimus dominus Noster decernat, & declaret non licère Episcopo tales Conuentus visitanti quicquā accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Posse sicut prius, non tamen priuatiuè ad Episcopum.

Ad 12. Non posse, nisi ex iusta causa, veluti cum videt Superiorem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia seueritate, vel indulgentia quid durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amouere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscumque remediis reuocare, etiam inuocato auxilio Ordinarij, & brachio sæculari, si opus fuerit,

erit, cuiuſcumque loci, in quo Religioſus ille reperiatur.

Ad 14. Non poſſe.

Ad 15. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec Conuentum remanere ſuppreſſum.

Ad 16. Subiacère durante abſentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reuiuiſcere.

Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo Conuentus poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum deuolutiuum tantum, non autem ſuſpenſiuum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas Sāctiſſimus Dominus noſter ad ſe relatas approbauit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſeruari præcepit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ die 27. Iulii 1655.

B. Card. Spada.
Loco ✠ Sigilli.
Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.



De Epiſcopo non exigente charitatiuum ſubſidium ab Eccleſijs exēptis.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt exigere charitatiuum ſubſidium ab Eccleſijs exemptis.*

Impotentia. CIII.

1 NON poteſt Epiſcopus exigere charitatiuum ſubſidium ab Eccleſis exemptis, præſertim plena exemptione. Ita ſuſtinent Cochier. *De Iuriſd. Ordinaria in exemptos. P. 4. quæſt. 9.* & de Franchis *in Controu. inter Epiſcopum, & Regul. quæſt. 21.* vbi atque extendit caſum ad clericos pauperes, Quorum ratio eſt quia exactio non debet tanti ponderis eſſe, vſque ad minorandum victum pauperum Clericorum. Caſus verò propoſitus recurrit in fauorem exemptionis; ratione cuius non tenetur Eccleſia dare charitatiuum ſubſidium, ſicut cæteræ Eccleſiæ ſibi pleno iure ſubiectæ, de quibus egi *Prior part. poteſt. 220. & 225.* — Dixi præſertim, ad ſignificādum eſſe quaſdam Eccleſias, & perſonas quadam ratione exemptas, alias verò omni ratione, de quibus in inferioribus dicam, & dixi *P. prior. poteſt.* 204. quod ſi valet exemptio in illis aliquo iure, magis præualebit in illis, omni iure, ſic Bellett. Alex. de Nouo *Conſil.* 57. *num.* 1.



De Episcopo non exigente quartam decimarũ, ab Ecclesijs inferioribus, seu Monasterijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exigere quartam decimarum de Ecclesijs inferioribus, aut Monasterijs.*

Impotentia CIV.

1 NON potest Episcopus exigere quartam decimarum ab Ecclesiis inferioribus, aut Monasterijs. *Ita* tenet Cochier. *P. 1. quaest. 15. & 16. num. 6.* Abb. & Bertachin. *Tract. De Episcopo, lib. 4. P. 2. quaest. 55. num. 80.* Quorum ratio est quia de iure communi, (quidquid sit de particulari cuiusdam Diœcesis) tale ius solũ Curatas Ecclesias respicit, prout ipse loquutus sum *Pr. part. potest. 200.* iuuatque videre sequentem *Impotentiam.*



De Episcopo non exigente portionem Canonicam de locis exemptis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exigere portionem canonicam de locis exemptis.*

Impotentia CV.

1 NON potest Episcopus exigere portionem Canonicam de locis exemptis. Ita statuentibus pluribus diplomatibus SS. Pontificum, vt notaui *Priori parte, potest. 202.* nam cessant illæ rationes in locis exemptis, ob fauorem Ecclesiarum, quarum exemptio derogat iuri communi, & annullat ius exactiuum in Episcopis. *Ita* DD. communitèr apud Alfons. de Leone, *De Officio Cappellani quaest. 4. prax. 6. num.* 100. Scito autem Priuilegia Regularium *Potest. cit.* simulque Priuilegia quorumdam testamẽtorum, ratione qua non potest Episcopus exigere portionem per S. Canones constitutam.



De Episcopo non exercente iurisdictionem in Regulares exemptos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest exercère iurisdictionem in Regulares exemptos.*

Impotentia CVI.

1 NON potest Episcopus exercère iurisdictionem in Regulares exemptos. Ratione, & iure precilo ipsis à diuersis Sũm. Pontificibus concesso, vt dixi *Pr. P. potest. 110. num. 2.* Quapropter

ter Cœnobia, cunctaque Monasteria vtriusque sexus de iure communi subiecta extiterāt Episcopis, in quorum diœcesibus sita erant, *ex Cap. Abbates, & Cap. Monasteria*, vt notat *Mendos. De Signatura gratiæ*. Hodie tandem vigore diplommatum *Ecclesiasticarum* dicta Cœnobia, & Monasteria Regularium sublata, & exempta sunt ab Episcopis, translato iure Episcopali, ad ipsos Regulares, vt docuit Nauar. *De Priuileg. consil.* 23. qua ratione Prouincialis succedit loco Episcopi, & dicuntur habere iurisdictionem quasi Episcopalem in eorum subditos. Superiores verò locales tanquam Parochi substant directioni, & regimini Prouincialium. Quapropter Episcopus ampliùs non potest admittere ad professionem Monasticam Abb. *in Cap. porrectam, num.* 11. *De Regul.* — Nec dispensare cum Regulari, vt transeat ad minus strictam Religionem. Angelus *V. Relig. n.* 36. — Nec elargiri facultatē Regulari eūdi ad studia absque Superioris licentia, Gloss. *in Cap. positione, cap.* 2. *Nè Clerici.* — Nec vt Religiosus sit testamentorum executor, Bald. *in Rubrica, De Maior. & Obed.* — Nec assumere Monachum in sui procuratorem absq; Abbatis licentia. Sanch. *tract.* 2. *lib.* 6. *cap.* 13. — De Potestate tādem Episcopi erga Regulares dixi abundè *Pr. part. potest.* 196.

De Episcopo nil faciente, seu non disponente de fructibus perceptis translatus ad alium Episcopatum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus nil potest facere, seu disponere de perceptis fructibus, translatus ad alium Episcopatū.*

Impotentia CVII.

1 NON potest Episcopus facere, seu disponere de perceptis fructibus, translatus ad alium Episcopatum, ita Iurisconsulti Paul. *consil.* 337. & Barbat. *Cleric.* §. 8. *num.* 6. Sensus impotentię refertur ad fructus perceptos, seù res emptas, vigore officii, non verò personatus, de quibus dixi *Pr. part. potest.* 263. vt sunt libri, paramenta, ornamēta, Argentariæ suppellectiles, quę omnia dicuntur ex redditibus Episcopatus emi, & relinqui debent in priori Episcopatu, & non transferri vnà cū Episcopo translato. Tum quia illi fructus sub-

sunt

sunt dominio Ecclesię, de cuius redditibus, & capitale empta fuère dicta bona. Tum etiam quia translatio refertur ad solam personam, & alia bona vigore personatus acquisita, de quibus paritèr egi *Potest. cit.* quę possunt transferri, & transportari, immò & testari, vt docuit Sotus *De Iustitia lib.* 10. & magis De Monacho solam habēte administrationem, proprietate, & dominio, penès Ecclesiam residentibus, vide Summ. Dian. *V. Votum. n.* 3.

Hic subnectere placuit. Quid nomine spoliorum ab Ecclesia, & dico Episcopum ad aliam Ecclesiam translatum non posse spoliare illam supradictis ornamentis, neque supellectilibus domesticis, vt voluit B. Pius .v. incipit: *Romani Pontificis*, *ann.* 1567. Neque bonis clericorum non excedentium summam docatorum 30. Paul. v. incipit: *in Eminenti*, 1606. & Sixtus .v. *in Conferendis*, 1590.

Bona verò spoliorum propriè sunt illa à personis Ecclesiasticis disposita de Ecclesiā absque licentia Sed. Apostol. Paul. 3. *Const.* 29. & 49. ac Pii .4. *Const.* 8. Vel acquisita ob illicitam negotiationem B. Pio .v. *Const.* 19. Vel relicta illegitimis Paul. v. *Const.* 24. Vel bona Regularium morientium extra residentiam Pii .4. *Const.* 90. Vel denique fructus beneficiorum Italiæ, quę vocant Sedi Apostol. ex *Pio* .4.



De eo, qui Episcopatum acceptare non potest quādo votum ingrediendi Religionem emisit.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus fieri non potest ille, qui habet votum ingrediendi Religionem nisi eo adimpleto.*

Impotentia CVIII

1 NON potest quis fieri, seù acceptare Episcopatum habens votum ingrediendi Religionem eo non adimpleto, ita *ex Cap. Per tuas*, 10. *De Voto.* Ratio quia licet transiret à Religione ad Episcopatum, tamē voti adimpletio nō impeditur, quod si vtcumque adimplere potest, id fieri oportet; Idipsum si factus Episcopus regrederetur, teneretur ad Religionem redire, *ex Cap. Præuenit. in* 2. *De Iuramentis.* & *Cap. Veniens*, *De Regularibus.* Ita refert, & sequitur Barbosa, *De Officio, & Potest. Episcopi*, *Alleg.* 53. *num.* 25. & 26.



De

De Episcopo non habente ius eligendi, seù conferendi Beneficia in mensibus Apostolicis pro alternatiua, adhuc facta residentia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest habere ius eligendi, seù conferendi Beneficia in mensibus Apostolicis, adhùc facta residentia.*

Impotentia CIX.

1 NON potest Episcopus habere ius eligendi, seù conferendi Beneficia in mensibus Apostolicis alternatiuis, adhùc facta residentia. Ita non pauci Iurisconsulti apud Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 53. *num.* 28. & quia ratio fundata pendet ab explicatione, ideò scito: Episcopum de iure ordinario habuisse ius conferendi omnia beneficia Ecclesiastica in sua Diœcesi consistentia, *ex Cap. Ab exordio* 35. *dist.* in omnibus mẽsibus, per iura allignata à Gomes. *De Expect. num.* 3. *&* 8 apud Zeroll: *in Praxi Episcopali V. Beneficia, §. Ad secundum*; hodiè tamen hæc amplitudo iuris fallit per regulas Cancellariæ, quibus solum conceditur Episcopis posse conferre Beneficia vacantia in quatuor mensibus, qui sunt in quolibet ternario mensium; incipienda à Ianuario, Erunt igitur menses Episcopales; Martius, Iunius, September, & December, Quandò tamen Episcopus obtinuerit à Papa alternatiuam cum onere residendi, tunc erunt ex *Bull. B. Pij. V.* 6. menses Papales, & 6. Episcopales tali ordine. Ian. Papalis, Febr. Episcopalis, sicque deinceps: Ex quo in alternatiua Papales erunt, Ian. Martius, Maius, Iulius, September, & Nouember. — Episcopales verò Febr. April. Iun. August. October, & December, In quibus videtur, menses Iun. & Decembr. eosdem semper esse tàm in alternatiua, quã extra illã, & dicuntur menses fixi. Martius autem mutatus in Febr. & Septẽber in Aug. & dicũtur varii. — Apostolici verò fixi sunt Ian. Maius, Iulius, & Nouember.

Regula cessationis mensium Apostolicarum, & Ordinariorũ hæc est, in media nocte vltimi diei mensis, pro qua standum horologio Parochiæ, hoc est sublimiori, de quo non ambigitur, & vbi 1
non erit horologium, standum Galli cantui, vel meliùs testimonio plurium, ita docuit Ioseph Perusina, & alii, quos citat, & sequitur Dian. p. 4. tract. 3. r. 19.

Quibus omnibus notatis controuertitur apud *Mesrob in Prax*

xi Prelat. 23. *dub.* 2. An Episcopus accepta alternatiua habeat ius eligendi in mensibus fixis, & semper Apostolicis, & Resolutio habetur negatiua. Ratio quia nulla data residentia habet Episcopus menses fixos, Iun. & Decembrem, in quibus adhuc nulla facta residentia potest conferre dignitates, & beneficia, ideo data quacunque alternatiua, & residentia nullum habet ius in mensibus fixis, & Apostolicis.

Conformiter dictis 4. notantur Regulæ alternatiuę post accepta in dataria.

Prima. In mense Apostolico non incipit vsus illius, nisi eo trãsacto, secùs in mense Ordinarii.

Secunda. Menses Aprilis, & Octobris semel facti Apostolici propter absentiam Ordinariorum, tales semper remanent, quamuis Episcopus de nouo reuerteretur.

Tertia. Mẽses Febr. & August. semel facti Apostolici propter absentiam Ordinariorum, tales esse non desinunt, reuertente Ordinario.

Quarta. Menses Iunii, & Decembris nunquam sunt Apostolici, etiam si nunquam Ordinarius resideret. Hæc Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 53. *à num.* 38. cui adhærent decisiones Rotæ *sub* 10. *Aprilis* 1617. & Const. Vrb. 8. incipit: *Sancta Synodus* 17. *Decembris* 1677.

De Episcopo nil immutante in ea Puella, cuius Professio facta fuit in Monasterio absque debitis explorationibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus nil potest immutare, vel irritare in ea Puella, cuius Professio facta fuit in Monasterio absque debitis explorationibus.*

Impotentia CX.

1 NON potest Episcopus aliquid immutare, vel irritare in ea Puella, cuius professio facta fuit in Monasterio, absque debitis explorationibus. Ita Lezana Cap. 14. num. 20. & Tambur. *De Iure Abbatiss. dispu.* 6. *quæst.* 3. *num.* 6. Rationes adducuntur. Eo quia tales explorationes volitæ à Trident. *sess.* 25. *De Regul. cap.* 17. non sunt ad substantiam, & Professionis essentiam, sed sedandas lites, peracta professione, ad congruentias, decentiamque status. Sciendumque ipsam, Religionis oneribus, nec non Monasterium recipere paratum,

15 enimverò Nouitiatus institutio est, vt probet, & ꝓbetur, Nouitius qđ sufficiēter cōstat pro validitate suæ professionis, ex Monialium votis, & ipsa volente profiteri. Accedit prçterea, quod si non Episcopus, saltèm Abbatissa, vel eius magistra supponitur munus illud obiisse. Vnum restat notare: explorationem scienter relictam, non sine graui culpa Episcopi transire, quia violatur Tridentini prçceptum. — De modo tandem explorationis faciendç, egi *Pr. part. potest.* 208.



De Episcopo non incidente in casus à se reseruatos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest incidere in casus à se reseruatos.*

Impotétia CXI.

1 NON potest Episcopus incidere in casus à se reseruatos. Ita Mauritius, Alzedo, *De Precell. Episcopi*, P. 1. *cap.* 5. *n.* 125. & Alii, quos refert Barbos, *De Episcopo, Alleg.* 52. *num.* 1. Ratio cuiusmodi *I*mpotentiç, seù meliùs non incursionis est eminentia, & potestas, quam habet Episcopus ferendi leges, & reseruandi, ligandi subditos, tamquā caput: suam maiestatem, & potentiam exercendo, ex quo nullus Legislator, seù Superior dicitur ligari suis à se emissis legibus, nec supponi illis, nisi quantum ad exteriorem obseruantiam, ad quam via directiua, dirigēdo subditos tenetur, quod habet locum in foro exteriori: hic autem est sermo de foro interno quod homo non iudicat.

De Episcopo non indulgente, vt quis ante annum 14. obtineat beneficium simplex.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest indulgère vt quis ante annum 14. obtineat beneficium simplex.*

Impotentia CXII.

1 NON potest Episcopus indulgère quempiam ante annum 14. obtinère beneficium simplex, sub nullitatis collatione, ex S. Congregat. apud Armendar. *in Add. ad recopil. legum Nauar. lib.* 1. *tit.* 18. *L.* 7. Vbi docet nō teneri obtinens beneficium simplex compleuisse præfatum annum, sed sufficit incepisse ex eadem S. Congregat. *in Vna Adrian.* 22. *Nou.* 1604. & notat Barbos. *in Summ. Apost. decis. V. Beneficium simplex, collect.* 64. *num.* 1. & 2. Quæ omnes decisiones sectantur determinatum à Trident. *sess.* 23. *De Ref. cap.* 6. *I*mmò prohibitio facta ne dum habet locum pro obtinendo beneficio per viam præsentationis,

Digitized by Google

electionis, vel alterius cuiuslibet prouisionis, docent DD. propter verbum generale: *Obtinere. Ita Mendoza, in Tract. De Minori ætate, cap. 4. num. 57.* & quia abundè dixi De Collatione Beneficiorum, *tr. part. 1. à potestate* 73. ideò satis.



De Episcopo non indulgente Matrimonium contrahi absq; Parocho, & Testibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest indulgere Matrimonium contrahi absque Parocho, & Testibus.*

Impotentia CXIII.

1 NON potest Episcopus indulgere Matrimonium contrahi absque Parocho, & testibus. *Ita DD. infra;* quorum ratio, quia Tridentin. dispositio *sess. 24. De Sacram. Matrim. cap. 1.* irritat, cessat, & annullat Matrimonia Clandestina facta, videlicet absque Parochi præsentia, & benedictione, nec quoad hoc committitur iudicio, & prudentiæ Episcopi, veluti fecit pro denunciationibus, quidquid sit de Matrimonio ante Tridentinum; modò autem substantialiter, & essentialiter requiritur Parochus, cum Testibus ad validandum contractum matrimoniale, in quo stat Sacramentum, quare aliàs factum erit irritum, inane, & nullius roboris, atque adeò iterandum; ex quibus omnibus insurgit *Impotentia* in Episcopo ad indulgendum Matrimonii celebrationem absque præfatis Parocho, & testibus.

Nec dicas Episcopum dispensare posse data vrgenti necessitate, putà in mortis Articulo pro legitimandis filiis, ad maiorem Cõscientiæ tranquillitatem, Non inquam, quia Concilium irritat actum non seruata forma tradita, de præsentia prædictorum. *Ita* communiter DD. apud Hurtado in *simili tractatu, disp. 5. diff. 3.* Nec iterum dicas actum validum esse ob contrahentium efficientiã; etenim sola causa efficiens non sufficit absque formali ad validandum actum, ideò dato consensu contrahentium, tamquam causa efficiens, dari debet forma ab Ecclesia volita, & necessariò requisita, quæ est solemnitas *Parochi*, & testium, in quo stat validitas contractus formalis, modò sic acceptus ab Ecclesia; pro validitate Matrimonii; ait enim Parochus. 1
Ego vos coniungo, igitur absque Parocho coniungente, correlatiuus contrahentium consensus non sufficit.

Quod & si verũ in iure sit, Matrimonium celebratum absque præfata forma, iterum debere replicari eadem forma, cum iisdem Parocho, & testibus. Quid erit de Matrimonio celebrato coràm præfatis occultè, sed absque consensu contrahentium; num erit iterandum coràm iisdem? Variæ sunt opiniones, apud Bonac. *de Matrim. quæst. 2. P. 9. num. 10.* vbi vna cum clarioribus negatiuè respondit, adeòque non esse iterandum coràm dictis.

Digitized by Google



De Episcopo non indulgente, vt quis cum Excommunicato communicet.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest indulgere, vt quis cum Excommunicato communicet.*

Impotentia CXIV.

1 NON potest Episcopus indulgere, vt quis cum excommunicato communicet. Ita tenent Ioan. Adreas, *De Sent. excommunicat. in Cap. Cum desideras*, Soncin. & Alii. Ratio quia hæc suspensio, seù effectus excommunicationis diuisio, non est in manibus Episcopi, ideò vana, & irrita fuisset indulgentia ab ipso concessa communicandi cum excommunicato, tanto quod nec ipse posset cum à se excommunicato communicare, absque incursione excommunicationis minoris à iure fulminatæ contra communicantes in crimine criminoso, apud Couar. *in Cap. Alma Mater*, & Henriq. *in Summ. lib.* 13. §. 4.

Non desunt tamen casus, quibus licet communicare cum huiusmodi censura ligatis; extra quos currit præfata impotentia vt communiter docent DD. apud Tolet. *Instruc. Sacerd. lib. 1. cap.* 11. *à num.* 1. ex mente D. Thomæ. 4. *D.* 8. *art. quæstiuncula* 1. Suntque dicti casus in hoc versiculo contenti.

Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Vtile — hoc est allocutio spiritualis ad vtilitatem excommunicati, vt sibi consulat.

Lex — hoc est, v. g. Mulier poterit de lege maritali reddere debitum, alloqui, & vesci cum Marito.

Humile — hoc est famulatum, & vsum seruorum, & filiorum nō esse denegandum excommunicato.

Res ignorata — hoc est quando quis nesciret cum quo loqueretur, esse excommunicatum.

Necesse — hoc est occurrente graui necessitate, putà Consilii, Refugii, Eleemosynę petendæ, vel donandæ, extra quos casus, nec licet communicare, nec Episcopus dispensare potest. De celebrante autē scienter coram excōmunicato, vide *P. pr. pot.* 159. *num.* 3.

De Episcopo non ingrediente Monasteria Monialiū extra casus nō necessarios.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus nō potest ingredi Monasteria Monialium in casibus non necessarijs.*

Impotentia CXV.

1 NON potest Episcopus ingredi Monasteria *Monialium* in casibus non necessariis, ex Bull. Greg. 13. incipit *Dubijs* 1. *Decembris* 1581. sub pœnā suspensionis pro prima vice, & ab ingressu Ecclesiæ; Pro secunda, à Diuinis, & pro tertia, sub excommun. ipso facto incurrenda, etiam si sit Cardinalis. Referunt Filiuc. *Inst.* 17. *num.* 167. & Rayn. *cap.* 1. *supra* 30. & quia de hoc casu sum *Priori* parte loquutus *potest.* 219. extra quos non licet absque pœnę incursu ingredi.

Nō nego tamē, posse Episcopū, seù alii Superiores ingredi, in illis casibus, in quibus, & possunt aliis licentiam prestare, idque absque pœnarum incursione, vt notauit Barbos. *De Officio, & Potestate Episcopi, Alleg.* 112. *num.* 43. ex prefatæ Bullę tenore, cui accessit nouissima Constitutio Alex. 7. incipit: *Felici*, cuius memini supra *Imp.* 97. De *Muliere* autem nobili ingrediēte vigore *Breuis*. vide supra *Impot.* 34. *num.* 4. *fol.* 38.



De Episcopo non ingrediente Monasteria Monialium Regularibus subiecta, extra casus de Clausura.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest ingredi Monasteria Monialium Regularibus subiecta, extra casus de clausura.*

Impotentia CXVI.

1 NON potest Episcopus ingredi *Monasteria* Monialium Regularibus subiecta, extra casus de Clausura, vt innui *Prior. part. potest.* 268. *Ratio* quia, & Episcopi includuntur in prohibitione Decreti Concilii Trident. *sess.* 25. *De Ref. cap.* 5. vt notauit Nauar. & refert Tamb. *De Iure Abbatiss. disp.* 24. *quæst.* 9. *num.* 1. & est à Sacra Congregatione decisum, 10. *Maii*, 1631. vt notauit Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi Allegat.* 102. *num.* 42. Adeòque pro Episcopis requiritur licentia Superiorum, quorum interest in scriptis ad ingressum. Idipsum de *Monasteriis* extra propria, & in aliena Diœcesi, nec ingredi posset septa sine licentia Episcopi prohibentis in Synodis, vel edictis.

De Episcopo non ingrediente Religionē approbatam absque Papæ licentia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest ingredi Religionem approbatam, absque Papæ licentia.*

Impotentia CXVII.

1 NON potest Episcopus ingredi Religionem approbatā, absque Papæ licentia, nec vouē-

re

re illã ingredi, & exequi. Ità docent Valer. & Reginal. *in Praxi Fori Pœnit. lib. 18. num. 377.* apud *Menoch. De Arbitr. cas.* 413. Ratio quia non licet à dignitate Episcopali, quę est altior statu Religiosorum recedere; & sicut perfectio esset desiderare, & accedere ad Episcopatum, iuxtà monitum Pauli ad Timoth. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonũ opus desiderat.* Ita imperfectio ab illo recedere, Nec votum esset laudabile, quia non de meliori bono, cum Religio sit minus bonum, quàm Episcopatus.



De Episcopo non imponente pensiones Ecclesijs absque Capituli consensu.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest imponere pensiones Ecclesijs absque Capituli consensu.*

Impotentia CXVIII.

1 NON potest Episcopus imponere pensiones Ecclesiis, absque Capituli consensu. *Ita tenent* Rebuff. *De Pacificis Possessionibus, num.* 108. Abb. *cap.* 3. *in D. Pastoralis*, & probant; quia Episcopus non potest alienare absque debitis solemnitatibus, at pensionem imponere Ecclesiis esset sàpere de alienatione, ideo; hæc apud dictos Authores.



De Episcopo non inquirente de Visitatione, facta præscriptione 40. Annorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest inquirere de Visitatione, facta præscriptione 40. Annorum.*

2 *Sed nùm prescriptio currit in omnibus casibus?*

Impotentia CXIX.

1 NON potest Episcopus inquirere de Visitatione, facta præscriptione 40. Annorum; sed debet illã relinquere, prout præscripta fuit, & declaratur sic: Visitationem præscribi posse, non eo sensu, quo corruptionem morum euertit, sed contra Episcopũ, nè visitet, quo 2. sensu præscripta Episcopus amplius visitare non valet, propter ius deuolutum ad alium vi præscriptionis. Neutiquam verò in priori sensu, quia contra commune bonum; nulla enim lex contra aliam inducitur, sed in fauorem, quare facta prædicto sensu, videtur alienatio iuris visitandi ad alium, non verò finis visitationis. Ait enim Barbos. *Alleg.* 129. Quod si præscriptio impediret morum correptionem, & reformationem Ecclesiarum, tamquam odiosa, & bono communi infona, rescindi, & non admitti debere. Secùs illa, quæ non impedit, quàm trans-

Digitized by Google

transferri diximus ad alium, cum *Molina, De Iustitia, tract. 2. disp.* 79. apud Farinac. *P. 1. recens. decis.* 394.

Addo: manente onere visitandi in eo, cui facta est præscriptio, manère quoque in visitatis onus procurę in sustentationem, ex lege Canonica, & ducitur ex eo quia Visitantes spiritualia seminant, sed non infructuosè, ideò seminanti debetur. Nec obstat: redditus Episcopatus esse sufficientes, idest ad magis alliciendum visitantes, pro occurrendis necessitatibus spiritualibus visitatorū. Lege *Marian. De Visit. num.* 37. *in Cap. Si Episcopus. De Officio, Ordinar. lib.* 6. At Tridentin. *sess.* 24. *De Ref. cap.* 3. ad terminos consuetudinis reduxit, & abstulit à terminis præscriptionis, quę tamen locum habere dicunt DD. in modo v. g. in pecunia, vel aliis rebus prædict. cap. Cōc. *vers. Sit tamen in Potione.* Vide Abb. *lib.* 1. *concil.* 26. *num.* 4.

2 *Sed nūm præscriptio currat in omnibus casibus?*

Respond. Negatiuè: etenim non currit

1 Pro Ecclesia Vacante. Ratio quia caret legitimo defensore, estque tamquam pupilla, ex Rotæ decisione, apud Farinac. P. 1. *rec. decis.* 419.

2 Nec quādo Prelatus esset inutilis, puta Hæreticus, vel scismaticus, *ex lib. 6. De Negligentia Prælat.* Nec currit pro Episcopo excommunicato, quia iure agere est prohibitus, *De Concessione Prabend. ex Cap. Quia diuersitatem,* apud Felin. & Bald. *De Præscript. P.* 1. *num.* 24.

3 Neque quando Prelatus temerè alienauit, quia lex nūquā potest esse contra temerè factum, *ex Cap. S. Sacerdos,* apud Rebuff. *in compend. Alienationis, num.* 37. Sed meliora, & maiora notauit Barbos. *De Episcopo, Allegat.* 132. *à num.* 2. De Visitatione tandem Episcopi egi *Impot.* 10.



De Episcopo non instituente carentem requisitis in limine fundationis ad Beneficium Patronatus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest instituere carentem requisitis in limine fūdationis ad Beneficium Patronatus.*

Impotentia CXX.

1 NON potest Episcopus instituere ad Beneficium Patronatus carentem requisitis in limine fundationis, etiam de consensu Patroni. Ita disponente Trident. *sess.* 25. *De Ref. cap.* 5. Idipsum Sacr. Congregat. censuit, apud Garc. *De Beneficijs,* P 3. *artic.* 1. *num.* 107. quidquid ante prædictum Concil. docuerat Crescent. pro vna vice tantum *decis.* 1. 7. *De Iure Patronatus.* Quarè post Trident. Episcopus dispensare non potest, etiam de patronorum consensu cum minore 25. Annorum ad Cappellaniam simplicem obtinendam, ad quam in fundatione, est præsentandus Sacerdos. Nec cōgere obtinentem Cappellaniam, vt ipse

met

met celebret, estò in eius fundatione disponeretur, vt ipsi Rectores celebrent; nàm oneribus rectè per substitutum satisfit, in eodem cap. De Consensu præstando ad acquirendum ius patronatus, egi Pr. part. potest. 123.

De Episcopo non se intromittente in casibus postquam fuerit appellatum ad Sedẽ Apostolicam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest se intromittere in casibus postquam fuerit appellatũ ad Sedẽ Apostolicã.*

Impotentia CXXI.

1 NON potest Episcopus se intromittere in casibus postquam fuerit appellatum ad Sed. Apostol. & sensûs est de causis ad electionem Episcoporum spectantibus, nam de aliis alibi, etiamsi partes ab appellatione voluntariè recederent, sub pœna suspensionis per annum, *in Cap. Prouida*, De Elect. *lib.* 2. ita scripsit *Memor. Cleritor*. De *Suspens. Episcopi, num.* 7.

De cognitione primarum instantiarum ad Sedem Apostolicam pertinentium videto *Impot.* 22. vbi fusiùs.

De Episcopo non limitante licentias audiendi confessiones Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest limitare licẽtias audiendi confessiones Regularibus:*


Impotentia CXXII.

1 NON potest Episcopus quãdoque limitare licentias cõfessiones audiendi Regular. ad viros *tantum* defectu ætatis, nulla legitima currente causa, multi apud Villal. *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 53. *num.* 2. apud quem est ratio, quia Clericis Annorum 25. indistinctè, & illimitatè cõcedi potest beneficiũ curatũ, quod magis currit de Religiosis, in quibus ma-

maior presumitur bonitas, & vita regulata, igitur defectus ætatis non sufficit ad limitationem. *Iudicauit* tamen Facundez apud Dian. *P. 3. tract. 2. resol. 25.* Quotidianas limitationes Episcoporum Religiosis factas ad tēpus, locum, & personas fundari in alia causa extra ætatem, in examine videlicet litterariū, quod est vnū ex requisitis à Tridentin. vt dixi, *Pr. part. potest. 36. num. 9.* vbi sic: In Regularibus limitationem cadere solum posse ex parte litteraturæ, quæ scrutatur per Examinatores deputatos, ętas tandem, & bonitas habentur de Superiorum testimonio; Idcirco nulla accedente causa legitima qualibet ex parte, nulla erit limitatio facta; apud Lezan. *in Sūm. T. 19 num.* 8. & Dian. *P. 4. tr. 4. resol.* 200. *§. Ex his*. Accedit Bull. Clem. x. incipit: *Superna*, 11. *Kal. Iul.* 1670. cuius hęc sūt verba.

Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint, ab Episcopo, generalitèr quoque, & indistinctè absque alia limitatione temporis cæterorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur probare, & admittere; semel autē simplicitèr approbatos posse confessiones audire, absque vlla Parochorū, vel ipsius Episcopi licētia, &c.

Insuper positam Impotentiam docuerat P. Candidus Brognolus *in Speculo Clericorum, tract. 12. resol.* 23. vbi sic: Si examinatus fuerit inuentus idoneus vniuersalitèr pro ōnibus, maximè si esset Lector, ac in Theol. Morali, seù casibus conscientię longo tempore versatus, & magis si ab Episcopo eius antecessore fuerat simplicitèr, & absque limitatione admissus, non poterit eum approbare cum temporis limitatione, & si approbaretur ad tēpus, eo elapso, absque noua approbatione, vel confirmatione poterit validè, & licitè confessiones audire, quia limitatio esset inualida, cū in prima approbatione acquisiuit ius in virtute constitutionum Apostolicarum, igitur limitatio quasi non apposita; Tùm deniq; quia iurisdictionem non ab Episcopo, sed à Papa recipit, quæ restringi nō potest ab inferiori, & inferior debet stare regimini Superiorū. hæc ille: Tu autem à tenore dictæ Bullę Clem. x. non recedas illam obserua, quia meliùs tibi erit.



De

M

De Episcopo non minorante numerum Missarum celebrandarum in limine fundationis relictum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest minuere numerum Missarum celebrandarum in limine fundationis Ecclesiæ relictum.*

Impotentia CXXIII

1 NON potest Episcopus minuere numerum Missarum celebrandarum in limine fundationis Ecclesiæ relictum. Nouissimè, ex S. Congregat. sub Vrb. 8. incipit: *Cum sæpè*. 21. Iun. 1625. vbi sic.

Ac 1. districtè probibet, atque interdicit, nè Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutādis, ad Apostolicam Sedem recurratur.— Si quas contra huius prohibitionis formam fieri contingerit, omninò nullas, atq; inanes decernit.

Neque in fundatione beneficiorum requirentium certum numerum Missarum. Nec obstat Trident. concessio, *seß.* 25. *De Reform. cap.* 4. facta Episcopis, & Prælatis Generalibus, vt possint præfatum numerum minorare, quia loquitur de Missis relictis ex mera defuncti dispositione, non verò intuitu fundationū. Ita sentiunt multi apud Bonacin. *De Sacram. disp.* 4. *quæst. vlt.* §. 2. *num.* 10. Id ipsum Sacra Congregatio censuerat apud Monet. *De Commut. vltim. Volunt. cap.* 5. *num.* 376. & Gallet. *in Margar. casuum Conscien. V. Benef. P.* 24. *col.* 2. Pro his igitur moderandis, & minorandis ad S. Apostolicā recursum haberi oportet.



De Episcopo non minorante numerum Missarum particularium votiuarum, vel pro defunctis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest minorare numerum Missarum particularium votiuarum, vel pro defunctis.*

Impotentia CXXIV.

1 NON potest Episcopus minorare numerum Missarum particularium votiuarum, vel pro defunctis, quæ iustis stipendijs sigillatim à particularibus personis offeruntur, absque eorum cōsensu, Ita apud Nauar. *Cons.* 9. *num.* 9. & *cons.* 11. *num.* 1. Fraxinell. & alii. Ratio quia dispensatio fit sine causa motiua, adeò extra consensum particularium illorum, propter ius in eorum stipendio acquisitū, nullam habet causam Prælatus minorandi dictum Missarum numerum. Nec tale ius proprium transfertur sine proprio cōsēsu, aliàs fieret iniuria voluntati petentium, ita tenet Barbos. De *Offic. & Potest. Episcopi, Alleg.* 29. *num.* 11. 9. *Iim* ... *tertio*. Alia accedit ratio; sicut non potest sine iusta causa mutare *Missarum* celebrandarū qualitatem, putà votiuas, & defunctorum, in quotidianas decurrentes, aut localitèr de vna ad aliam Ecclesiam, vno ad aliud Altare, vt dixi *Pr. part. potest.* 72. minus valebit absque eadem causa minorare numerum substantiæ. Item, ob grauem periculum laxiorem, adeò quod si tot decursu temporis tollerauit S. Congregat. Missas defunctorum in festo duplici, non de præcepto, tandem abrogata fuit hæc tollerantia, ab Alex. 7. incipit: *Sanctissimus sub* 5. *Aug.* 1662. vt notaui *Pr. part. potestas* 167. & *Par. post. Imp.* 70 *fol.* 71. 2

De Episcopo, qui non potest non accedere ad limina Apostolorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest non accedere ad limina Apostolorum.*

Impotentia CXXV.

1 NON potest Episcopus non accedere ad limina Apostolicarum. ex Const. Sixti V. 13. *Kal. Ian.* 1585. sub pœna suspēsionis ab Ecclesiæ ingressu, perceptione fructuum, & administratione spiritualium; de qua Const. loquitur Vulpè in *Praxi Iudiciali*, *cap.* 9. & Sayr. *De Cens. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 33. refert Bonac. *ibid. disp.* 3. *quæst.* 4. P. 5. *num.* 32. Ait Bulla: Personalitèr, ac per se ipsos Visitare, & sui *Pastoralis* officii rationem reddere, ac totius eius Ecclesiæ status relationem facere tenentur; ita vt vi-

viciniores, tertio quoque anno. Alii verò pro maiori, vel minori distantia quarto, quinto, vel decimo anno iterarripere, — & successiuè iisdem temporibus trãfactis repetere teneantur.— At si Episcopi legitimè impediti fuerint per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, de gremmio suorum capitulorum, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seù alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, seù personatum præditũ non haberẽt, per Diœcesanum Sacerdotem, & si Clero omninò carerent per aliquem alium *Præsbiterum* secularem, vel regularem spectatæ probitatis, vel Religionis, benè omnibus instructum hoc ipsum adimpleant.

Huic accedunt Sacr. Congregation. declarationes, &

1 Delegatum ab *Episcopo* non debet esse ex his, qui manent in Curia, 11. *Iulij*, 1626.

2 Canonici missi ad limina, vel comitãtes Epos lucrari debẽt distributiones quotidianas, *ex Sac. Congregatione*, apud Ricc. *in Praxi Fori Ecclesi. decis.* 498.



De Episcopo, qui non potest nõ corrigere Sacerdotem, quem scit prætium exigere ex Sacramentorũ administratione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest non corrigere Sacerdotem, quem scit prætium exigere in Sacramentorum administratione.*

Impotentia CXXVI.

1 NON potest Episcopus non corrigere Sacerdotẽ, quẽ scit prætium exigere ex Sacramentorum administratione, sub pœna suspensionis ad 2. menses, *ex Cap. Quidquid 1. quæst.* 1. vbi Gloss. apud Alterium, *De Censu. tom. 1. disp. 16. cap. 3. vers. Decima quarta*, quod statutum est ob Pastoris negligentiam, qui Symoniacos tolleraret, & dicitur incurrere post scientiam; Excipitur tamen quando donata non sint pro prætio, sed voluntariè, spontè, & gratuitè, apud citatos DD. Soto, *lib. 9. quæst. 6. art.* 1. apud Tolet. sustinet, posse Sacerdotem aliquod prętium recipere pro labore antecedenti in administrationem Sacramentorum, v. g. si pro audienda confessione, iter agere ceria, vel quatuor milliaria, locaret equum, & simile, & consonat cum *Cap. Relatum, num.* 3. *De Canonica portione*, vt aduertit Zeroll. *in Praxi Episcopi P.* 2. *V. Symonia, §. Decimum tertium.* Nunquam verò pro labore comitanti, absque labe symoniaca, & *num.* 5. De eo qui se obligauit per annum ad celebrationem, vel administranda Sacramenta, tunc enim potest aliquid exigere pro vendita libertate, & *num.* 6. potest aliquid petere in sustentationem, etiam quando diues esset, & haberet redditus. De aliis rebus 1

Digitized by Google

extra Sacramentorum administratione, vide *Impotent*. 129.

De Episcopo, qui non potest non examinare diligentèr assumendum ad curam Animarum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest non examinare diligentèr assumendum ad Animarum curam.*

Impotentia CXXVII.

1 NON potest Episcopus non examinare diligentèr assumendum ad curam Animarum, sub poenam iniectam suspensionis, in *Cap. Nihil, De Electione* apud Suyr. *lib. 4. num. 12.* quod etiam intelligitur De Beneficijs curatis iuris patronatus, & est decis. apud Lelium Zecch. *Capit. 28. De Parocho, num. 6.* Haec Impotētia indicit necessitatem examinis, de quo Tridentin. *sess. 24. De Ref. cap. 18.* obnixè dictari iubet, vt dixi Pr. *paraphrest.* 182 & 188. nec omitti potest, aliàs collatio esset inualida, & nulla, ex Const. B. Pii V. incipit: *In conferendis, ann.* 1566. nec obstat, personam assumendam esse dignā, notoriam, in S. litteris versatam, quę maximo applausu tot decursis temporibus legerit, etiam si fuisset Episcopi Vicarius, quę omnia sunt decisa declarata, & digesta per tot iteratas S. Congregat. decisiones, apud quamplures, vt notaui Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Allegat. 60. à num. 86.* Vide Potest. citatā, vbi de Examine, & Concursu.

De Episcopo, qui non potest non procedere contra Symoniacos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest non procedere contra Symoniacos.*

2 *Sed quid vel quotuplex est Symonia?*

3 *Sed quid de poenis contra Symoniam Realem?*

4 *Sed quid de poenis contra Symoniacè Ordinātes, & Ordinatos?*

5 *Sed quid de poenis contra Symoniacè Cōferentes, & Recipientes beneficia?*

6 *Sed quid de Remedijs pro Symoniacis?*

Impotentia CXXVIII.

1 NON potest Episcopus non procedere contra Symoniacos, sub poena suspensionis, *ex Cap. Quidquid, 1. quaest. 1.* Ita Lauor. *De Indulgentijs, cap. 24. & 32.* Filiucc. *tract. 17. num. 159.* apud Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Allegat. 11. num. 50.* Posita est haec resolutio contra negligentiam Praelatorum nil curantium de turpi hoc crimine contra virtutem Religionis, quod serpit in Clericis. Vltra dicta

Qa Part. prior. potest. 3, à n. 5. dicam hic fusiús De Symonia, & Symoniacorum labe, vt videat Episcopus contra quos procedere debet.

2 *Sed quid? vel quotuplex sit Symonia?*

Respond. 1. Symoniam esse studiosam voluntatem contractandi prętio rem spiritualem, de suo genere p. m. est; tum quia est contra Religionis virtutem, in qua Episcopi sunt dispensatores Mysteriorum Dei, 1. *Corinth.* 4. & non venditores.

Respond. 2. Symoniam aliam mentalem, quę in sola voluntate consistit: Aliam conuentionalem, quæ ad pactum externum deducitur, & aliam Realem, quę ad ipsam permutationem procedit. Quare docet Cādidus Brognolus cum aliis nullam pœnam incurri ob Symoniam mētalem, vel Cōuentionalem, sed solum propter realem, quando S. Canones inferunt censuras in Symoniacis; Quia in huiusmodi adest donatio, exceptio, ordinatio, & rei executio, *ex* 1. *&* 2. *cap. De Symonia*, vt communitèr docent DD. it idē Conuentionalis in puram, & cōfidentialem, prima, quę in sola puritate pacti sistit; secunda in conuentione beneficiorum illa confidendo cum effectu: & contra hanc confidentialem latæ sūt pœnæ à Pio 4. incipit: *Romanum Pontificem*, & B. Pio .v. incipit: *Intolerabilis*, cuius meminit Trid. *sess.* 25. *De Ref. cap.* 7. Tribus modis accidere potest hæc Symonia confidentialis beneficii, Primò quādo Beneficium adhuc non est possessum, v. g. quando quis renunciaret beneficium post mortem eius, vel aliud tempus possidendum, & dicitur *Ingressus ad Beneficium*. 2. Quando accedit ad possessionem cum pacto, vt postea alteri resignet, & dicitur *Accessus*, & 3. quando quis renunciat cum pacto iterum repossidendi, & dicitur *Regressus*, quorumlibet modorum sit, hęc Symonia est punibilis pœnis iuris in dictis constitutionibus, siuè beneficium illud fuerit simplex, siuè Curatum, Regulare, vel Seculare, prout infra, siuè in confidentia eligendo, prętentando, conferendo instituendo, aut resignando cū pacto externo expresso, vel tacito, apud Brognolum *in Speculo Clericorum tract.* 5. *cap.* 9. *resol.* 26. *&* 28.

Pro clariori notitia Symoniæ, iuuat videre Tolet. *Instruct. Sacerdot. lib.* 5. *cap.* 88. dicentem:

1. Si temporale tamquam prætium pro re Spirituali, tunc Contrectatio erit Symoniaca, secus si sponte, liberè, vel Eleemosynaliter facta.

2. Si plus prætii daretur ob partem spiritualem temporali admixtam, putà si plus venderentur Calix, vel Planetæ consecratę, erit venditio Symoniaca.

3. Res, quæ contractantur, vel erant purè spirituales, vt Virtutes, Potestatès, & illarum vsus, vel mixtę, putà Vasa Sacra, Suppellex Ecclesiastica, Sacramentalia, & similia, de quibus Tolet. & Summ. Dian. *V. Symonia, n.* 4.

4. Nomine prætii veniunt munera omnia, siuè à manu, lingua, vel obsequio, quę sunt prętio appretiabilia, A manu, omne materiale, siuè mobile, siuè immobile, in pecunia, siuè data, siuè remissa, soluta, dilata, vel mutata; A lingua, laus, adulatio, præces ex pacto tacito, vel expresso. Ab obsequio, vt sunt seruitia prętita,

vel

Digitized by Google

vel præstanda, salaria, & similia, quæ omnia sunt pretio extimabilia, in quibus, medio pacto, erit contrectatio Symoniaca, & sine eo erit nulla, quæ ōnia notat Iudex, vel Cōfessarius ad videndū in iudicio, & cognoscēdum tàm periculosum crimen, vt aduertit Less. *lib. 2. cap. 35. num. 115.*

3 *Sed quid de pœnis contra Symoniam Realem?*

Respond. Et quia hæc Symonia realis in triplici materia euenire solet, 1. In ingressu Religionis, 2. In ordine, & 3. In Beneficio; Quòad primum ab Vrb. 4. imposita fuit excommunicatio dantibus, & recipientibus, *in Extrauag. 1. De Symonia.* Item Cōuentui, seù Capitulo pœna suspensionis. At communitèr docent DD Extrauag. nō esse vsu receptam, vel propter consuetudinem, vèl ex tenuitate redditũum, vel exigua donatione facta ab ingredientibus, itaque vix accidere potest, tanto quod *DD.* apud Layman docent: non dari Symoniam, nisi in ordine, & beneficio, de quorum pœnis in sequentibus.

4 *Sed quid de pœnis contra Symoniacè ordinantes, & ordinatos?*


Respond. contra vtrosque esse Excommunicationem Papæ reseruatam, *in Extrauag. 2. De Symonia.* Deindè Episcopi ordinātes adhùc conferentes primam clericalem tonsuram incurrunt suspensionem, etiam omnium ordinum, & tonsuræ, & interdicūtur ab ingressu Ecclesiæ, & hæc reseruatur quoque S. Pontifici, ex Const. Sixti .v. incipit *Sanctum, & Salutare, ann.* 1588. Ordinati verò incurrunt suspensionem adhùc omnium ordinum. Nec dicas à Clem. 8. huiusmodi pœnas reductas esse ad terminos iuris communis, quia in eadem voluit Pontifex permanere pœnas Sixti .v. ex particula exceptiua, *Præterquam contra Symoniacè ordinantes, & ordinatos.*

5 *Sed quid de pœnis contra Symoniacè conferentes, & recipientes beneficia?*

Respond. In primis omnes prouisiones quocunque ingenio, vel quæsito coloro factas Symoniacè, esse nullas, & irritas, *in Extrauag. 2. De Symonia.* Deindè donantes, conferentes, confirmātes, instituentes, seù alio modo prouidentes, etiam in confidentiam, esse excommunicatos, excōmun. Papæ reseruata *ibid.* Nominè autem beneficiorum Ecclesiasticorum, venire docent DD. nèdum Secularia, simplicia, & Curata, verùm etiam Officia Regularia, vt sunt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Propositatus, & Guardianatus.

6 *Sed quid de remedijs pro Symoniacis?*

Respond. Quod si casus fuerit occultus, Episcopus posset illos absoluere à Censura reseruata, & dispensare ad retinendum, ex facultate Trident. *in Cap. Liceat. sess. 24.* vt dixi, *P. prior. potest. 2. §. Ducitur 5.* Si verò publicus, Symoniacum oportet adire Papam, ita docet Zeroll. *in Praxi Episcopali P. 1. 9. Decimo sexto,* & dicam ipse *Impot. 147.*



De

De Episcopo, qui non potest nō procedere contra hæresis criminosos.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest non procedere contra hæresis criminosos.*
2 *Sed quid de pœnis?*
3 *Sed quid de delictis hæresim sapientibus?*

Impotentia CXXIX.

1 NON potest Episcopus non procedere contra hæresis criminosos, ita sustinent Filiuc. *in Tract. 17. num. 153.* & Bonac. *disput. 3. quæst. 5. P. 11.* Ratio quia de Iustitia tenetur sub iniecta suspensionis pœna ab officio per triennium *ex Clem. 1. §. Verum*, quod factum est, nè tam dirum crimen hæresis serpeat in Ecclesia Dei, neuè Episcoporum voluntas, & potestas in procedēdo subeat motibus, & animi passionibus iræ, odii, lucri, amoris, vel amicitię, quę magis hominem trahunt, quàm alliciunt. Itaque contra tale crimen maximo rigore, & vigore cogere oportet dictos criminosos, & procedere poen. sin iure positis. Nec obeunda sylentio est quæstio Canonistis. Quibus nè competeret iurisdictio procedendi contra hæresim criminosos, Inquisitoribus, vel Episcopis? & conciliata à Doctoribus sicut in Regnis Hyspaniarum, Italiæ, & Insularum, vbi à S. Sede erectum est Tribunal peculiare S. Inquisitionis vigore cōcessionum specialium, & consuetudine vigente roborata, & firmata litteris Philippi 2. & 3. Regum Hyspaniarum, spectare ad DD. Inquisitores, qui dicuntur proprii Ministri contra hæreticā prauitatem. In aliis verò Regnis, & Prouinciis soli Episcopi procedunt, ita resoluunt DD. citati à Dian. *in Summ. V. Inquisitorum iurisdictio, à num. 12.*

Procedit igitur Iudex pro hæresi non mentali, sed reali contra vndecim illa personarum genera in Bull. Cœnę Domini reseruata: 1. contra Hęreticos. 2. eorumq; Credentes. 3. Receptatores Hæreticorum, vel credē ium. 4. Fautores. 5. Defensores etiam credentium. 6. Libros legentes. 7. Retinentes. 8. Imprimentes. 9. Defendentes. 10. Scisma icos. 11. Inobedientes S. Pontifici &c.

2 *Sed quid de pœnis?*

Respond. Pœnas esse non ad libitum, sed taxatas à iure, & Primò excommunicatio maior Summo Pontifici reseruata, pro qua absoluenda nō sufficit sola facultas absoluendi à reseruatis Summo Pontifici, sed specialis mentio requiritur. 2. Priuatio omniū dignitatum, officiorum, & beneficiorum, vt inhabilis existat. 3. Irregularitas. 4. diuortium. & 5. Priuatio omnium bonorum, de quibus apud Summ. Dian. V. *Hæreticorum pœna.*

3 *Sed quid de delictis hæresim sapientibus?*

Respond. Eorum Iudices esse ad metam, vt supra *num. 1. §. Nec.* Nomine verò hæreticorum nè dum Hæreticos formales venire docent DD. verùm, & proferentes propositiones erroneas, scandalosas, & aurium piarum offensiuas, vt refert Ioan. de la Crux. *P. 1. prec. 1. art. 1 concl. 3.* Quā plurimas propositiones damnauit

Con-

Concil. Constansiense, B. Pius v. *Greg.* 13. apud *Bay*, quas omnes recollegit Dian. vt patet in eius Summ. suntque *num.* 24. *V. Inquisitorum Iurisdictio, Quoad delicta*, sed melius Aloys. Riec. *in Praxi Fori Eccles. decis.* 671. hic tandem adde propositiones damnatas ab Alex. 7. *ann.* 1665. & 1666. & alia sub Clem. 9. *ex S. Congregat.* 11. *Maij.* 1669. contra Regulares colloquentes Moniales in *Monasteriis* per quadrantem horę cum dimidio, vide Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 40. & 41.

P

De Episcopo non permittente consecrationem Ecclesiæ, seu Altaris fieri ab Episcopo publicè excommunicato.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest permittere consecrationem Ecclesiæ fieri ab Episcopo excommunicato publicè.*

Impotentia CXXX.

1 NON potest Episcopus permittere consecrationē Ecclesiæ, seu Altaris in sua Diœcesi fieri ab Episcopo publicè excommunicato. Ratio impotentiæ est, quia controuertitur apud DD. Tolet. Nauar. Cambar. & Henriq. Num sit valida consecratio? & ex vna sustinent consecrationem non fieri, eo quia si excommunicatus sepelliretur in Ecclesia, inferretur pollutio, & iniuria in ea, sic à pari consecratio facta ab excōmunicato nulla esset. quā sētētiā docuere Suarez, Eman. Facundez, & alii. Ex alia verò dicunt quod non, sic: Pollutio est instar irregularitatem, quę non incurritur nisi exprimatur à iure; ideò non pendet ab exemplo adducto, sed à iure decidente. Tu verò tene inter litigantium turbas opinionem probabiliorem tamquam magis securam, & negatiuam, & adiuuaris à multis apud Alteriū *De Cens. tom.* 2. *disp.* 3. *cap.* 1. ea lege, quia tantę considerationis, ideò potior pars eligenda. De Consecratione Ecclesiarum vide *Pr. part. potest.* 39. De Reconciliatione, *Potest.* 242.



De

De Episcopo non permittente legere libros Talmud, & aliorum Hęreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest permittere legere libros Talmud, & aliorum hæreticorum.*

Impotentia CXXXI.

1 NON potest Episcopus permittere legere libros Talmud, & aliorum hæreticorum sed debet igni tradere, nè eorum lectura serpiat, eorumque error sit in cordibus credentiū, ita statuente Iulio 3. incipit: *Cum sicut.* & Clem. 8. incipit: *Cum Hebræorum*, sub iniuncta suspensionis, & interdicti censuras, apud Filiucc. *tract.* 17. *num.* 159. Accedit potissima ratio mea, quia omnibus Christi fidelibus cuiusuis dignitatis, & præstantiæ sint interdictum fuit hoc sub excomm. pœna papæ reseruata. *In Bulla Cœnæ Domini, in* 1. *Cap.* ideò satis.

De Episcopo non permittente Imagines Christi, & Sāctorū depingi, aut sculpi aliter quam cōsueuit Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest permittere Imagines Christi, & Sanctorum depingi, aut sculpi alitèr quā consueuit Ecclesia.*

Impotentia CXXXII.

1 NON potest Episcopus permittere Imagines Christi, & Sanctorum depingi, vel sculpi alitèr quam consueuit Ecclesia. — Neque vt in conspectu, frontespicio, vel ambitu eiusdem Ecclesiæ apponantur profanæ imagines, vel alia pręseferentia indecentiam, sub pœna excommunicationis, priuationis officii, ac vocis actiuè, & passiuè, ex Const. Vrb. 8. *in Compend. Bull. pagin.* 22. incipit: *Sacrosancta*, & refert Noster P. Lantusca, *V. Beatificatio.* — Nec permittere Aureolas, & Radios apponi imaginibus defunctorum fama Sāctitatis decedentium. Neque pręedictas imagines appendi in Oratoriis, & locis publicis, donec à S. Apostolica declarentur, & si quæ sint, amoueri debent. — A qua Regula excipiuntur hic quas à longissimo tempore Sedes Apostolica, vel Ordinarii tollerarunt, vt habet idem Lantusca, V. *Aureola, ex nouissima Const. Alex.* 7. quā per extensum posui *Impot.* 17.

Imaginem Christi more Clericorum; nimirum, cum pallio quadrato fibulis ad humeros constricto, tunica, & zona subcingente, coloris violacei, torace, camisia linea, & calciamentis integris totos pedes cooperientibus, vt narrat Droxellius, *Deuotarum meditationum, P.* 2. *cap.* 7. §. *fin.*

Digitized by Google

apparuisse. *D.* Marinę Hispanę. depingi, & sculpi interdixit, *Vrb.* 8. incipit: *Sacrosancta*; 26. *Iun.* 1642. sub pœnis, & censuris inhibens, nè imagines Christi, & Sanctorum pingant, sculpant, teneant, exponant, aut vestiant cū alio habitu, quam ab antiquo tēpore, ab Ecclesia Catholica consueuit, & alitèr pictas, vel sculptas amoueri, deleri, & reformari præcepit, prouti refert Sanctorus de *Melfi, Comment. Stat. cap. 2. Stat. 68. pag. Mihi, 257.*

De Episcopo non ponente interdictum generale ex culpa vnius priuati absque Sedis Apostolicæ licentia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest ponere interdictum generale ex culpa vnius priuati absque S. Apostolicæ licentia.*

Impotentia CXXXIII.

1 NON potest Episcopus ponere interdictum generale ex culpa vnius priuati, nisi de mandato Sedis Apostolicę, quod difficulter obtinetur. *Ita in extrauag. Prouida. De Sent. Excommunic.* & meminit Couarr. *in Cap. Alma Mater. P. 2. §* 1. Suarez *De Cens. tom. 4. disp. 36. sect. 3.* Ratio: quia si non licet ob alicuius priuati hominis solutionem debiti populum pati, neque ob vnius culpam populum sufferre pœnam. Dixi *Nisi de mandato S. Apostolicæ*, propter rationes euincentes particularem illius Populi, nè fortè de vnius pœna tumultus fieret in Populo. Sed quia Papa consueuit se accommodare rationibus Populi communibus ad quietè, & pacificè viuendum, ideò difficultèr concedit positionem huiusmodi. De Interdicto sum loquutus Pr. P. *potest. 95. &* 174. Atque P. *post. Impot.* 19.

De Episcopo non procurante clericos capi per Dominos temporales.

SVMMARIVM.


1 *Episcopus non potest procurare clericos capi per Dominos temporales:*

Impotētia CXXXIV.

1 NON potest Episcopus procurare Clericos capi per Dominos temporales, nec beneficia renunciare, neque citatos ire ad S. Apostolicam, impedire, sub pœna suspensionis, à fructuū perceptione per triennium, *ex Clem. 2. De Pœnis*, hoc in inobedientiæ pœnam, apud Bonac. *De Cens disp. 3. quæst. 4. P. 12.* Admitterem ipse casum pro captura clericorum, quando Episcopo con-

Digitized by Google

ceditur vti brachio Seculari, vel quando in caſibus, quibus non gauderent immunitate, putà ſi Clericus fuiſſet Aſſaſſinius, & ſimili, de quibus caſibus exceptis P. *prior.* dixi *poteſt.* 271. tunc enim procuratio licita eſſet.



De Epiſcopo non prohibente habẽtes Animarum curam, munus prædicationis obire volentes.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt prohibère habentes curam Animarum munus Prædicationis obire volentes.*

Impotentia CXXXV.

1 NON poteſt Epiſcopus prohibère, habentes curam Animarum, munus prædicationis obire volentes. Ita deciſum refert Armendar. *in Addiction.* Recopil. *leg.* Nauar. & ipſa ratio fauet, Tũ quia munus proprium non abſq; magna cauſa ſeparatur, & fortè cauſa erit in iure exprimenda; nam ad libitum non licet Epiſcopo prohibere Parochum, cui de munere proprio contingit verbũ Dei ſuis parochianis proponere, ſicut nec poteſt Epiſcopus Parochiam auferre abſque eadem cauſa in iure expreſſa. Iuuat videre dicta *Pr. part. poteſt.* 94.

De Epiſcopo non prohibente Regulares Mendicãtes eleemoſynas quæritare.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt prohibère Regulares Mendicantes eleemoſinas quæritàre.*

Impotentia CXXXVI

1 NON poteſt Epiſcopus prohibère Regulares Mendicantes eleemoſynas quæritàre, ita tenent Nauar. *Conſ.* 33. *De Pœnit.* Rodriq. *Quæſt. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 57. *art.* 7. refert De Franch's *in Controuerſ. fol.* 9. Fundamentum impotẽtiæ eſt, Religioſa, & voluntaria paupertas, qua ſe expoliarunt Religioſi omnibus bonis, ſectantes Chriſti cõſilium. *Luc.* 14 *Si quis non relinquerit domum, &c non poteſt meus eſſe diſcipulus,* & ad legem naturalem reducti quæritare coguntur hoſtiatim, quod opus fuerit ad vitę, & ſtatus manutenentiam, & ad regulas à S. Sede approbatas, quibus ſe voluntariè manciparũt, obſeruandas. Quare legitur apud de Franchis, De Vicario Neapolitano impediente quęſtores ob ſuperfluitates, & fuit reſcriptum non prohibendo, ſed cum benignitate procedere, vt dixi *Priori parte, poteſt.* 67. vbi fuſiùs de quæſtoribus.

Digitized by Google



De Epiſcopo non prorogante tempus triennale Abbatiſſarum.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt prorogare tempus triennale Abbatiſſarum.*

Impotentia CXXXVII.

1 NON poteſt Epiſcopus prorogare tempus triennale Abbatiſſarum, *ex S. Congreg.* 10. *Febr.* 1615. Pendet hæc veritas ex dictis *Pr. part. poteſt.* 118. *&* 180. vbi de electione, & aſſiſtentia, & quia tempus triennii, eſt curſus Abbatiſſarum volitus à Trident. & Greg. 13. incipit; *Ex poſcit, anno* 1583. vltra quem interdicta eſt prorogatio, ideò triennalitas eſt improrogabilis, & indiſpenſabilis ab Epiſcopo. Idipſum de Superioribus Regularium, quibus ſubeſt Monaſteriorum cura. Propterea pro reelectione ad idem officium poſt triennium completum, recurrendum erit ad S. Sedem Apoſtolicam, à qua pendet delatio temporis ad officia huiuſmodi.



De Epiſcopo non proponente indicem pro gratijs, & Indulgentijs cū ſolutione pretij.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt proponere indicem pro gratijs, & Indulgentijs cum ſolutione pretij.*

Impotentia CXXXVIII.

1 NON poteſt Epiſcopus proponere indicem pro gratiis, & Indulgentiis cum pretii ſolutione, ſub pœnâ ſuſpenſionis, ab ingreſſu Eccleſiæ, ex Conſtit. 99. & B. Pii V. incipit *Quamplenum*; refert Bonac. *diſp.* 3. *punct.* 5. *num.* 31. addit Filiuc. *tract.* 17. *num.* 159. Suſpenſionem huiuſmodi durare quouſque à Papa abſoluitur. Lege *Impot.* 129. vbi de Symonia. Doctores tandem limitant in Notario pro dimiſſoriis, qui accipere poteſt 10. vnius aurei partem, duabus conditionibus interiectis; quarū 1. eſt propter conſuetudinem ante Conciliū. 2. Si ſalariuō careret, quibus nō concurrentibus, nec quidquam accipere poſſet. Vidi tamen pluribus in locis Tabellas in loco cōſpicuo pendentes in Epiſcopatibus cum annotationibus expenſarum, pro expeditione ſcripturarum in Iuſtitia adminiſtranda, quam fortè, iudico non ſine ratione fieri, nè errent, vel extorqueantur litigātes ad libitum ſcribarum, iuſtè poſitum eſt index expenſarum. Sed hoc valdè differt à conceſſione gratiarum, & Indul-

Digitized by Google

dulgentiarum; quarum expeditio libera, & gratiosa pendère debet à muneris Episcopalis libertate. De Officiis Episcopalibus vide *Part. prior. potest. 97.* De Taxa mercedum Notariorum causarũ ciuilium Gubernatoris, & Vicarii Romæ extat Bulla Pii 4. incipit: *Cum nupèr,* & B. Pii .v. reformata à Paulo .V. *constit.* 45. apud Bullarium *tom.* 2.

De Episcopo non recedente à sua residentia ob perpetuum morbum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest recedere à sua residentia ob perpetuum morbum.*

Impotentia CXXXIX.

1 NON potest Episcopus recedere à sua residẽtia ob perpetuũ morbum. Ratio assignatur ex D. Thom. apud Marc. Antoniam Genuens. *cap.* 31. *num.* 4. ob assistentiam, quam de iure *Diuino* seruare tenetur in Diœcesanis, & Parochianis, qui si morerentur, Pastor teneretur ministrare Sacramenta, & ponere animã suam pro ouibus suis. Nec valet excusatio: procurare salutem esse de iure naturæ, quia tale ius cedit iuri spirituali proximi, vt S. Canones, & Theologia clamant. Item in necessitate salutis, magis præualet ouium saluatio, quàm perpetua infirmitas. De Residentia satis egi *Part. prior. potest.* 21. vsque ad 26. & *Part. post. Impotent.* 1. *ad* 3.

Si verò Episcopus esset vndequaque Impotens, iudicium erit Summ. Pontifici, deferre, & supplere per Coadiutorem, vel alio quouis modo, vt docuit Menoch. *De Arbitr. Cas.* 53. *num.* 3.



De Episcopo non recipiente vota Monialium in electione Abbatissarum suæ curæ non subiectarum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest recipere vota Monialium in electione Abbatissarum suæ curæ non subiectarum.*

Im-

Impotentia CXL.

1 NON poteſt Epiſcopus recipere vota Monialium in electione Abbatiſſarum ſuæ curæ non ſubiectarum, ſed id relinquere ſuperioribus, quibus ſubduntur, licèt ipſe aſſiſtere debet ſciẽs, & audiens ex Conſt. Gregor. xv. incipit: *Inſcrutabili* 1622. *&* S. *Congregat.* 10. *Septembr.* 1629. hoc ad differentiam Monialium, ſibi de iure ſubiectarum, itaque paulò ante electionem debet Superior monère definitum tempus Abbatiſſę, & nouã electionem imminentẽ Epo, vt per ſe, vel alium aſſiſtere dignetur, quod ſi renuerit, Superior ad electionem ſolus procedere poteſt, ex dictis *Prior. par. pot.* 113. *fol.* 212 vbi notata fuit Bulla pręfata Gregoriana.



De Epiſcopo non recipiente cauſam matrimonialem ab inferiori, cui Summus Pontifex delegauit.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt recipere cauſam matrimonialem ab inferiori, cui S. Pontifex delegauit.*

Impotentia CXLI.

1 NON poteſt Epiſcopus recipere cauſam matrimonialem ab inferiori, cui fuit à Summ. Pontifice delegata. Ita tenet Sbroz *lib.* 2. *quæſt.* 43. *num.* 15. & alii apud ipſos, & ſenſus eſt, Quando cauſa matrimonialis fuiſſet à S. Pontifice delegata in Diœc. ſi alteri inferiori, quàm Epiſcopo; tũc delegatus non poſſet illam Epiſcopo ſubdelegare, ideo nec Epiſcopus recipere ſubdelegationẽ. Ratio quia huiuſmodi cauſæ ſunt arduæ, & graues, vt innuit Abbas *in Cap. Mulieres, num.* 7. *De Iuramento*, ſed cauſę graues non poſſunt ſubdelegari, quia videntur commendatę à Principe, induſtria perſonę, ideoque ſunt indelegabiles, *ex Cap.* 15. *De Officio Delegati in* 6. idcircò nec delegatus poteſt illam ſubdelegare, nec Epiſcopus recipere.

Dicet quis *in Cap. Ex Litteris De Integritate Reſtitutionis*, Cauſam matrimonialem fuiſſe delegatam. Sed tu attende textum: ſubdelegationem fuiſſe licitam ex commiſſione Summi Pontificis, de cuius vi ſumit robur tota lex Canonica, ideò &c. 1

De Epiſcopo nil recipiente in qualibet Beneficiorum prouiſione.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt recipere aliquid in quacunque Beneficiorum prouiſione.*

Impotentia CXLII.

1 NON poteſt Epiſcopus quidquam recipere in qualibet Be-

Beneficiorum prouisione, quacũque authoritate ordinaria, vel Apostolica id faciat. ex Constit. B. Pii. v. incipit: *Durum nimis. Pridie Kal. Ian.* 1570. in declarationem Conc. Trid. *sess.* 24 *cap.* 24. sub pœna quod tamdiù à Pontificalis officii exercitio sint suspẽsi, donec satisfactione prçuia, illis per S. Apostolic. suspensio relaxetur. Interdicitur quoque quomodocunque petere, seù exigere etiam dulciaria, fructus, vel distributiones, & alia quæcunque, alioquin præfatis subeat pœnis. *Ita* notauit Raihetti *in Catal. suspensionum, cap.* 1. *susp.* 34. Vide quæ dixi De Symonia supra *Impoten.* 129.



De Episcopo non reconsecrante Ecclesiam in totũ non collapsam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest reconsecrare Ecclesiam in totum non collapsum.*

Impotentia CXLIII

1 NON potest Episcopus recõsecrare Ecclesiã in totum non collapsam. Ita cum DD. infrà hìc ponuntur casus vtiles, quibus cognoscitur consecrationis Ecclesiæ necessaria iteratio. Itaq;

1. Corrosis integro tectu, & minima parietum parte, modò remansisset parietum integritas, non erit reconsecranda Ecclesia. ex Gambar. *De Casibus reseruatis, cap.* 15. *cap.* 6. & Azor. *Instit. Moral.* P. 2. *lib.* 10 *cap.* 26. *qu.* 12. Similitèr si parietes intus exteriusque igne destruerentur, vel deturparentur, ex Gloss. v. *exacta.* Piasech. *in Praxi noua.* Miranda, *in Manual. Prælat. quæst.* 39. *art.* 4. *concl.* 1.

2 Si Ecclesia reficeretur à fundamentis non simul, sed paulatim, & successiuè, tunc pars illa per modum accessorii esset consecrata, licèt successu temporis vniuersa materia mutaretur, quo casu non erit iteranda consecratio, sed ad summum, aqua benedicta aspergenda, & exorcizanda. Ratio prioris casus est, quia pedetèr manet totum, sola parte conscissa; posterioris verò, quia quælibet pars non benedicta iuxta posita benedicta quoq; fit benedicta, eo quia benedictum trahit ad se non benedictum. Ita discurrunt Syluester *V. Consecratio* 2. *quæst.* 5. Azor. *P.* 2. *lib* 9. *cap.* 4 *quæst.* 6. vbi addit: etiamsi magna pars minime adderetur. — De Consecratione egi *Prior. par. potest.* 116. & De Reconsecrat *Potest.* 246.



De Episcopo non rehabilitante Symoniacos ad beneficia obtinenda.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest rehabilitare Symoniacos ad beneficia obtinenda.*

Impotentia CXLIV.

1 NON potest Episcopus rehabilitare Symoniacos ad beneficia obtinenda, ita testatur decisum antiquitùs Suarez, *De Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 61. & notauit Gauant. *in Enchirid. V. Censuræ. num.* 6. & Capiauill. *De Casibus Reseru. cap.* 22. *quæst.* 3. contra Campanil. *in Diuersor. rubr.* 11. *cap.* 27. Sed ait ibi improbabilitèr, nouissimè verò ex Const. Sixti.v. *Sanctum, & Salutare de ann.* 1588. & aliis Summ. Pontificibus. Tu autem tene sensum Impotentiæ esse de scientèr, siuè occultà sit siuè aperta. Itaq; non potest Epus Symō. rehabilitare ad officia in posterum obtinenda, ex decis. prædictis, apud Suarez *De Religion. d. loco.* & notat Barbos. *De Potest. Episcopi Alleg.* 39. *num.* 44. Si verò ignorantèr, posse Episcopū dispensare, & irregularitatem absoluere, vigore Trident. *Cap Liceat.* Nisi meliùs dicamus: Irregularitates, & Censuras non incurri per ignorantiam, nec absque peccato mortali, & præsumptione, ex vulgato Theologorum, apud Zeroll. *in Praxi* P. 2. *V. Symonia* §. 15. vbi tenet cum Siluano, etiā si ignorantia sit probabilis. Quod si Symoniac. postea sciuierit, teneretur beneficiū resignare, nisi dispensetur ab Episcopo in eodem beneficio. Si verò Symonia fuerit in ordine, tàm ignorantèr, quam scientèr Episcopus iure præfato dispensat, modo casus fuerit occultus. Si verò publicus recurrēdum ad Sanctam Sedē docet Zerolla, *d. loco* in fine.



De Episcopo non residente extra Ecclesiā Cathedralem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest residère extra Ecclesiam Cathedralem.*

Impotentia CXLV.

1 NON potest Episcopus residère extra Ecclesiam Cathedralem. Gloss. *in Cap. Episcopus,* 4. *De Consecr. dist.* 3. apud Marc. Antonium Genuens. *cap.* 31. *num.* 6. & Alii cum ipso. Ratio quia Cathedralis est in signū suæ residentię posita, indè vt sciatur, & inueniatur ianitor ad ianuam, villicus ad villam, & Præceptor ad scholam ad docendū, erudiendum, & pascendum oues sibi consignatas. Aliàs puniendus, quia fugit sponsam, quam sibi matrimonio spirituali coniunxit, pœnis taxatis à *Pio* 4. incipit: *Motu proprio.* 11. *Maij* 1565. in executionem Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. vbi iustis de causis absentiam trium mensium à sua residentia concedit, idipsum *sess.* 6. *De Ref. cap.* 5. & faciunt dicta *Pr. part. potest.* 187. vbi vetatur Cathedræ translatio. De pœnis con-

Digitized by Google

contra non residentes abundè dixi *Prior. part. potest.* 21. *& Post. part. ab Impot.* 1.



De Episcopo non reuocante licentias audiendi Confessiones Regularib⁹, nisi iusta de causa.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest reuocare licentias audiendi Confessiones Regularibus, nisi iusta de causa.*

Impotentia CXLVI.

1 NON potest Episcopus reuocare licentias audiendi Confessiones Regularibus, nisi iusta de causa, quoquomodo illa sit concessa, de quibus modis satis *Prior. part. potest.* 36. firmant hanc Impotentiam multi apud Brognolum, *in Speculo Clericorū tract.* 12. *tom.* 9. *resolut.* 9. Quorum rationes sunt: licentia auscultandi Confessiones Regularibus ab Episcopis elargita, nō est propriè licentia, sed approbatio personę per examen à Tridentin. requisitum, & quasi iusta sententia de iure fūdata in idoneitate, adeò quod postquam iudicatum fuerit & declaratum de sufficientia, statim Papa concedit facultatem ministrandi Pœnitentiæ Sacramentum, vt colligunt DD. *ex Clem. Dudum.* Molfes. & Henriq. Ideò Episcopi absque iusta causa non possunt reuocare sententiam iuridicè datam. Firmat hoc illa Regula iuris in 6. *Quod semel placuit ampliùs displicere non potest.*

Nec obstat dicere: approbationem fuisse ad beneplacitum, Tū quia *ex Cap. Gratiosè, De Rescriptis in 6.* Sonat vsque ad mortem concedentis, vel infra dictum tempus iusta causa intercedente, de quā dixi *Impot. citata*, puta ex propriæ personæ culpa, & circa ministerium absolutionis.

Accedit alia similis Philosophica ratio. *Contrariorum eadem est ratio, ac disciplina*; ideò sicut de Approbatione, ita de reuocatione, quod si ad approbationem precessit præsentatio, examen, & Sententia; quæ firmat iuridicè idoneitatem doctrinę, morum, & ætatis, illud idem efformari debet iudicium in reuocatione, precedentibus iustis causis contrariis, nè fieret iniuria iudicato, & approbato, neuè Episcopus inconstans videretur, ideò &c.



S

De Episcopo non statuente: Sacerdotes non posse pinguiorem eleemosynam recipere, determinato stipendio à volentibus illā liberè donare.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest statuere Sacerdotes non posse pinguiorem eleemosynam determinato stipendio recipere à volentibus illam liberè donare.*

Impotentia CXLVII

1 NON potest Episcopus statuere Sacerdotem non posse pinguiorem eleemosynam recipere determinato stipendio à volentibus illam liberè donare. Ita Suarez, Reginald. & Emanuel *in Summ. cap. 251. num. 4.* Aliique quorum aperta, & potissima ratio est, quia sic Episcopus occluderet viam libertati, charitati, pietati, & deuotioni fidelium, quibus est, & absque Missa, personis Deo dicatis de sua substantia illis participare. Quarè si postquam determinato stipendio, obligationē adimpleuerint, quod reliquum erit, suæ deuotionis erit applicitum. Item nec posse determinare, seù statuere: Sacerdotes non posse minus recipere, eò quia virtutem liberalitatis arceret in remittendis liberè eleemosynis sibi debitis, vndequaque igitur hæc Impotentia ex virtutibus oritur, idcircò non valeret statutum contra virtutes. — De Celebratione Missarum respondentium stipendio relicto, dixi, *Prior. part. potest.* 267. & de Minoramento *Part. post. Impotent.* 124. & 125.

De Episcopo non statuente Missas satisfieri à determinatis Sacerdotibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest statuere Missas satisfieri à determinatis Sacerdotibus.*

Impotentia CXLVIII.

1 NON potest Episcopus statuere Missas satisfieri à determinatis Sacerdotibus, *Barbos. De Episcopo All. 24. sub n. 3.* Nauar. Sà, *V. Missa, num. 44.* Lezana *in Summ. quæst. regul. cap. 21. num. 5.* Quod sustinetur contra quosdam volentes Missas satisfieri debere à Sacer-

Digitized by Google

cerdotibus illius, & non alterius Parochiæ contra libitum, & beneplacitum hæredum, vel distribuentium. Ratio quia non modica orietur auaritię suspicio, in Populo scandalum, ob lapidæ cupiditatis vitium, ad quæ eruenda tenetur Episcopus tamquam bonus Pastor, & dominus ouium suarum, amicus virtutum, & vitiorum inimicus; igitur statutum hoc inane vitiorum, & scandali generatiuum non tenet. — De statuto contra canones, dixi *Pr. part. potest.* 258.

De Episcopo non subijciente bona Ecclesiæ immobilia laicis, absque Capituli, vel S. Apostolicæ consensu.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest subijcere bona Ecclesia immobilia laicis, absque Capituli, vel S. Apostolica consensu.*

Impotentia CXLIX.

1 NON potest Episcopus subijcere bona Ecclesię immobilia laicis, absque Capituli, vel S. Apostolicæ consensu. Ita *in Cap. Hac consultissima. De Reb. Ecclesia non alienandis*, vt notarunt multi apud Suarez *disp.* 31. *num.* 9. & Filiucc. *tract.* 17. *n.* 174. Ratio desumitur ex dictis *Pars. post. Impot.* 43. & *Par. pr. potest.* 30. Vbi nullam dixi esse subiectionem, vel alienationem absque solemnitate, & vna cum doctrina, & canone habetur praxis Episcoporum circa locationem, & aliam quamlibet abdicationem rerum Ecclesiasticarum sibi de iure commissarum, quarū nulla esset, si vltra triennium, & consensu prefato facta fuisset; ideoque nil ambigendum. Quid autem erit de locationibus per suum antecessorem, vide *Potestas* 157.

De Episcopo non suspendente omnes Cōfessarios vnius conuentus, data qualibet causa, inconsulta S. Congregatione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest suspendere omnes vnius conuentus Confessarios, data qualibet causa, inconsulta S. Congregatione.*

2 *Sed quid, si in illo Conuentu 4. Confessores essent, tribus suspensis, & alius excommunicatus, Nū ille validas confessiones exciperet?*

Impotentia CL.

1 NON potest Episcopus suspendere omnes Confessarios vnius Conuentus, qualibet causa data, Inconsulta S. Congregatione, in eius Decreto inuiolabiliter obseruando. *Sub die* 20.

20. Nouembr. 1615. apud Barbos. *De Episcop. Alleg.* 21. *num.* 50. vbi adducit rationem esse ob magnum scandalum indè oriundum, ideò vigilat Ecclesia in salutem Animarum.— Dixi omnes cum verè quosdam suspendere potest, ex causa ad idem Sacramentum spectante, prouti notaui supra *Impotentia* 149.

2 *Sed quid si in illo Conuentu 4. Confessores essent, tribus suspensis, & alius excommunicatus, Nū hic validas confessiones exciperet?*

Respond. Cum Nauarr. apud Sanch. *De Matrimonio lib. 3. cap. 22. num.* 19. validas. Cui sententiæ adhererē, quando esset tolleratus, & obex non fuerit ex parte pœnitentis. Nec dicas: excommunicatum absolutè iurisditione carere, quia habet, sed impeditam, & in actu signato, ex quo ducitur, errorem cōmunem cum titulo colorato sufficere ad validitatem Sacramenti, secus si nullam iurisditionem haberet, cuiusmodi error non sufficeret ob carentiam tituli cohonestantis, apud Henriq. *in Summ. lib. 6. De Pœnit. cap. 6.* §. 2.

T

De Episcopo non testante suis consanguineis, vel alijs, de acquisitis intuitu beneficiorum, vel Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest testari suis consanguineis, vel alijs, de acquisitis intuitu beneficiorum, vel Ecclesiæ.*

2 *Sed quid de rebus fructibus, vel pecunia Ecclesiæ acquisitis tempore suo?*

Impotentia CLI.

1 NON potest Episcopus testari suis consanguineis, vel aliis, de acquisitis intuitu beneficiorum, vel Ecclesię; ita ex *Cap. Præsenti, & Cap. Quia sæpè, & in Clement. Statutum. De Elect.* sic decisum videtur inter DD. qui post affirmatiuam sententiam in negatiuam flexère dicentes: Non posse Epū alienare, nec testari de Eccl. bonis; Ad id quod alii dixère: Episcopum esse dominum, Respondent moderni, solo tempore suo, idest vsufructuarium, vel de

2 fructibus vndequaque venientibus ab Ecclesia disponere, hac sola prohibitione manente, quod non possit illos alienari, vel testari; quęnam autem sint huiusmodi bona; lege *Prior. part. potestas* 163. vbi de distinctione bonorū Epi-

Digitized by Google

Episcopi sensum Impotentię videbitur. Quidquid sit de inferioribus beneficiariis, qui de consuetudine testari solent, vt notauit Couar. *in Cap. Cum in officijs*, Etenim alitèr statutū est de Episcopis, quorum bona supradictą ad successorem pertinent.

2 *Sed quid de rebus, fructibus, vel pecunia Ecclesiæ acquisitis tempore suo?*

Respond. *Impotentiam* præfatam recurrere, modo bona sint de secundo genere, de quibus dixi *Part. prior. cit.* 163. Tum quia illa non sua, sed Ecclesiastica dicuntur, vti debet Episcopus vigilantia construendo inuentarium, ad cognoscendum, & probandū bona esse sua, quæ ante Episcopatus possessionem erant, quęq; suo labore, & industria acquisita, & quę intuitu Ecclesię. Aliàs absq; dicto instrumento probatiuo omnia præsumuntur fuisse intuitu Ecclesiæ, vt de hæredibus non constituentibus inuentarium ostendit ex variis testibus Rodoan. *De Spolijs Ecclesiæ, quæst.* 9. *numer.* 41. apud Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi Alleg.* 14. *n.* 15.

De Episcopo Religioso non testante.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus Monachus, seù Religiosus non potest testari.*

2 *Sed quid de volente testari de bonis, eius industria acquisitis?*

Impotentia CLII.

1 NON potest Episcopus Religiosus testari. Ita DD. Impotentia nouiss. citat. Nam rationes allatę maiorem vim habent in Regularibus habētibus votum paupertatis, quod non relaxatur per assumptionem ad statum Episcopale, sed perficitur; ideo bona acquisita eius officio, & industria non personę, sed Ecclesiæ congragātur quidquid sit, vita durante, in qua dicta bona ob muneris splendorē applicari possunt. Quare ex D. Thom. *quæst.* 88. *artic.* 11. ad 4. Episcopus dicitur verus dispensator, & nō dominus, apud Dian. P. 3. *tract.* 2. *resol.* 50.

2 *Sed quid de Episcopo Regulari volente testari de bonis, eius industria acquisitis?*

Respond. Nec posse, nisi de licentia Summ. Pontificis cui erit dispensare, & alienare iustis de causis, ita, & concedere testari, in quo transit verum rei dominium, Debet itaque Episcopus in impetranda facultate duo exponere, quod sit *Monachus*, & Episcopus, quia ex duplici detinetur capite, ita duplici indiget dispensatione, nisi tantum vellet testari de solis Patrimonialibus ad se reuocatis, quæ renunciauit ante professionem, vt tenet Marc. Antonius Gen. *in Praxi, quæst.* 363. *num* 4. apud Barbos. *De Officio, & Potest. Episcopi, Alleg.* 114. *n.* 23. Vel si de bonis sua industria acquisitis, sola monachatus mensio sufficeret. Adde quod si Episcopatus fuerit de mensa, & prouisione regia, necessaria erit Regis licentia, vel illius, qui dotauit, nè præiudicium fieret bonis Principis.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis oriuntur tria dubia. Quorum 1. est Num licentia obtenta duret post mortem concedentis?

2 Nùm vigore dictæ licentiæ possit codicillos efficere?

Et 3. Nùm possit post fabricã vnius, aliud testamentum efficere?

Ad 1. Respondit Nauar. valère, ita notat Dian. *P. 5. tract. 2. De Potestate Cardinal. resol. 57.*

Ad 2. Negatiuè cum iisdem.

Ad 3. Affirmatiuè cum Aloys. Ricc. *in Praxi aurea, resol. 386.*



De Episcopo non transferente Cathedram Episcopalẽ perpetuò, vel ad tempus in aliam suæ Diœcesis Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest transferre Cathedram Episcopalem perpetuò, vel ad tempus ad aliam suæ Diœcesis Ecclesiam.*

2 *Sed quid vrgente necessitate?*

Impotentia CLIII

1 NON potest Episcopus transferre Cathedram Episcopalem perpetuò, vel ad tempus ad aliam suæ Diœcesis Ecclesiam. ita notarunt Gamb. *De Officio legati de latere lib. 2. tit. De Varijs Ordinar. nominibus, num.* 168. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 651. Marchiæ *decis.* 113. *n.* 2. *in addict.* Rationes fundatæ sunt, quia solus Papa erigit, & cõstituit Ecclesiam in Cathedralem *ex Cap. Felix, & Cap. Præcipimus.* 54 8. *quæst.* 1. Eamque diuellit, coniungit, & mutat. *ex Cap. Inter corporalia. De Translatione Episcopi, & Cap. Mutatio. 7. quæst.* 1. Gloss. *V. Cathedralem, in Cap. Cum inferior. De Maioritate, & obed.*

2 *Sed quid vrgente necessitate?* Respond. Nonnisi de Papæ facultate, & licentia, in præcitatis iuribus, Neque si ad tempus resideret, data qualibet vrgentia persecutionis, vel fugæ, aut alio quouis titulo, diceretur transferre Cathedram, sed quando primam diuelleret, & aliam erigeret. Nec posset Matricem Ecclesiam, seú Cathedralem in alium locum suæ Diœcesis absque Papę licentia, & facultate mutare, vt dixi *Priori part. potest.* 186. & meliùs *Part. post. Impot.* 95.



De

V

De Episcopo non visitante Altaria in Ecclesijs Regularium, etiam si illa sint Confraternitatum,

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest visitare Altaria in Ecclesiis Regularium, etiam si illa sint Confraternitatum.*

Impotētia CLIV.

1 NON potest Episcopus visitare Altaria in Regularium Ecclesiis, etiam si illa sint Confraternitatum, *ex* S. *Congregat.* 10. *Ianuarij.* 1611. apud nostrū P. Lantusca, *V. Altare, num.* 4. Idipsum de Cappellis constructis pro Secularium Confraternitatibus, ex eadem S. *Congregatione* 21. *Aug.* 1615. apud Lezzan. *Summ. Quæst. Regul. tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 23. *& tom.* 3. *V. Altare, num.* 18. quod seruandum est omninò post luctam DD. ex vtraque parte rationes afferentium; quorum opinionem negatiuam amplexi fuère, & sustinuère.



De Episcopo non visitante, corrigente, vel puniente subcollectores, neq; Priorem Militū Hierosolymitanorum.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest visitare, corrigere, vel punire* Subcollecto*res, neque Priorem Militum Hierosolymitanorum.*

2 *Sed à quibus huiusmodi erunt visitandi, & puniendi?*

3 *Sed quid de Ecclesijs commendatarijs?*

Impotentia CLV.

1 NON potest Episcopus visitare, corrigere, vel punire Subcollectores, neque Priorem Militum Hierosolymitanorum. Ita decisum refert Armendar. *lib.* 1. *tit.* 18. *num.* 80. *&* 101. & nouissimè, ex Gregor. xv. incipit: *Inscrutabili, nonis Febr.* 1622. Neque Protonotarios Apostolicos, quos exemit Leo x. vt notauit *Mendoza* De *Signatura gratia, V. Protonotarij*, quia siuè à Pa-

Papa, siuè à legatis sint creati, cõpræhenduntur *in Extrauag. ad Regimen De Prabendis*, apud Farinacc. P. 1. *recent. decis*. 706.

2 *Sed à quibus huiusmodi erunt visitandi, & puniendi?*

Respond. Cum certum sit Episcopos iure Trident. *sess.* 7. *De Ref. cap.* 8. vti potestate ordinaria in visitatione erga personas, & loca sibi immediatè suppositа, & potestate delegata erga exempta. Attamen quando exẽpta haberet superiorem immediatè, ab illo corrigi, visitari, & puniri debent, vt notat Barbos. *De Officio Episcopi, Alleg.* 70. *num.* 2. Idcircò Subcollectores, Prioratus, & Protonotarii Apostolici puniuntur ab illis, quibus immediatè subiciuntur, vel à Capitulo eorum. Quando verò non haberent dictum Superiorem, puniuntur ab Episcopo, modo quo punit exemptos authoritate delegata.

3 *Sed quid de Ecclesijs commẽdatarys S. Ioannis Hierosolymitani?*

Respond. Debere vnà cum eorum Ministris ab Episcopo visitari, ex Const. B. Pii. v. incipit: *Exposcit*, 22, *Septembris* 1571. Nã Commendatarii habent curam Animarum. Prioratus verò sunt Præceptores à quorum Capitulis visitantur. Barbos. *ibid. num.* 27.



De Episcopo non visitante hospitalia, confraternitates, & alia loca, quæ subsunt immediatè Regum protectioni.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest visitare hospitalia, confraternitates, & alia loca, quæ subslant immediatè Regum protectioni.*

Impotentia CLVI.

1 NON potest Episcopus visitare hospitalia, confraternitates, & alia loca, quę substant immediatè Regum protectioni. Ita ex Trid. *sess.* 22. *De Ref. cap.* 8. & concordat Regię ordinationi *titul.* 62. *num.* 42. apud Alvedo. *lib.* 3. *num.* 9. Valas. *cons.* 105. refert *Barbos. De Episcopo, Allegat.* 75. *num.* 16. & affert exemplare domorum, seù Confraternitatum misericordiæ in Portugallia, & hospitalis omnium Sanctorum, Vlyssippone. Ratio, quia iàm est magna exemptionis amplitudo, & illorum dignitas, seù præeminentia, qua fruuntur de protectione Regum, quibus subsunt, ob quorum respectũ dicta loca cæteris præferuntur *in Cap. dicti Concilij*, itaquod sine illorum licentia visitari nequeant, sed corrigi, visitari, & puniri debent ab eorum Rectoribus, & Gubernatoribus. Enim verò Episcopus, ob causam, quæ turbaret titulum de protectione, si voluisset visitare, & opponeretur cognitio, & decisio dictæ causæ, ad ipsum Episcopum, & non ad Iudices seculares spectat, vt referunt Moderni, & Armendar. apud Barbos. *d. loco num.* 20.



De

Digitized by Google

De Episcopo non vocante Canonicum factum Religiosum nouitiū ad effectum electionis faciendę, ad quam habebat ius.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest vocare Canonicum factum Religiosum nouitium, ad effectum electionis facienda ad quam habebat ius.*

2 *Sed quid de renunciatione beneficij, sub cuius titulo ordinatus fuit?*

Impotentia CLVII.

1 NON potest Episcopus vocare Canonicum factum Religiosum nouitium, ad effectum electionis faciendę, ad quam habebat ius. Ita ex Gloss. *V. Beneficium*, collegit Azor. *Instit. Moral.* P. 1. *lib.* 12. *tom.* 4. *quæst.* 1. Subditque rationem, cum & si habeat ius ad votum, legitima tamē causa religionis excusat absentiam; ideò iusta detentio absentiæ non vitiat electionem.

2 *Sed quid de renunciatione beneficij, sub cuius titulo ordinatus fuit nouitius?*

Respond. Inter varios dicendi modos, pro concordandis DD. opinionibus, hanc veriorem, & probabiliorem selegi; quod debet fieri renunciatio intra duos menses ante professionem iusta conciliarem dispositionem, cuius collatio non sortitur nisi professione sequuta, quia tunc verè cadit beneficium, & non antea, ob incertitudinem professionis. Ita notauit Garc. *De Benef. P.* 11. *cap.* 9. *à num.* 15. Campanil. & alii apud Eman. Rodriq. *Quæst. Regular. tom.* 1. *quæst.* 17. *art.* 2.

Adde præfatam Concilii dispositionem habere locum,

1 *In* Renunciatione *Patrimonii*, cuius sub titulo ordinatus fuit Nouitius. Nisi habeat aliud vndè, è religione egressus ali possit: vt colligit ex Trident. Miranda *in Man. Pralat. tom.* 1. *quæst.* 23. *art.* 5. & de Vechis. *disp.* 8. *dub.* 7. *num.* 6.

2 Comprehendit renunciationem officiorum publicorū temporalium. De Vechis *ibid. num.* 7. Sánchez, & alii apud Tambur. *disp.* 4. *quæst.* 10. num. 8.

3 Habet vim in fidei iussorem. Tamb. *ibid. V. Fideiussor.*

4 In Tutoribus, apud Nauarr. *consil.* 83. in his, & similibus casibus seruatur prædicta dispositio Concilii, *sess.* 25. *De Regul. & Monial. cap.* 16. sub pœna nullitatis dispositionis, ex illis verbis. *Alitèr facta sit irrita, & nulla.*

Adde insuper pro casibus, quos non comprehendit dicta dispositio Concilii.

1 Non comprehendit eleemosynas à nouitiis factas. Ita Garc. Azor. & Lezana, *cap.* 24. *num.* 39. vbi quoque notat intelligi de paruis, & moderatis.

2 Neque donationem, vel oblationem Deo, B. V. & Sanctis factam, apud Eman. Rodriquez *Quæst. Regul. tom.* 2. *quæst.* 47. *art.* 5.

3 Neque victum, aut vestitum à nouitio elargitum Monasterio. De Vechis, vt refert Lezan. *ibid. num.* 35.

4 Neque si quod datur ratione

ſolemnitatis profeſſionis iuxtà morem. Suarez *tom.* 5. *diſputat.* 22. *ſect.* 5. *num.* 15. vel conuiuii facti tempore ingreſſus, ex Tambur. *quaſt.* 10. *num.* 8.

5 Neque donata, vel oblata tutoribus, curatoribus, & conſanguineis nouitiorum.

6 Neque includuntur contractus emptionis, venditionis, permutationis, aut locationis, & ſocietatis, quia huiuſmodi non veniunt ſub renunciationis nomine. Quibus ſupradictis caſibus poteſt Nouitius poſt Religionis ingreſſum omnia efficere, & ſunt illius valoris, ac ſi effeciſſet in ſæculo. Neque locum habet in Nouitiis Societatis Ieſu, vt per idem Concilium *cap.* 16. *Verſu* Per *hac.* & approbatur à Summis Pontificibus B. Pio .v. & Greg. 13. vt notauit Emanuel Rodriq. *tom.* 2. *qu.* 47. *art. vlt.* Sà. *V. Religio, n.* 5.

De Epiſcopo non votante peregrinari in longinquum abſque Papæ licentia.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt vouere peregrinationem longam, abſque Papa licentia.*

Impotentia CLVIII.

1 NON poteſt Epiſcopus vouere peregrinationem longā abſque Papæ licentia. Ita multi apud Alfonſum de Aluarez *in Speculo iuris Pontificij cap.* 9. Tū quia votum eſſet in præiudicium reſidentię, ad quam tenetur iure diuinó, igitur votum erit inane, ob impotentiam diſcedendi. Tum etiam quia votum non eſſet de meliori bono, cum meliùs ſit reſidere ad oues, quàm illas relinquere. Tum denique, non minus detrimentum foret curæ ſibi cōmiſſę in perniciem Animarum, quam eius deuotio. Ita citati contra Sāchez, De *Prac. Decal. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 41. dixi abſque Papę licētia, vt voluit Vrb. 8. incipit: *Sancta Synodus, ann.* 1634. *Impot.* 1. *cit.*

De Epiſcopo non vſurpante bona Eccleſiarum vacantium, & dignitatum.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt vſurpare bona Eccleſiarum vacantium, & dignitatum.*

Impotentia CLIX

1 NON poteſt Epiſcopus vſurpare bona Eccleſiarum vacantium, & dignitatum ad ipſarum curam pertinentium abſq; titulo, ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſuę Eccleſiæ, in temporalibus, & ſpiritualibus, ex *Cap. Exigit De Cenſibus*, vt notat Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 3. *qu.* 11. & Filiucc. *De Cenſ. num.* 148.

De



De Episcopo non vtente benedictionibus priuatis Metropolitano presente.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest vti benedictionibus priuatis, Metropolitano presente.*

Impotentia CLX.

1 NON potest Episcopus vti benedictionibus priuatis presente Metropolitano, & fundatur in reuerentia, cultu, & honore debendis Superiori Metropolitæ, Immò nec deferre Rocchettū mū detectum, *ex Cap. Cum longè* 63. *dist.* at hodiè hoc vltimū cessat vigore *Ceremonialis Episcoporū, lib.* 1. *cap.* 3. — *De benedictione Episcopali dixi Pr. par. pot.* 121.



De Episcopo non vtente veteri Chrismate ad consecrãdum chrismate consecranda.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest vti veteri Chrismate ad consecrandū chrismate consecranda.*

2 *Sed quid de tempore interdicti generalis?*

3 *Sed quid de missa, in qua conficiendum erit Sacr. Chrisma?*

Impotentia CLXI.

1 NON potest Episcopus vti veteri chrismate, ad consecrandum chrismate consecranda, id sub lethali peccato, ex violatione pręcepti Ecclesiæ, *in Cap. Si quis, De Consecr. dist.* 4. vbi quolibet anno in die Coenę Domini, olea Sancta confici iubetur. Quapropter nec Parochus vti potest oleis veteribus ad infirmos vngendos, nisi aliud necessitas suaderet, apud Vgol. *De Potest. Episcopi, cap.* 7. §. 2. *& cap.* 27. *n.* 2. & tunc verè suadet necessitas quando *S. Vac.* neque à proximiori Episcopo oleæ benedicerentur, *ex Cap. Si Episcopus. De Supl. Neglig. Prælat.* De oleis Sacris dixi *Pr. part. potest.* 40.

2 *Sed quid de tempore interdicti generalis?*

Respond. 1. Sacrum Chrisma non posse confici, quia vna cum Missa in die Cœnæ conficitur. Respond 2. cum Suarez *tom.* 3. *disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 7. posse confici, sed ianuis clausis, modo tamen Episcopus non fuisset specialiter interdictus; Nam *in Cap. Alma Mater. De Sent. excomm. lib.* 6. Solum Diuina officia, & *Missæ*, vel aliud ibi expressum prohibētur, at hoc pœnale non extenditur ad Chrisma, quod semel in Anno consecrari postulat, ideò moderato interdicto, quod ianuis clausis, poterit hoc fieri; hæc Suarez. vide quod sequitur.

3 *Sed quid de Missa, in qua conficiendum erit Sacr. Chrisma?*

Res-

Respondent citati DD. apud Barbosam *De Episcopo*, *Allegat.* 368. concedendo posse dici ianuis apertis, ea ratione, qua si confirmationis Sacramentum gaudet priuilegio exceptiuo, vt possit tempore interdicti generalis conferri, pariter dicunt de Missa celebranda tamquam preparatorium necessarium ad Sacr. Chrisma, & confirmationem, iusta id principali concesso conceduntur adhuc & accessoria, ita *num.* 25. Quod ipse admitterem, quando verè post Missam debuisset dictū Sacramentum confirmationis exceptum conferri.

Sit laus Deo Patri,
Eiusque Diuę Proli,
Puræque Sanctæ Matri
Quam laudant omnes poli.





REPERTORIVM

Omniumque Rerum notabilium in vtraque Parte contentarum, ordine Alphabetico dispositum.

A

✠

Digitized by Google

Digitized by Google

C

de

Digitized by Google

Digitized by Google

✠† *cia*

ab-

Digitized by Google

E

dc

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Digitized by Google

G

H

Digitized by Google

Irre-

Digitized by Google

L

M

Digitized by Google

Ordi-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q

ni-

Re-

Re-

Digitized by Google

S

So-

T

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.



Digitized by Google

71



Digitized by Google